


Google

Analecta bollandiana

Bollandists


Dei
Sub Numine
Viget





ANALECTA

BOLLANDIANA

ANALECTA
BOLLANDIANA

TOMUS IV

EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF

ET

JOSEPHUS DE BACKER

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE

PARIS	BRUXELLES
VICTOR PALMÉ, Directeur général	**J. ALBANEL**, Dr de la succursale
76, rue des Saints-Pères, 76	12, rue des Paroissiens, 12

GENÈVE, **H. TREMBLEY**, rue Corraterie, 4

1885

ACTA SANCTÆ OLIVÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS PANORMITANÆ

SUBMISSA AB EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

PETRO JOSEPHO MICHAELE ANGELO

CARDINALI CELESIA

ARCHIEPISCOPO PANORMITANO.

Vitam S[tæ] Olivæ vulgarunt majores nostri ad diem 10 junii (tom. II, p. 297), ex editione Octavii Cajetani, qui eam se *exscripsisse testatur ex Lectionario ms. ecclesiæ Panormitanæ. Id vero Lectionarium,* ait, *ad verbum exscribere solet antiqua sanctorum Acta; nimium rudem et humilem historiæ stylum perpolire necessitas fuit.* Desiderabat Henschenius *originaria ex Legendario Panormitano Acta, utpote conformia magis instituto operis nostri, quod est dare omnia phrasi primigenia scriptorum et styli curam aliis relinquere, numquam certam fidem reperturis, nisi præexistant originaria Actorum, ab ipsis elegantius descriptorum, monumenta. Scripsi igitur* (ita pergit Papebrochius) *Panormum, sed responsum accepi non inveniri quod quærebam* (ibid., p. 296, nn. 3 et 4). Nobis felicius contigit, ad quos nimirum transmitti curavit Emin. et Ill. Cardinalis Archiepiscopus Panormitanus originaria S[tæ] Olivæ Acta, a venerabili et doctissimo viro Benedicto Ludovico Boglino sacerdote transcripta ex codice seculi XIV, qui in thesauro ecclesiæ cathedralis Panormitanæ asservatur. Hæc itaque *Analectis* nostris cum grati animi significatione inserere perlibuit.

Quarto idus junii. Natale sanctæ Olivæ, virginis et martyris.

Lectio i. — Beata igitur Oliva fuit de nobilissimis parentibus nata in terra Siciliæ. Itaque ratione sui generis nobilissimi cum per paganos vel infideles fuisset inventa inter eos christiana in tertiodecimo ætatis suæ anno sine alio

matrimonio, fuit data in exilium, et missa in civitate Tunicii ob reverentiam parentum suorum.

Lectio ii. — Unde, cum beata Oliva venisset Tunissium, et ibi stetisset per aliquos dies inter pauperes infirmos, claudos et cæcos et personas despectas, invenit quemdam hominem graviter infirmum et cæcum, ad quem appropians ait : *Si crederes in Christum, doctrinam ejus, absque dubio reciperes sanitatem animæ tuæ et corporis.*

Lectio iii. — Qui respondit ei, et ait : *Et ego libenter credam in eum, si mihi sanitatem redderet.* Beata autem Oliva manum suam super caput ejus posuit, et confestim sanus factus fuit.

Lectio iv. — At ille videndo se sanum esse, sive sanitatem recepisse, statim clamare cœpit : *Vere non est alius [Deus] nisi quem beata Oliva credit et adorat.* Et sic clamando venit ad quemdam socium suum, et ait ei : *Si vis sanus fieri, crede in Jesum Christum, et ego ducam te ad unam gloriosam puellam, quæ ex meritis suis et veritate et potestate Christi me fecit sanum.* Cui ille respondit : *Certe ita hæc possent fieri per illum crucifixum et per illam puellam quam tu nominas sicut ego modo cæcus sum.*

Lectio v. — *Nonne ille ex suis maleficiis in cruce per Judæos juste positus fuit ? Et tu dicis nunc tantummodo ipse ex sua veritate et potestate, imo etiam credentes in eum infirmos sanare potest ?* Quibus dictis, confestim cæcus factus fuit. Qui cum vidisset se cæcum, clamavit cum magnis gemitibus ad illum cui prædicta verba dixerat : *Germane, peccavi graviter, non credendo verbis tuis. Rogo te, obsecro, ut me ad illam puellam ducas, et imponendo manum super me visum mihi reddat. Et credam in Christum Jesum.* Qui cum perduxisset illum ad beatam Olivam, posuit manum super eum. Et statim sanus et illuminatus fuit. Ipse autem ut vidit se sanum et illuminatum, voce magna cum socio suo cœpit laudare Christum et ipsius doctrinam magnificare et sanctam Olivam. Quod audientes et videntes infideles ceperunt eos et tenuerunt, et multis martyriis interfecerunt eos. Et sic ad palmam martyrii pervenerunt. Beatam autem Olivam, eo quod puella erat, solum

cum flagellis fecerunt currere civitatem. Quo facto, dederunt eam in exilium. Ita quod posuerunt eam in eremo, in loco ubi non erat hominum habitatio, sed solum bestiarum, scilicet leonum, serpentium et draconum; inter quos habitavit aliquibus annis magis pacifice et gloriose quam si fuisset cum hominibus et mulieribus, quia omnia animalia dabant ei reverentiam.

Lectio vi. — Accidit autem ut aliqui nobiles de civitate Tunicii, causa venationis, venirent ad locum ubi beata Oliva habebat suum oratorium. Et videntes eam puellam magnæ pulchritudinis et decoris, voluerunt eam tangere et male tractare. At ipsa signo crucis signando, dixit eis : *In virtute mei salvatoris Jesu Christi moneo vos ut nullo modo me tangatis nec aliquid irreverentiæ faciatis; quia, si facitis, ecce angelus Dei mei mecum est, qui me intactam contra omnia fera animalia in hunc deserti locum annis septem custodivit, et gladio divinæ sententiæ vos percutiet et interficiet.* Quod ipsi audientes, confestim ceciderunt in terram et adoraverunt eam, clamantes : *Sancta Dei, jube quod vis et faciemus. Nam credimus quod alius Deus non est, nisi ille qui te in hunc locum inter animalia sanam et intactam custodivit, et cibo non humano sed angelico te refecit, et ita delicatam nutrivit et conservavit ut magis appareas angelus quam homo mortalis.* Ipsa autem videndo eos jam divino radio illuminatos, cœpit eos prædicare et viam veritatis ostendere, et baptismum ministrare. Et sic conversos ad Christi amorem ad civitatem remisit eos, dicendo quod Christi doctrinam coram infidelibus prædicarent, quia sic ad palmam martyrii pervenirent. Et ita fecerunt, et finaliter martyrium acceperunt.

Lectio vii. Et dominus autem terræ et civitatis Tunicii alios et multos ad perquirendam ipsam puellam misit. Qui cum invenissent eam, sic ut primos converterat, convertit ad Christi amorem et ad ejus doctrinam, et cum eisdem ad præsentiam domini civitatis venit. Et quare eam vocasset cum constanti animo eum requisivit, dicens ei : *Jam non propter tui timorem nec amorem veni ante te, quia quos ad me perquirendum misisti, ad Dominum meum Jesum Christum*

converti. Et parati sunt pro eo tormenta pati et mori. Cui dominus : *Quod dìcis non possumus credere; scilicet, quod illi per te sint perversi.* Cui ipsa : *Non perversi, sed conversi de statu damnationis ad statum perpetuæ glorificationis.* Cui ipse dominus : *Et si ego ita invenero ut asseris, et te et ipsos multis pœnis et tormentis interficiam.* Cui ipsa : *Nec ipsi neque ego tormenta tua nec minas timemus. Quia sic Dominus in suo Evangelio ait : Nolite timere eos qui occidunt corpus, quia animam non possunt occidere; sed potius eum timetis qui corpus et animam potest perdere in gehennam ignis.*

Lectio viii. — Et tunc dominus, videndo constantiam et audaciam ipsius, fecit eam incarcerari sine omni humana consolatione, scilicet pane et vino et lumine; ubi per angelum Dei fuit visitata, pasta et confortata. Illi autem qui per eam cum multis aliis ad Deum conversi fuerunt, gloriosum martyrium acceperunt. Post autem aliquos dies beata Oliva de carcere abstracta fuit et ante dominum et judicem præsentata, ubi fuerunt sibi factæ multæ quæstiones et injuriæ; quæ omnia contempsit, imo etiam suis claris responsionibus eos superavit, et aliquos ibi præsentes ad Deum convertit. Videns autem dominus quod eam superare non posset, dedit sententiam ut tandem flagellaretur quousque ejus costæ et ossa discooperta remanerent, quod factum est. Et ipsa a prædicatione non cessavit. Vidensque dominus iniquus quod nihil faciebat, mandavit eam poni in equuleo, ubi cum pectineis ferreis totam delacerari, quod factum est. Videndo etiam quod adhuc nihil faciebat, jussit eam de equuleo deponi et in dolium ferventis olei submergi. Cui non nocuit, nec malum aliquid fecit; imo Deum laudabat, et solum uncta oleo inde exivit.

Lectio ix. — Vidensque dominus iniquus quod nec sic poterat aliquid facere, jussit iterum eam in equuleo poni; et, ut mediante unctione olei et melius comburi posset, faculas ardentes super corpus suum imponere faciebat, stando super equuleum. Cui ignis non nocuit, sed sanam eam reddidit; et faculæ recedentes ex manibus ministrantium, ad Deum fuerunt conversi et martyrium receperunt. Et tunc ibidem judex

dedit sententiam ut decapitaretur; et percussa cum securi in collo, anima ejus egressa est de corpore ad modum columbæ albæ. Et videntibus omnibus qui ibi aderant, angeli receperunt animam suam, et cum hymnis et canticis ad cœlum eam deportaverunt; et corpus suum christiani et fideles per eam conversi ad fidem Christi rapuerunt, et in civitatem vel prope civitatem Panormi detulerunt, et ibi dictum sacrum corpus sepelierunt. Per cujus martyrium et virginis merita perducat nos Christus ad æterna gaudia. Qui vivit in secula seculorum. Amen.

VITA
S. PETRI OXOMENSIS
EPISCOPI IN HISPANIA
AB ANONYMO SUPPARI CONSCRIPTA

EDITA STUDIO ET OPERA

R. P. DOM. FR. PLAINE, O. S. B.

Bernardum, Agennensem ortu, professione vero monachum S. Orientii Ausciensis, postea abbatem S. Facundi in Hispania, tandem archiepiscopum Toletanum, ineunte seculo XII manum validissimam admovisse *per seipsum et per viros litteratos et honestos, quos elegit de diversis locis Galliarum* (1), instaurationi ecclesiarum Hispaniæ episcopalium, a Sarracenis pro parte magna eversarum, plane compertum est ex historicis coævis et publicis monumentis. Porro inter hos *providos viros,* quos *transiens per Gallias* dictus Bernardus *secum eduxit* (2), nulli profecto secundus claruisse videtur sapientiæ, sanctitatis et miraculorum fama B. Petrus, qui Oxomensis ecclesiæ *(Osma)*, tunc eversæ et a trecentis annis pastore vacantis, gubernacula suscipiens ineunte duodecimo seculo, eam *tanquam sapiens architectus solerti prudentia et honesta religione reintegravit* (3).

Hujus præsulis sanctissimi vita litteris fuit exarata ab auctore fere coævo: quippe qui *viderat et audierat* familiares B. Petri, ipsosque testes mortis et exsequiarum ejus (4). Insuper si circa suæ scriptionis finem alios adhibet biographus testes qui non cum B. Petro vixerant (5), agitur tunc solummodo de miraculis circa annos 1150-1160 patratis ac proinde a tempore ipsius antistitis valde parum distantibus. Unde patet supparem fuisse hunc scriptorem.

Talibus et tam fide dignis innixus testimoniis, qui et erat de gremio canonicorum B. Mariæ Oxomensis, nomen vero suum humiliter celavit, scripto mandavit res gestas B. Petri, seu potius *transitum ejus* (6) cum aliquot miraculis sive ante sive post mortem patratis. Nam alia admodum pauca de vita ejus refert.

(1) Rodericus Toletanus, Chronici lib. VI, c. 26. — (2) Ibid. — (3) Ibid., c. 27. — (4) Prolog. Vitæ B. Petri. — (5) Vita B. Petri, n. 31 et sqq. — (6) Ibid., prolog.

Utrum vero integra et sine ullo hiatu ad nos pervenerit hæc scriptio nescimus, et res dubia remanere debet, deficientibus omnino antiquis codicibus. Nusquam enim invenitur hæc Vita B. Petri nisi in duplici veteri Breviario manuscripto Oxomensis Ecclesiæ seu capituli (1), et frequenter, ut notum est, in hujusmodi libris conficiendis, ad breviandas lectiones aliquid resecatur de genuinis Vitis sanctorum. Quidquid sit de hac re, hæc tractatio nihilominus *vere primigenia* Vita S. Petri Oxomensis jure ac merito nuncupatur, omniaque præ se fert signa authentiæ. Attamen ad nostros usque dies inedita et fere prorsus incognita latuit. Etenim si ex ea olim aliquid mutuati sunt Joannes Loperraez, Josephus Lopez et præsertim Joannes Tamayus (2), verumtamen ipsammet in suo textu genuino non noverunt socii Bollandiani (3), nec doctissimus Florezius neque recentius clarissimus dominus Vicente de la Fuente (4).

His animadversionibus de Vita B. Petri Oxomensis finem imponere nequimus quin grati animi testimonium dederimus R. P. Timotheo Falgueyrette ex Augustinianis Assumptionis, olim Nemausi in Gallia, nunc autem cogente persecutione impiorum Oxomæ in Hispania residentibus, cujus industria et indefesso labore exscripta est ex codicibus Capituli Oxomensis præsens Vita S. Petri episcopi.

FR. FRANCISCUS PLAINE O. S. B.

1. PROLOGUS. Illustrium gesta virorum, justorum quoque vita et mors, quæ in conspectu Domini pretiosa est, non debent a bonorum mente excludi vel temporum meatu veterascere, sed diligenter prudenterque memoriæ commendari, reverenter amplecti, delectabili studio imitari. Bona quippe et desiderabiliter imitanda est vita justi, et exitus a præsenti lacrimarum convalle vita potius dicenda quam mors. Justorum quippe memoria, dulcedine redundans et laude, non recedet nec derelinquetur in secula, et nomen eorum requiretur in generatione sempiterna. *In memoria* enim *æterna erit justus*, et : *Memoria justi cum laudibus*. Scribere igitur non lascivia suadet, sed utilitas monet ; non jactantia agitat, sed devotio ad memoriam reducere cogit

(1) Hæc duo Breviaria in pergamena scripta, pulcherrimis litteris ac figuris ornata, asservantur in armario capituli Oxomensis. — (2) Loperraez, *Hist. Ecclesiæ Oxomensis* ; Lopez, *Vita S. Petri* (hispanice) ; Tamayo, *Martyrolog. Hispanicum*. — (3) Cfr. *Act. SS.*, ad diem 2 Augusti (tom. I Aug., p. 192). De novo ibi edita est ex Tamayo Legenda parva et omnino insufficiens. — (4) *Hist. ecles. de España*, t. IV, p. 29.

quæ de justi laudibus sua vetustate fere viluerant, antiquitate senuerant atque multorum mentibus temporis prolixitate exciderant.

2. Summa itaque opitulante sapientia, simplici licet stilo et sermone incomposito, tamen veridico, defluentia temporum curricula revocemus, et posterioribus recolenda committamus quæ de vita vel potius de transitu justi et pii patris nostri Petri, Oxomensis ecclesiæ dignissimi antistitis, a majoribus nostris audivimus, non qualiscumque famæ personis sed honorabilibus et authenticis, venerabilis scilicet memoriæ domno Petro (1), Segoviensis sedis præsule, Bernardo quoque, Zamorensi episcopo, qui obsequia humanitatis funeri ejus exhibuit (2), sed et honesto viro Nicolao, archidiacono Palentino, atque aliis vitæ merito et honestate non infimis, qui ei familiariter astabant dum viveret et exanimi corpori aderant, dum ad Deum spiritus pergeret. Seriem narrationis, Deo juvante, aggrediamur.

3. Venerabilis igitur antistes et pius pastor Petrus, natione Bituricensis, parentibus christicolis, cum esset bonæ indolis adolescens, inter scholares diligenter invigilans, in lege Domini die ac noctu meditabatur. Hic liberalium artium studia vigilanter prosecutus, legibus quoque divinis adprime eruditus, philosophiam atque divinam non mediocriter attigit facundiam. Florenti namque studio ardenter inhiabat fluenta doctrinæ bibulo pectore haurire et solerter memoriæ arcano condere.

4. Gloriosi itaque Hispaniarum regis Ildefonsi temporibus, sub venerabilis Bernardi, Toletanæ sedis metropolitani, vigilantia, natali relicto solo, prædicti patris famulatui se subdidit simpliciterque domum ejus inhabitans inter personas honestas et pudicas, vitæ elegantia non infimus, morum probitate conspicuus, dignus Deo et carus hominibus habebatur. Archidiaconi igitur arcem conscendens, res ecclesiasticas diligenter et opportune tractabat et operose admini-

(1) Hic erat Gallus, nepos Bernardi, Toletani archiepiscopi, et rexit ecclesiam Segoviensem ab anno 1110 ad ann. 1148. — (2) Bernardus erat similiter Gallus et Zamorensem ecclesiam gubernavit ab anno 1123 usque ad 1149.

strabat. Ut excubitor in domo Domini sui providus, non tantum temporalia sed et spiritualia erogabat.

5. Hic vero probitatis ipsius et scientiæ fulgor dum lateret sub modio, summa eum ad altiora subrogare voluit dignatio. Dignum quippe erat ut qui in domo Dei administratoris eleganter officium exercebat, in eadem præceptoris dignitate præcelleret. Eo tempore (1) Oxomensis ecclesia pastore vacabat, quippe quæ Sarracenorum incursu cum aliis multis Hispaniarum ecclesiis et civitatibus depopulata fuerat; multisque annorum curriculis orbata pastore, deficientibus habitatoribus, Dei tandem nutu reædificabatur, raro tamen habitatore incolebatur. Huic civitati prædictus vir laudandus præficitur; diruptæ et ab ipsis fundamentis eversæ ecclesiæ, cujus nec signa nec vestigia destructionis vetustate reperiri poterant, rector constituitur.

6. Iste itaque, non rerum affluentia, non famulantium vallatus circumstantia, non denique palatiorum dilatatus speciositate, sed honestæ paupertatis humilitatisque suffultus prærogativa, Domini fretus auxilio, diruptæ, ut prædictum est, ecclesiæ novellus cœpit ædificator existere, et non tantum parietes, sed et subjectorum mores reformare, nec solummodo corporum, quin potius animarum lucra quærere. Non talentum sibi creditum ligavit in sudario, sed Domino suo cum lucro reportandum erogabat. Pastor serenus gregi sibi commisso, fidelis vero et prudens summi sacerdotis Christi vicarius et ejusdem regis æterni dispensator, non sua sed quæ sunt Jesu Christi quærens juxta Apostolum, ministerium implebat et dominium exercebat. Non præsidentis tumorem, sed modesti et pii patris prætendebat affectionem. Præfatæ enim ecclesiæ fundamenta jecit, clericorum catervam adunavit, dispersa solerter colligere studuit, et congregata conservare vigilanter instituit. Prædicationis itaque officio congrue insistens, orationibus, vigiliis, sobrietati, castimoniæ, eleemosynis ceterisque misericordiæ operibus constanter operam dans, humilitate, fide, spe et chari-

(1) Anno 1103, ut creditur.

tate præpollens, Deo et hominibus dilectus inventus est, cujus memoria in benedictione est.

7. Venerandus itaque pontifex et pius pater, cujus animus et actio humilitate et mansuetudine totisque operibus misericordiæ pollebat, nihilominus in dextera justitiam sine timore firmiter exercebat. Quemdam namque Oxomensem, multarum divitiarum virum, propter diversas injurias Oxomensi ecclesiæ sæpissime illatas nodo excommunicationis alligaverat. Qui fastu indignationis cæcus et furore perfidiæ repletus, nequaquam ad debitam satisfactionem, sed ad scelus homicidii perpetrandum suum diabolicum declinavit animum. Quadam igitur die eidem antistiti de ecclesia B. Mariæ egredienti et villæ Sancti Stephani viam quærenti (1), vir ille Oxomensis, diabolica instigatione, cujus spiritu totus ducebatur, militaribus armis indutus et furiis equi, cui supersederat, invectus ut episcopum temerario ausu lancea sua percuteret, in itinere obviavit. Sed divina ultione præveniente, statim a dæmonio arripitur et in terra coram episcopo spumans de equo præcipitatur. A quo diu vexatus et sine intermissione, nulla ratione potuit liberari donec rogatu parentum et sui condigna et plenaria satisfactione, per orationem et merita hujus clari pontificis pristinæ sanitati integerrime meruit restitui.

8. Cum vero ex more diocesim circuiret, quadam die in villam quæ vulgo *Langa* (2) dicitur, devenit. Cujusdam viri tectum intravit, qui quartanis frigoribus jam longo elapso tempore vexabatur. Pontifex vero venerandus lavari volens in flumine (3), cum familiaribus ingreditur, et huc illucque lavando dum fertur, pisciculorum non modicam circa multitudinem conspicatus, lineam pro rete parat. Mox unum gremio illicit, captum manu benedicit, uni famulantium ut hospes hunc in nomine Christi comedat hortatur, simulque remedium pollicetur. Ut acceptum cum gratiarum

(1) Hispanice : *San Esteban de Gormaz*, tribus leucis distans versus occidentem a civitate Oxomensi. — (2) Viculus est super Dorium flumen *(Duero)* situs, et distans quatuor vel quinque leucas a castro Oxomensi. — (3) " Dorio " addit Legendarium Asturicense apud Bollandistas.

actione infirmus mandit, vim superni medicamenti confestim adesse sentit; totoque algore febrium vel ardore in saluberrimam quietem converso, integerrimæ sanitati restituitur, et cum ministrantibus ipse quoque gratulabundus ministrat.

9. Inter miracula atque virtutes quas Deus ad laudem et honorem venerabilis vitæ viri Oxomensis episcopi Petri operari dignatus est, insigne quoddam et inauditæ novitatis miraculum contigisse refertur. Cum igitur vir honestus apud villam quamdam quæ Fresnello (1) dicitur, in territorio videlicet Oxomensi, esset, et post consecrationem ecclesiæ loci ejusdem, domorum cogente penuria sub arbore quadam, quæ ilex vocatur, juxta posita, cum suo comitatu ad reficiendum resideret; cumque manuum ablutioni aquam non haberent, quod multis incredibile videretur, aqua desuper veniens ex prædicta arbore nata contra naturam descendit. Quæ cum magna admiratione omnium qui aderant et manibus abluendis et siti præsentium se obtulit. Hæc res admiranda et eorum oculos non latuit et circajacentes regiones fama volante replevit. Hæc quidem Dei referentes magnalia necnon et beati præconia non tacentes, ob cujus memoriam hæc et alia divina clementia dignabatur ostendere, quod prædiximus miraculum describentes, non solum præsentium, sed etiam futuræ posteritatis memoriæ commendare decrevimus.

10. Accidit etiam aliud præter enumerata non prætereundum silentio, verum linguæ officio seu calami ad cognitionem posteritatis transmittendum; quod, quia præclarum est, claritati morum concordat sacri antistitis. Duplici quidem ex causa signorum novitates mortalium generi apparere consueverunt. Etenim humanam mentem a somno corporis excitatam invitant ejus sequi vestigia per quem divina potentia facit mirabilia, et gloria hæc est sancto ejus quod tam patentibus indiciis monstratur glorificatus. Cum itaque emergenti tractus negotio, idem pontifex Palentiam quodam

(1) Hispanice *Fresnillo de Duero*, prope castrum Aranda. Ibi adhuc ostenditur arbor de qua loquitur anonymus noster.

tempore veniret, reprehensibile ducens secularibus se necessitatibus continua sollicitudine implicari, inter mundanas varietates manens desiderio civitatis æternæ accensus proposuit in ecclesia B. Antonini in vigiliis et orationibus pernoctare, et propositum executus est ad effectum. Igitur exteriorum curarum occupatione deposita, ad altare subterraneum quod in quadam crypta prædictæ basilicæ in honore ejusdem martyris erat constructum, descendens, ad cor altum ascendit, et totam intentionem ad Deum erigens studio vacat orandi. Et dum noctem duceret insomnem, quam in solam Dei laudem expendere decreverat, forte, immo verius arcano summi ordinatoris consilio, lampas quæ in eadem crypta ad ministrandum lumen erat deputata, apparet extincta. Quod vir Dei considerans, genua flectit, carnem humiliat, spiritum erigit, ad familiare conversus orationis auxilium in hunc modum: *Rex regum, Dominus dominantium, occultorum cognitor, cui omnia clausa sunt aperta, si vere creditur quantumcumque* (1) *de sacris reliquiis victoriosi martyris Antonini in præsenti haberi ecclesia, ut quamplurimorum attestatur assertio, ne deinceps locus ambiguitati relinquatur, lampas hæc tua virtute reaccensa præsentis obscuritatis tenebras illuminet. Nec tamen Dominum Deum meum tentare præsumo, sed petiti signi certitudine incertam opinionem peto ab omni dubitatione absolvi.* Vix oratione licet brevi expleta, ignis precibus justi viri desuper vocatus in lampadem descendit: quæ, recepta luce, quam ut via pateret miraculo credenda est amisisse, consuetum gerere cœpit officium (2). Prope vere est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, qui quod famulo suo dona lucis æternæ erat præstiturus, per temporalis luminis munus tam mirabiliter exhibitum signo nuntiante præostendit.

11. Defuncto itaque prænominato rege piissimo Ildefonso, præfatus pastor et rector noster Petrus regio funeri humanitatis officium exhibuit; glebam corporis exanimis ad tumulum usque prosecutus, corpus terræ condidit, funeris, ut mos

(1) De parte agitur reliquiarum, non de toto : unde lis inter Apamienses et Palentinos sedari posset. — (2) De S. Antonino vide *Acta SS.*, tom. I Sept., p. 345 et sqq., et D. Vaissière, *Saint Antonin, apôtre du Rouergue,* 1872.

est, exequiis celebratis. His igitur rite expletis, vir Dei protinus febre corripitur, et, toto corpore viribus propriis destituto, vehiculis famulantiumque manibus a Sancto Facundo (1) usque Palentiam civitatem deducitur, ubi a venerabili Petro, ejusdem sedis præsule, et clericorum ipsius ecclesiæ collegio honorabiliter suscipitur, devote ei ministratur, languenti corpori et familiæ quidquid expedit officiosissime impenditur.

12. Cum igitur singulis quibusque diebus languor ingravesceret, pœnitentiæ medelam simulque viaticum assidue sumebat, solerter vigilanterque præcavens ne quid in se indiscussum sive impunitum antiqui hostis faucibus patesceret. Vocato vero præfatæ Palentinæ sedis episcopo, petivit injungi sibi pœnitentiam propter excessus quotidianos a quibus nemo immunis est super terram. Qui cum tres ei dies examinis in purgatorio injungeret, complicatis manibus tremere cœpit et gemere et flere amarissime. Quis, rogo, stridor dentium quantumve planctus aderit, ubi non triduo purgatorius, sed ignis ardebit æternus? Quid, inquam, miseri facturi sunt cum tradentur igni inextinguibili, remota omnino spe remedii, cum tantus vir tremuit solo auditu purgatorii?

13. Quadam denique die, cum idem pontifex lecto ægrotantis cum clericorum caterva assisteret, vir Dei debilitate pressus, quasi somno sopitus, paululum quiescens, subito apertis oculis nimia quadam indignatione ita loquebatur : *Quid hic,* inquit, *nequam, expectas? Utquid non tua usurpare non confunderis? Non hic, pessime et nefande, non hic tibi pars dabitur aliqua.* Et conversus ad circumstantes : *Afferte,* inquit, *afferte nobis sal, aquam et orarium.* Quibus eum in exstasi loqui existimantibus et invicem susurrantibus : *Non,* inquit, *ut putatis, in exstasi loquor; potius afferte quæ dico.* Quibus allatis, lectulo insedens, resumpto spiritu, aquam aspersionis benedicit, cum sale exorcizato miscet, propria manu habitaculum lustrat, nequam spiritum penitus repellit.

(1) Corpus regis Ildefonsi tumulatum fuerat apud S. Facundi cœnobium ab ipso restitutum.

14. Rursumque conversus ad præfatum coepiscopum: *En,* inquit, *charissime, en recedo ab hoc seculo. Rogo et imploro fraternitatem tuam ut corpusculum meum ecclesiæ cui datus fueram reddas, et vestimentis sacris quibus uti in ministerio divino consueveram, honeste indutum, feretro quoque decenter composito, in ecclesia eadem me honorifice sepelias. Non tamen pomposi funeris quæro gloriam, sed ministerii sacerdotalis reverentiam.* Cui dicenti : *Quomodo, pater, quomodo illuc te deferre potero, cum imminentium bellorum metu et guerrarum strepitu tota provincia grassetur et nemo inermis extra progredi audeat?* respondit : *Ne timeas, frater charissime, quia nec eunti nec redeunti aliquid tibi tuisve oberit, sed omnia prospere succedent. Perge securus; redde me, ut dixi, ecclesiæ meæ, ut congratulentur et confortentur super me qui ibi futuri sunt* (1). Pontifex annuit. Deinde circumstantem clerum vir Dei ut exitum suum psalmodiæ cantu et precibus Domino commendarent, exhortatus est. Quod dum fieret et letanizantium hinc inde chori personarent, elevata dextera signum nostræ redemptionis fronti imprimens atque omnes qui aderant sacerdotali benedictione perlustrans, ex hac luce feliciter migravit.

15. Defuncti itaque viri Dei funeri et exequiis populus civitatis Palentinæ reverenter et devote concurrit, orbata patre serenissimo famulorum turba gemitibus perstrepit, clericorum cœtus psallentes et flentes alternatim concrepant. Corpus exanime ex more abluitur, vestibus sacris induitur, exequiæ rite celebrantur, præparato decenter feretro reconditur. Iter venerandus pontifex Palentinus Petrus cum religiosorum comitatu, glebam corporis ejus deducturus, arripit; inter prædonum impetus, juxta viri Dei verbum, intrepidus viator neminem obsistentem, omnes obsequentes et necessaria ministrantes invenit. Ex oppidis et vicis et agris passim viri et mulieres obviam confluunt, obsequia parant; sicque prospero successu Oxomam perveniunt.

(1) Alluditur hic perturbationibus et civilibus dissidiis quæ mortem regis secuta sunt, et in quibus Palentinus episcopus fuit re vera vexatus et de sua sede pulsus, sed aliquot annis post tumulationem S. Petri.

16. Suscipiunt Oxomenses piissimi patris pignora, et ut viventem, ita exanimem amplectuntur. Non sine gemitu et fletu, non sine multo mœrore, sepulcro ex more composito, debito quoque psalmodiæ concentu completo, in ecclesia B. Mariæ a præfato [episcopo] et a clericis, quos ibi Deo servientes constituerat, multo astante populo cum reverentia pater venerandus Petrus honestæ traditur sepulturæ. Ad cujus tumulum languentium crebro fessa sanitati membra redduntur, febricitantes remediantur, quarumlibet passionum ut dæmonum vexationibus fatigati, Dei omnipotentissima pietate incolumitati restituuntur. Ibi devotæ petentium preces in necessitatibus exaudiuntur, desolati consolantur. Successores ipsius et inibi clerus Deo serviens tanto protecti patrono gloriantur, Domino nostro Jesu Christo adjuvante et gloriosa semper Virgine suffragante.

17. Rexit ergo vir venerabilis Petrus Oxomensem ecclesiam annis sex et mensibus quatuor. Requievit autem in pace anno Dominicæ incarnationis 1109, kalendis Augusti (1), prænominati regis Ildefonsi filia, Urraca nomine, cum filio suo tunc parvulo Ildefonso Hispanias regente, summa et inenarrabili divina potentia et majestate in cœlis regnante et in terris omnia disponente, quam laudat omnis creatura creatorem omnium, cujus honor et imperium permanet in æternum.

Vita posthuma S. Petri Oxomensis. Infra Octavam legenda.

18. Quæ vero per eumdem serenissimum patrem nostrum ad laudem et gloriam nominis sui divina dignata sit operari clementia, licet de multis pauca colligere potuerimus proborum virorum relatione, subnectere curavimus.

19. Præfati igitur patris tempore, cum christiani Sarracenorum fines invaderent et Sarraceni ex adverso confligerent,

(1) Unde sequitur Petri episcopatum incepisse mense martio vel aprili anni 1103.

contigit ut quidam vir de Berlangua (1) inter eorum detentus acies captivaret. Qui in servitute positus, jugi satagebat obsequio tam domini sui quam etiam familiæ benevolentiam captare, ut vel sic posset aliquod laboris remedium habere. Non multo itaque elapso tempore, quædam Sarracena, ejus allecta amore, tale cum eo fœdus iniit quod eum abstraheret a carceris squalore, si eam duceret maritali modo. Dato igitur fœdere, clam eum a carcerali custodia et servitute eduxit, clamque cum ipso, relictis parentibus, ad domum suam pervenit et christianæ fidei sacramenta percepit. Tunc idem cum ea nubere volens, a parentibus prohibitus est, dicentibus se nunquam proselytam suo generi admisceri velle, ne degenerare viderentur tali copulatione. Venit igitur querula mulier ad venerabilem Petrum episcopum, venit et vir. Exposuerunt pactum; requisivit et ipse diligenter eorum voluntatem, probavit consensum, dedit eis paterno more, quod parentes negaverant, dotem et nuptialia vestimenta, et sicut filiis impendit necessaria subsidia.

20. Factum est autem ut, eo in pace quiescente, prædicta mulier, gravi paralysis ægritudine dissoluta, nervisque omnibus et membris undique contractis, totius corporis invaletudine premeretur. Et cum frequenter ad ejus sepulcrum sanitatum ac miraculorum fierent signa, ait vir ille uxori suæ : *En pater noster Petrus, qui te mihi conservandam tradiderat, sanitatis impendit advenientibus beneficia. Tu ergo sepulcro ejus adhærens ab infirmitate liberari reposce. Sin autem, diutius te non patiar cohabitare mecum.* Hæc dicens contractam vehiculo sublevat et ante viri Dei monumentum relinquit. Mulier die noctuque gemitibus, lassabundis vocibus locum implebat, et virum Dei ut sibi subveniret importunis, tanquam viventem, precibus flagitabat. Quid plura? Evolutis paucis diebus, cum tantis ejulatibus incessanter personaret, subito quasi viri Dei manum de sepulcro projectam conspicit, se arripientem simulque trahentem sentit; et solito gravioribus perstrepens ululatibus clamare cœpit : *Num,*

(1) Nunc *Berlanga de Duero,* in provincia Soriæ et diœcesi Seguntina.

inquit, *num cernitis dominum meum episcopum me trahentem et recondere secum in sepulcrum nitentem?* Hæc ea loquente, nervorum contractio divino nutu et auxilio extenditur, membrorum dissolutio solidatur, juncturæ compaginantur, totum denique corpus incolume et validum reformatur. Hæc videns clerus astans, cum populo Deo et ejus famulo laudes intonant et hymnos cum jubilo decantant. Prædicta vero mulier, Dei clementiæ grates persolvens, ad propria revertitur et a marito gaudenter suscipitur.

21. In villa quæ Andaluz (1) nominatur, vir quidam podagrica ægritudine laborabat ita ut tumescentibus pedibus simulque tibiis et poplitibus, ventre quoque tumido, non posset nec de lectulo surgere, nec nisi aliorum suffultus manibus residere. Hic itaque Oxomam a parentibus delatus, et ante viri Dei tumulum humi prostratus, gemitibus et lacrimis a tanto deposcebat incommodo sublevari. Paucis igitur exactis diebus, cum die noctuque exinde non recederet et assiduis virum Dei precibus inclamaret, subito cœperunt tumentia membra resolvi, venter turgidus emolliri, gressus restitui, totus denique homo viribus convalescere. Sicque sanitati redditus, per annum in ministerio ecclesiæ pro gratiarum actione devotus mansit; postea vero ad domum propriam incolumis remeavit.

22. Cum itaque de diversis partibus diversarum ægritudinum gravati molestiis, ut prædictum est, ad ejus sepulcrum convolarent, cujusdam optimatis de Castella capellanus, renum dolore fractus et corpore invalidus, vehiculo subvectus defertur. Qui inibi solo prostratus totam noctem pervigil in oratione deducit. Mane autem facto, matutinorum expleta celebritate, cum omnis populus et clerus simul exirent et ipse venerandi patris suffragia imploraret, dicens: *Pater bone, qui alios curare consuevisti, succurrere dignare mihi peccatori, ut enarrem magnalia Dei;* protinus quasi somno oppressus, ut ipse postea referebat, vidit in venerando et fulgido habitu æterna memoria dignum Petrum pontificem calciamenta

(1) Viculus castro Oxomensi proximus.

sive spelia sibi detrahere nitentem. Ad cujus tactum subito expergefactus, nullum jam præcedentis infirmitatis dolorem sentiens residet; et hinc inde oculos, si forte videre episcopum posset, inflectens, resumptis viribus de pavimento surgit, ad fores usque prosilit, rursumque ut Deo laudes cum precibus reddat ad viri Dei tumulum revertitur. Et iterum iterumque supplicans, gratulabundis quoque laudibus perstrepens, clerum ut secum Deo et ejus famulo laudes persolvant, hortatur. Sicque factum est ut qui servorum domini sui manibus suffultus via deportatus fuerat, gaudens et equo per se insiliens ad propria redivit.

23. Apud Stellam (1) sacerdos dæmoniacus habebatur, qui, complures circuiens regiones et nullius remedii consilium suæ infirmitati reperiens, totam spem suam tantum in summi medici dispositione jactat. Cui quadam nocte dormienti præfatus pontifex in visu apparet: si Oxomam veniat atque in ecclesia B. Mariæ coram ejus sepulcro in oratione pernoctet, sanitatis restitutionem pollicetur. Hac igitur visione [confortatus] prædictus presbyter, arrepto itinere Oxomam celeriter petit. Omnibus igitur secundum visionem diligenter expletis, meritis venerandi pontificis, divina clementia annuente, a dæmonii vexatione liberatus est. Qui pro tanto beneficio a Deo sibi collato Oxomensi [ecclesiæ] ibique commorantibus diu devotissimum adhibet obsequium. Antiquus vero hostis, humanæ invidens felicitati, per pecuniæ ambitionem sensum ejus evertens, balsamum, quod ejus custodiæ creditum fuerat, arripiens, sicut fur nocte discessit et usque ad Burgensem civitatem fugit; ibique prædicto unguento, ut latronum mos est, parvo pretio distracto, per tres noctes civitatem illam egressus ut fugam arriperet, laborans per totam noctem, per vias et sepes, per colles et convalles, per flumina et segetes, per vineas et arbores, aurora surgente ad civitatis portam reperiebatur. Quo prior Oxomensis comperto, ad præfatam civi-

(1) *Estrella* sive *Estella*, locale nomen est, sat frequens in Hispania; nec dici potest de quo loco hic agatur, quum nullus talis nominis locus existat in territorio Oxomensi.

tatem veniens et fugitivum inveniens, in collo ejus fune alligato ad Beatæ Mariæ monasterium ipsum adducit, atque in compedibus cum Sarracenis in labore, fame, siti, algore et calore diu emendatum illum abire dimisit.

24. Alius siquidem vir, in Septempublica (1) degens, quotidie male et irremediabiliter a dæmone vexabatur. Is etiam, audita fama tanti viri, Oxomam veniens, in monasterium B. Mariæ per duodecim dies totidemque noctes corpore extentus atque vultu in terram dimisso, absque ullius cibi sive potus consolatione quasi sopitus jacuit. Duodecimo autem die vesperascente, quasi evigilans a somno et velut nil mali sensisset, sanus et hilaris, Dei clementia virique sancti meritis, innumerabiles gratias persolvens, et præ gaudio lacrimas effundens, surgit et infesti hostis vexationes a corpore suo penitus discessisse sentiens, Deo omnipotenti et ejus famulo prædicto pontifici laudes referens gratanter ad propria remeavit.

25. Tractu temporis elabente, nonnulla elabuntur recordatione digna, revelatione digniora, sed imitatione dignissima; et, ne oblivioni datus videretur tanquam mortuus a corde, qui vitam petiit et longitudinem dierum impetravit, stili usus commodior oblivionis resistat incommodo, ut nomina vivant in terris quæ non ambigitur scripta esse in cœlis. Ad ostensionem itaque magnitudinis meritorum memorati antistitis, accidit quoddam memorandum, immo mirandum, quo et mors ejus comprobata est pretiosa in conspectu Domini et fidelium devotio ad compunctionem excitata est, coruscante miraculo impetrato per eum quod urgens necessitas laborantes petere compellebat.

26. Cum enim quodam æstivo tempore in partibus Oxomæ et circumjacentis patriæ arida terræ facies sterilitatem frugibus minaretur et cœlum clausum effusionem negaret imbrium, contemperiemque caloris nulla temperaret humoris admixtio, omnis viror fructiferi generis emarcuit, vivifico destitutus fomento, ut non immerito credi posset vel timeri

(1) Hispanice : *Sepulveda,* in provincia Segoviensi.

Heliæ tempora iterum imminere. Verna messium ætas maturitatem desperabat, aer stillantium nubium tenax omnem spem fructuum ademerat, et ad tantam ventum est diffidentiam ut etiam semina sparsisse nonnullos pœniteret incolarum. Et cum angustia subtiliter ingeniosa consiliorum inventrix esse perhibetur, conveniunt universi terræ illius habitatores et anxia sedulitate quid agendum sit, quæ via pateat ad tantæ infelicitatis remedium, quidve in tam arcto constitutis articulo expediat, inter se conferentes flebili disceptatione inquirunt. Intelligunt, ad conscientias suas revertentes, quod propter injustitias suas humiliati sunt, et id solum restare consilii ut qui iniquæ actionis pondere premebantur, misericordissimæ Virginis et justorum mediante suffragio auctorem justitiæ interpellarent, ut juste afflictos de misericordia sublevaret. Igitur deliberant corde contrito et humiliato spiritu in utriusque sexus multitudine ad ecclesiam gloriosæ Dei Genitricis apud Oxomam festinare et sub illius tutissimum præsidium confugere ac in ea jam dicti præsulis visitare sepulcrum, juvenes et virgines, senes cum junioribus, ut ejus precibus periculosa clades, quæ imminebat, abscederet. Quo summa cum festinatione venientes, lacrimabili clamoris instantia, continuato gemitu, planctu incessanti, in eadem ecclesia sepulcro beati viri assistentes, pium sollicitant pastorem ut, qui populum spirituali alimento pascere consueverat manens in terris, jam habens conversationem in cœlis eumdem corporalibus reficeret cibis, et ejus oratione culpa dimitteretur quæ pœnam siccitatis induxerat. Quia vero juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, nolens differre quod statuerat conferre, sanctum suum mirificans, quem advocatum misera turba apud misericordem constituerat, non sprevit precem eorum, nec sunt fraudati a desiderio suo. Accelerata enim miseratione, quæ est super omnia opera ejus, montes de superioribus rigavit, ut pari beneficio recreata valle abundarent frumento et esset germen in vineis et, Domino dante benignitatem, fructum suum daret et terra. Vota quidem supplicantis populi tanta secuta est grata pluvialium aquarum

inundatio, ut perfusum optatis imbribus terræ gremium reviresceret ad desideratam fecunditatem, quod prius arescere cœperat ad odibilem sterilitatem.

27. Exauditi vero, indubitanter attendunt quod merito clarissimi confessoris et pio interventu illius immensa Dei clementia pestiferam aeris inclementiam in rorantem auram commutavit et humum squalore compressam vultu sereniore induit. Laudant itaque Dominum in sancto suo, qui respexit orationem humilium et non avertit faciem suam, cum clamarent ad eum. Gratias referunt, laudes decantant, præconia solvunt et ei, cujus imperio, immo nutui, per effectum, per experientiam elementa et ex his subsistentia cognoverunt obedire. Adeo, ut traditur, larga effusione apertis cataractis copia distillabat imbrium, ut, præ multa descendentium aquarum densitate, libros, campanas et alia quædam ornamenta ecclesiarum, quæ secum detulerant, apud Oxomam dimittere oporteret, ne, secum deferentes regrediendo ad propria præ gaudio serenitate non expectata, vehementiæ dilabentium nimborum non sine detrimento exponerent.

28. Cumque hinc gaudio, illinc admiratione repleti, catervatim concurrunt ad memorabilis viri sepulcrum et circumstantes patronum et intercessorem suum densa cingunt corona, quidam ex iis qui de Gormaz (1) venerant, minus discretus, super idem sepulcrum residere non formidavit. Quem cum quidam de circumstantibus, præeminentior ratione ac devotione præstantior, increparet, de tanta præsumptionis temeritate et talem excessum ultrice pœna plectendum publice ediceret (conveniens enim erat ut ejus corpus apud homines in honore haberetur cujus anima cum magna veneratione ab angelis lucis fuerat suscepta), tale sive superbe sive minus caute memoratur dedisse responsum : *Mortuos vereri non didici, nec in hanc erroris incidi voraginem nec ea teneor superstitione devictus ut vel profitear vel profitentibus consentiam carne exutos posse quid-*

(1) Cfr. supra, num. 7 ; infra, num. 32.

quam molestiæ in viventes exercere. Quo enim ultionis genere ei qui jam exspiravit in quosquam spirantes adhuc vindicare sit concessum, me prorsus confiteor ignorare. Vix præmissæ responsionis serie expleta in eum quem præfatus sum modum, lapis sarcophago superpositus, cooperculum videlicet sepulcri, supra quod temerarius ille resederat, quasi validissimo impetu introjacentis elevatur, ita ut præsumptuosum sessorem a sede quam indigne conscenderat, præcipitaret in decessum. Qui graviter corruens humi prostratus est; et qui voluit erigi dejectus est, exanimisque effectus in tantum elisus est ut naturali et consueto membrorum motu destitutus, artubus solito privatis officio, sui non compos domum reduceretur; ceterisque gaudentibus quod votiva salus advenerit, hic solus dolebat quod contrarium saluti reportaverit. Dumque aliquamdiu intolerabili languore correptus excruciaretur, et infinita Dei pietas inflictæ pœnæ terminum decrevisset imponere et opem ferre ægrotanti super lectum doloris ejus, divina providentia disponente, a quibusdam qui infirmatum visitare venerant salutiferum datum est consilium ut ad eum reverenter accederet cui reverentiam non exhibuerat, ut humilitate prætenta, per eam placaret hunc quem in illa ostensa superbia offenderat, et in quo adversus se sævitatis provocaverat sententiam, per eumdem misericordiæ impetrata lenitate respirarat. Æger acquiescit, et Oxomam perductus ante sepulcrum sancti viri, et vigiliis se affligit, orationibus sine intermissione insistit, intermiscet lamenta, stratum lacrimis rigat, veniam postulat de excessu. Pater itaque misericordiarum et Deus totius consolationis aurem suæ benignitatis inclinans ad clamantis gemitum, per merita electi sui pristinam quam amiserat ægrotanti restituit sanitatem. Ex quo munere evidenter apparet quod custodit Dominus ossa ejus, cujus vasculum, in quo sanctæ reliquiæ sui spiritus jubentur resumptionem expectare, ad insedendi usum obsequium exhibere non sustinuit.

29. Ut autem aliqua de multis quæ quidam qui adhuc vivunt viderunt, breviter referamus, noverit fidelium devotio

quod quædam mulier de Turre-Alba (1), cujus per annum vel eo amplius brachium cum manu inseparabiliter pectori adhæserat, cum fide et devotione ad sepulcrum jam dicti beati episcopi accessit. Et celebrata ibi vigilia, cum canonici jam canticum graduum inchoassent, visa est obdormisse; et in ipso somno apparuit ei quidam sacris vestibus indutus, dicens : *Quid hic agis? Surge, quia sana es.* Et arrepto ejus brachio et facto ex ipso sonitu, cœpit cum gaudio clamare et gratias Deo agere quod sanitatem recepisset. Quo audito, seniores, omisso ad horam matutinali officio, pulsatis campanis, *Te Deum laudamus* cum mentis hilaritate decantaverunt.

30. Item, cum quædam puellula, quæ per medium annum vel eo amplius loquelam amiserat, ad idem sepulcrum cum parentibus suis octavo die ante Natale usque ad horam matutinalem vigilasset, cum seniores jam ingrederentur ecclesiam, petivit a matre sua quod daret sibi aquam, quia vellet bibere. Unde canonici in vocem exultationis et confessionis, pulsatis campanis, cantaverunt *Te Deum laudamus.*

31. Item, cum adolescens de claustro nostro anno transacto a Pentecoste usque ad diem Cœnæ quartanis frigoribus laborasset, die Cœnæ cum canonici ex more altaria abluissent, et sæpedictum sepulcrum abluissent, jam dictus adolescens petivit ab alio adolescente aquam de sepulcro in faciem jactare, ut reciperet sanitatem. Et ita per beati viri merita et Dei gratiam factum est ut de tam longa et gravi infirmitate omnino fuerit liberatus.

32. Præterea, cum quidam clericus in villa quæ dicitur S. Stephani (2), in catenis captus teneretur, contigit media die quod quidam veniret ad eum, dicens : *Egredere foras, veni mecum.* Et cum interrogaret eum quis esset, respondit : *Ego sum Petrus, Oxomensis episcopus.* Et egressus cum eo per mediam multitudinem populi quæ ea die ad forum con-

(1) Hispanice *Torralba*, prope Burgum de Osma, duabus leucis vel circiter distans. — (2) Hispanice, *San Esteban de Gormaz*. Cfr. supra, nn. 7, 28.

venerat, nemine eos vidente, venit ad Oxomensem ecclesiam catenas deferens, quæ longo tempore super sepulcrum ejus jacuerunt.

33. Item accidit præter enumerata non sub silentio prætereundum. Quidam, qui Joannes Telli (1) dicebatur, male, prout quidam sui temporis asserebant, in Oxomensem episcopum electus fuit. Qui morte præventus, antequam in episcopum ordinaretur defunctus est et juxta beati episcopi sepulcrum tumulatus. Cum autem ibi jacuisset aliquo tempore, accidit quadam nocte quod, cum sacristæ dormirent et unus eorum, qui Anaia dicebatur, adhuc vigilaret, vidit quod quidam indutus sacris vestibus cum mitra et cambuca (2) exivit sepulcro B. Petri, et flexis genibus ante altare beatæ Virginis et, prout visum sibi fuit, facta ibi oratione, ivit ad sepulcrum domini Beltrandi episcopi (3), et vocavit eum. Quo egresso, ambo ad sepulcrum domini episcopi Stephani (4) perrexerunt. Eo etiam vocato et egresso, tres simul in ordine, medio autem beato Petro, ornati pontificalibus indumentis ad altare beatæ Virginis accesserunt. Et facta ibi oratione et assumptis de altari duobus candelabris cum candelis accensis, quæ adhuc habentur in ecclesia Oxomensi, ad sepulcrum supradicti electi devenerunt, et percutientes cum cambucis in sepulcro clamaverunt : *Egredere, egredere.* Quo introrsus quasi ejulando reclamante : *Egrediar*, ipsi amplius eum perurgebant et cogebant ut egrederetur. Tandem eo egresso quasi phantasmate teterrimo ipsis insequentibus eum, et ad januam ecclesiæ fugiente, ipsis insequentibus eum, supradictus episcopus Stephanus jecit post eum candelabrum, quod portæ infixum est et altera die videntibus multis inde extractum (5). Quo ita ejecto, redeuntes simul ad altare beatæ Virginis et facta ibi oratione beatum Petrum episcopum ad suum tumulum cum magna

(1) Hispanice *Juan Tellez*, qui electus anno 1147, eodem anno obiit. *Tellez-Pacheco* nomen est hodie familiæ nobilissimæ territorii Oxomensis. — (2) Alias cambuta, seu baculo pastorali. — (3) Beltrandus, secundus successor B. Petri, ab anno 1128 ad annum 1140 sedem tenuit. — (4) Successor præcedentis. Sedem tenuit septem annis. Cui succedere immediate debuisset Tellius. — (5) Et hodiedum ostenditur piis fidelibus.

reverentia reduxerunt. Eo autem introgresso, uterque ad suum est regressus.

34. Eadem autem nocte et hora qua hæc facta sunt, accidit magnum tumultum fieri in villa et præcipue circa domos consanguineorum supradicti electi. Audiebant enim quemdam ejulando clamantem : *Ite et extrahite me de sepulcro, quia non possum ibi amplius immorari.* Altera autem die colloquentes ad invicem de tumultu et de voce quam audierant plurimum admirantes, omnes ad ecclesiam convenerunt et invenerunt canonicos de visione quam retulerat eis prædictus Anaia similiter admirantes. Inde ex duplici visione certificati quod Deus nollet sæpedictum electum juxta beati Petri tumulum jacere, dilatione postposita extraxerunt et humiliori loco ecclesiæ, ubi modo jacet, posuerunt.

35. Item, cum quidam canonicus noster post matutinas quadam die dominica dormiret, audivit ipsum episcopum super duo corpora in claustro dicentem hanc orationem : *Deus, qui hanc sepulturam per famulum tuum consecrasti, eam per ministros tuos tua benedictione adimple.*

36. Hæc quæ jam enumerata sunt hisque multipliciora operum signa, quæ non sunt in libro hoc, Dei potentiam per beatissimum pontificem Petrum constat ostendisse, ut merito exaltetur in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudetur, quem exutum carnis mole stola gloriæ induit Dominus et de valle miseriæ ereptum in monte sancto suo jussit requiescere. Qui quinque talenta sibi credita multiplicata resignavit : supra pauca dudum fidelis, demum supra multum constitutus intravit in Domini sui gaudium; cujus nos jubeat esse participes qui dedit illi fungi sacerdotio, defungi mundo, vivere Deo et nomine æterno hereditavit in secula seculorum. Amen.

VITA
B. JOANNIS A TAUXINIANO
EPISCOPI FERRARIENSIS
AB ANONYMO COÆVO CONSCRIPTA

NUNC PRIMUM EDIDIT

ALOYSIUS ALBERTAZZI

ARCHIPRESBYTER TAUXINIANENSIS.

Brevis hæc Vita beati Joannis a Tauxiniano, episcopi Ferrariensis (1), ab auctore anonymo exarata, transcripta fuit per me infrascriptum ex apographo asservato in tabulario ecclesiæ archipresbyteralis Tauxiniani. Quod exemplar, utpote exscriptum vel ex alio apographo cum iisdem erroribus, quod mihi est probabilius, vel ex ipso autographo per manum amanuensis latini sermonis penitus imperiti, innumeris scatet mendis (2).

Lucubratio illa nota fuit cl. Antenori Scalabrini, canonico Ferrariensi (3), qui ea usus est in componendis notis quas adjecit Vitæ a Bollandistis editæ (4), uti patet ex nonnullis locis ubi, verba documenti nostri citans, hæc a se hausta significat ex quodam *auctore contemporaneo* (5). Attamen autographum nec Ferrariæ nec alibi reperitur, neque aliud exemplar novimus præter præsens, licet plures inquisitiones per viros eruditos factæ fuerint.

Jam, quod ad hujus Vitæ scriptorem spectat, coævum se beato fuisse non uno loco perspicue indicat. Etenim testes oculatos appellat qui, ait, *testari possunt* ea

(1) De quo satis fuse egerunt Bollandiani in *Act. SS.*, tom. V Julii, p. 783-822. — (2) Hæc tamen menda non ita a scribendi genere istius ævi abhorrent ut pleraque ipsi primario auctori adscribi non posse videantur. Unde ea in editione nostra non duximus corrigenda, sicut nec italicismos plurimos qui hinc inde in hac scriptione occurrunt, ut (num. 2) *sisma* pro *schismate;* (numm. 3, 31) *contrata;* (num. 5) *inchinabat, poveribus;* (num. 12) *ambasiatores;* (num. 17) *lulii* (mensis); (num. 18) *Ser, physicus, comperapta* (pro *comprata?*); (num. 28) *Ser, insigniam.* At omnino librario qui apographum nostrum descripsit attribuendæ sunt lacunæ nonnullarum vocum unde subinde sensus mancus redditur; quæ proinde nobis supplendæ fuere, uncinis tamen inclusæ, quibus monetur lector illas in apographo non legi. — (3) De quo vid. *Act. SS.*, tom. cit., p. 783, num. 2. — (4) Ibid., p. 787 sqq. — (5) Exemplum habes inferius in nota 7 ad num. 6.

quæ de beati caritate erga pauperes referuntur (num. 28 init.); aliud hujus caritatis insigne documentum tanquam a se ipso observatum memorat (num. 25 init. et fin.); ac denique testem oculatum se fuisse ipse significat cujusdam miraculi a beato patrati (num. 29 fin.). Jesuatum etiam se demonstrare videtur, dum, nonnulla quæ fere solis fratribus qui cum B. Joanne familiariter vivebant nota fuissent recensens, utitur verbis *Recordamur, Recordamini* (numm. 25, 26). Nec obstat quod (num. 19) bis S. Augustinum *patrem nostrum* vocat : nam regulam S. Augustini ab exordio professos esse Jesuatos satis consentiunt qui de eorum historia scripserunt, quamquam postea S. Hieronymum sibi peculiarem patronum delegerunt, unde et fratres Jesuati S. Hieronymi sunt appellati (1), atque proprias illorum Constitutiones conscripsit B. Joannes Tauxinianensis (2); et confirmatur ex Bulla Clementis PP. VII sub die 31 januarii data, qua ipsis omnia Augustinianorum privilegia concessit.

Coronidis loco non pigebit nonnulla hic adjicere de cultu Beati præter ea quæ in sua de eadem materia commentatione memorarunt Bollandistæ (3). Itaque, decreto dato die 20 julii 1748, Benedictus PP. XIV officium cum missa de communi Confessorum Pontificum sub ritu duplici, quod in ecclesia Sancti Hieronymi Ferrariæ quotannis die ejus natalitio ab immemorabili recitabatur, extendit ad clerum secularem et regularem totius civitatis et diœcesis Ferrariensis. Altero decreto ejusdem pontificis die 20 septembris 1749 eadem gratia indulta est *Clero Terræ Tusciniani tantum* in diœcesi Imolensi. At Gregorius XVI die 27 januarii 1832 eamdem missam cum officio sub ritu duplici minori concessit universæ diœcesi Imolensi. Pius vero PP. IX, olim hujus diœceseos, in qua natus est B. Joannes, antistes, die 17 julii 1846, vix uno elapso mense ex quo Summus Pontifex creatus fuerat, universo clero Imolensi et Ferrariensi non solum lectiones, sed etiam missam propriam concessit atque indulsit.

ALOYSIUS ALBERTAZZI,
ARCHIPRESBYTER ET VICARIUS FORANEUS
TAUXINIANI IN DIŒCESI IMOLENSI.

De B. Joanne, episcopo Ferrariensi.

1. Ortus est Joannes in castro Tausignani, diœcesis Corneliensis (4), de anno MCCCLXXXVI. Pater fuit Antonius Tavella (5), mater Margarita. Fratres habuit et sorores. Erant de primis illius terræ et nobiles. Missus a patre Bono-

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. VII Julii, p. 345, num. 91 et p. 351, num. 139. — (2) Cfr. ibid., p. 347, num. 111, et tom. V Julii, p. 805, num. 7. — (3) Tom. V Julii, p. 783-785. — (4) Seu Imolensis. *Imola* siquidem antiquo nomine dicitur Forum Cornelii. — (5) Itaque ex auctore coævo confirmatur verum nomen matris Beati fuisse *Margaritam*. Cfr. *Act. SS.*, tom. V Julii, p. 791, annot. *c*.

niam, legibus et juri civili studuit; et pater divendidit agrum, ut lauream doctoralem sumeret. Qua decoratus (1), inscio genitore ad locum S. Eustachii Bononiæ pauperum Jesuatorum confugit, ibique a viro Dei Spinello habitum sumpsit religionis de anno MCCCCVIII.

2. Statim missus est Venetiis, ibique sanctitate, virtutibus clarescere cœpit, præsertim charitate et humilitate. Furente sisma contra Gregorium XII Petri de Luna, cum aliquibus sui Ordinis religiosis adhæsit parti Gregorii, et vocatus cum aliis Ariminum petiit, ubi solatus est pontificem in tanto rerum discrimine.

3. Rediit Bononiam anno MCCCCXXVI, ubi conventus S. Hieronymi (2), quamvis renuendo, per obedientiam regimen accepit. Dein Ferrariam venit, cupidus erigendi oratorium prope domos quas suo Ordini Nicolaus Ziponarius ab Auro penes oratorium Societatis Battutorum *della morte*, in parte inferiore civitatis, in contrata S. Mariæ in Vado, legaverat et donaverat usque de anno MCCCLXXIII; et a Petro Boiarde, stirpis claro, episcopo Ferrariensi, facultatem obtinuit de anno MCCCCXXVIV, die XXVI aprilis, erigendi oratorium (3) Petri de Lardis, episcopi cancellarii. Fabricæ oratorii S. Hieronymi non solum industria et eleemosynis sibi datis incubuit enixe, sed etiam operibus manualibus et quæstubus. Nam cum per Romagnam eleemosynam quæreret, nocte cum socio explorator creditus, a militibus Forilivii prope eamdem urbem captus, in carcerem injectus; donec Potestas ad solam contemplationem et visum speciei hominis dimissus est.

4. Factus Prior conventus Ferrariensis, accidit ut antistes ejus civitatis, Petrus Boiardi, dignitatem pontificalem abdicasset (4). Qua dimissione ecclesia Ferrariensi suo viduata pastore, electus est Frater Bernardinus de Senis, ex Albi-

(1) Itaque Joannes noster laurea doctoratus insignitus fuit, contra quam indicare videtur Vita edita in *Act. SS.*, nn. 12 et 14. — (2) In civitate Ferrariensi. Cfr. *Act. SS.*, t. c., p. 791, n. 18. — (3) Hic locus mutilus est, et addenda sunt verba quæ leguntur in Annotatis ad Vitam latinam in apographo Scalabriniano : *ut ex rogitibus (rogiti* appellantur in Italia notarialia instrumenta) *Petri Francisci de Lardis, notarii cameræ episcopalis.* — (4) Cfr. *Act. SS.*, p. 794, annot. *a*.

cesca familia natus, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia sancti Francisci, qui erat prædicator celeberrimus; sed propter humilitatem renuntiavit et a civitate Ferrariensi aufugit (1). Quapropter Nicolaus marchio Eugenio IIII, pontifici maximo, scripsit ut ecclesiæ Ferrariensi præficeret aut Jacobum de Oratoribus Ferrariensem (2), tunc archipresbyterum Mutinensem, postea episcopum Sebastensem; aut Fratrem Joannem de Tausignano, Priorem Fratrum Jesuatorum conventus S. Hieronymi de Ferraria, a clero capitulariter congregato electos.

5. Dominus Papa inchinabat multum ad electionem archipresbyteri. Sese * improviso dolore intestinali correptum sentiens, de electione facienda cardinalibus verba habuit, eisque suam indicavit sententiam; sed semper crescebat dolor, donec et usquequo, quasi inspirante Deo, sententiam mutavit, et in locum Jacobi Joannem ex poveribus Jesuatis episcopum declaravit, die XIX octobris MCCCCXXXI, et statim evanuere dolores.

* *an pro* Sed se ?

6. Summa rei fuit Joannis (3), qui, uti erat humilissimus, reluctans, onus sibi impositum et dignitatem sibi datam subire nolebat, donec jussu obedientiæ Domini Papæ obtemperavit. Et quoniam tantum clericus (4) erat, accessit ad R[mum] Patrem Fratrem Matthæum, Ordinis Prædicatorum, episcopum Mantuanum (5), a quo sacros ordines suscepit et insuper episcopus consecratus est. Residebat nunc Ferrariæ R[mus] in Christo Pater Dnus Dnus Thomas de Pecondelis (6), nobilis Ferrariensis, archiepiscopus Ravennas. Qui nolentes * ecclesiæ suæ jugum imponere servitutis, Joannes ab extraneo episcopo consecrationem accepit, ut servaret privilegia suæ ecclesiæ (7). Thomas non se exhibuit, ne videretur facere quod non debebat.

* *eg.* nolens.

(1) Cfr. ibid., annot. *c.* — (2) Cfr. ibid annot. *f* et tom. III Aug., p. 518, F, ubi de eodem Jacobo, ad diem 18 inter Prætermissos agitur. — (3) Forsan hoc loco nonnulla verba exciderunt. — (4) Cfr. *Act. SS.*, p. 794, annot. *e.* — (5) Cfr. ibid., p, 796, annot. *c.* Hoc loco in codice nostro spatium aliquot vocum vacuum relictum est. — (6) Lege *Perondolis.* Cfr. infra, n. 20 et Ughelli, *Italia Sacra,* tom. II, p. 390 ed. Coleti. — (7) In annotationibus apographo Tauxinianensi a Scalabrino adjectis legimus hoc loci: *Nec* (Joannes) *a Thoma Perondolo Ferrariensi, archiepiscopo Ravennate,*

7. Cara fuit hæc electio R^{mo} Fantino, legato apostolico Bononiæ, qui multum de Joanne et ejus doctrina sentiebat; quapropter suum coadjutorem in legatione constituit, et causas in Romandiola et Marcha Trivisana (1) ei definiendas legavit.

8. Statim ac ecclesiæ regimen suscepit, visitationis ecclesiarum sibi subditarum officium suscepit, et incipiendo a sua cathedrali, die XXII januarii MCCCCXXXII, laudavit optimam consuetudinem officiandi in choro, dicendo : *Canonici et mansionarii bene deserviunt.* Injunxit autem cappellanis ut die noctuque deservirent, quoniam tenebantur personaliter, quoniam de præsenti sufficienter non deserviebant.

9. Canonici, qui visitationi interfuerunt, descripti sunt : D. Ugulinus de Urbe veteri, archipresbyter ; D. Vincentius de Bischitiis, præpositus, diaconus; D. Añtus de Salla, canonicus sacerdos; D. Petrus de Saliceto, diaconus; D. Jacobus de Misotis, subdiaconus ; D. Bartholomæus de Piljariis (2), subdiaconus; D. Nicolaus de Martelis, diaconus; D. Albertus de Spocratibus (3), sacerdos; D. Nicolaus de Malchiavellis (4), subdiaconus ; D. Lucas de Cantarelis, diaconus : omnes canonici residentes. D. Joannes de Opicis (5), sacerdos ; D. Nicolaus de Rangonibus, diaconus ; D. Adornus de Contarinis, sacerdos, qui se laureare intendebat; et D. Joannes de Comitibus, sacerdos in minoribus studens : non residebant. Mansionarii erant octo residentes.

10. Hoc anno autem fecit ordinationes synodales satis pulchras multumque laudabiles. Totam suam diœcesim visitavit, aut pedester, aut mulam equitando non multum pulchram.

11. Memoriæ traditum est quod, cum inter ceteras reliquias in ecclesia cathedrali invenisset quinque spinas de

tunc Ferrariæ commorante, consecrationem accepit, ne ecclesiæ suæ a jure metropolitico exemptæ præjudicium inferret, ut scribit quidam auctor contemporaneus in suis memoriis. Igitur nostrum compendium notum erat Scalabrino, uti supra monuimus. — (1) I. e. marchia Tarvisina. — (2) Scalabrini legit *Pilizariis*. — (3) Scalabr., *Ipocratibus*. — (4) Scalabr., *Malchiavalis*. — (5) Scalabr., *Opicibus*.

corona Christi Domini a Terra Sancta asportatas ab illis de Bagatis, admiratus quod tantæ reliquiæ pretiosæ ibi essent, omnes in thuribulo incenso projecit. Ex quinque tres crematæ sunt, quæ erant falsæ; duæ autem pretioso sanguine tinctæ incolumes ab odore ignis perseveravere; quæ inclusæ inter crystalla et argento linita adoranda porriguntur et exponuntur populo.

12. Die xxvi januarii mccccxxxii in ecclesia cathedrali baptizavit solemniter filium marchionis Nicolai, domini nostri, quem illi peperit domina Rizarda, ejus uxor, et nomen illi impositum est Hercules; et eum levavere de sacro fonte ambasiatores Venetorum et Florentinorum. Sigismundum imperatorem reducem in Germaniam, postquam coronam imperii ab Eugenio IIII suscepit, in limine portæ S. Gregorii suscepit ; et baptizavit die viii septembris filium domini Marchionis antedicti in cathedrali, levatum a domino imperatore, et in gratiam suam imposuit illi nomen Sigismundus, de anno mccccxxxviii (1).

13. Die xxiv januarii mccccxxxviii, Dominus Papa venit Ferrariam ad celebrandum concilium generale cum multis cardinalibus. Die iiii martii, Joannes Palæologus, imperator Græcorum, Constantinopoli venit cum Demetrio, fratre suo (2). Qui a marchione Nicolao essent (3), ad habitandum positi sunt in palatio Paradisi penes ecclesiam S. Clementis. Die vii martii venit Dominus Joseph, patriarcha Constantinopolitanus, Alexander Antiochiæ et multi alii prælati orientales.

14. Translatum fuit Florentiæ concilium Ferrariense per Dominum Papam, ubi adivit ipse cum imperatore et ceteris proceribus pro dubio pestilentiæ, mccccxxxix de mense januarii. Joannes, noster episcopus, non ivit tam cito ; sed misericordia motus erga pauperes infirmos, ad eos sublevandos remansit, parvi pendens pestilentiam.

15. Inter hæc contra eum mota est seditio, instigante

(1) Immo mccccxxxiii. — (2) Post hanc vocem iterum occurrit lacuna aliquot vocum in codice. — (3) Ex notis Scalabrini ita hæc supplere licet : *Qui cum a marchione Nicolao festive recepti essent.*

antiquo hoste, qui per os cujusdam sui cappellani venena contra decus, honorem et sanctitatem antistitis sui diffudit, et usque ad aures Nicolai marchionis pervenire fecit; unde sanctus vir discedere coactus, sequens illud evangelicum * [* *cod.* evangelium.]: *Cum persequentur vos in civitate hac, fugite in aliam;* et ad concilium jam ultimandum Florentiæ pervenit, ibique Domino Papæ acceptissimus, apud eum stetit, donec Marchio de impacta calumnia securus, precibus cleri et populi redire ad ecclesiam suam invitatus est (1).

16. Ac statim assumpsit visitationis officium suarum ecclesiarum de mense decembris MCCCCXL, et invisit canonicos suffectos in locum præmortuorum, Dominos Domnum * [* *cod.* fnum.] Joachim de Canceleriis, D. Nicolaum de Basso, D. Nicolaum de Bechuriis (2), D. Antonium Estensem, D. Theodosium Spetiam.

17. Die XIV lulii sacravit ecclesiam S. Mariæ de Balflore (3), quam ædificari fecit domnus marchio Nicolaus cum monasterio, quem attribuit Fratribus Prædicatoribus de Observantia.

18. Contigit interea his temporibus quod celebris et eximius physicus S[r] Peregrinus, cognomento *della Checa* (4) de Arquadò, moreretur; et omnia ejus bona in maxima quantitate reliquit pauperibus Christi. Ideoque sanctus præsul, volens providere pauperibus infirmis de loco capaci ad eos consolandos et curandos, quamvis multa per civitatem essent xenodochia, et plerumque propter paupertatem et dissidia gubernatorum reddita erant inutilia, una cum domno marchione Nicolao comperapta * [* *lege* comprata, *i. e.* empta?] prope monasterium S. Annæ, per Fratres S. Basilii de Armenia solitum habitari arra * [* *lege* area?], ibidem fecit fodi fundamenta ad ædificandum xenodochium cum facultatibus ejusdem Peregrini physici; in quibus jactandis ipsemet primum lapidem jecit, signatum nomine Domini nostri Jesu Christi.

19. Die XII martii, in solemniis S. Gregorii papæ, MCCCCXLI,

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 819 sq., n. 85-94. — (2) Scalabr., *Bechariis.* — (3) Scalabr., *Belflore.* Cfr. infra, num. 21. — (4) Scalabr., *Cæca.*

magno suscitato conventu per sororem Elisam, filiam Fr. Joannis *del Gallo*, civis Ferrariensis, ubi cum quatuordecim suis sociis ad serviendum Deo sub regula D. Patris nostri Augustini morata est, solemnem professionem et vota emiserunt Deo in manibus sancti præsulis. Qui etiam hac die consecravit ecclesiam ad honorem Dei sub vocabulo S. Patris nostri Augustini.

20. Magnificus comes Ugucio de Contrariis die XXVI decembris veniens Ferrariam, attestatus est coram populo qualiter domnus marchio Nicolaus mortuus erat Mediolani. Tunc congregati sunt omnes proceres civitatis Ferrariæ hora decima quinta in palatio domnorum de domo Estensi, et post multas discussiones, quamvis essent filii legitimi et nolēs *, Hercules et Sigismundus, qui erant infantes, attamen, proclamante Joanne Walengo, judice XII Sapientum (1) : *Fiat dominus Leonellus,* et omnes tam nobiles quam de plebe elevaverunt vocem, dicentes : *Fiat.* Tum illi paratus est equus albus pomellatus, qui vocabatur *bella donna,* et equitavit per totam terram, ita ut ab omnibus salutatus est ut dominus *, succlamante populo. Tandem ad episcopatum pervenit, ubi a R^{mo} Thoma Perondello, archiepiscopo Ravennæ, acceptus, post sacrificium missæ R^{mus} Domnus Joannes de Tausignano, adjuvante archiepiscopo, de virga regiminis investitus est : et Mag^{cus} Joannes Walengo illi biretum imposuit, ad honorem Dei omnipotentis, beatæ Virginis Mariæ et sanctorum martyrum Georgii et Maurelii Ferrariæ patronorum ac conservationem totius populi Ferrariæ.

* *ita cod.*

* *cod.* domninus.

21. Die XXX ejusdem mensis conductum est Ferrariam corpus olim domni marchionis Nicolai, et sepultum est ad ecclesiam sanctæ Mariæ prope palatium Belfloris absque pompa.

22. Cum moreretur Ferrariæ R^{mus} Domnus Thomas, Ravennæ archiepiscopus, exuviis suis, antequam sepelirentur in arca marmorea, in qua reconditum est apud Fratres S. Dominici, extrema munia solvit die XX octobris. —

(1) De hoc magistratu cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 804, annot. *l*.

MCCCCXLV. Huic erat multus carus et confidentiæ adstrictus, ita ut ejus diœcesim visitandam sibi commendarit: quod optime persolutum est.

23. Sed de miraculis ejus et de operibus pietatis quid dicenda sunt, quæ tam mirifico excoluit cultu apud Deum et homines, ut meruerit, etiam adhuc vivens, vocari sanctus? Nonne pluries se despoliavit ut nudos cooperiret et in domo propria et in publica via?

24. Çum ad episcopatum semel veniret, vidit pauperem necdum eleemosynam a se postulantem, et dixit domui præfecto ut illi provideret. Qui respondens: *Domine, non habeo quid illi porrigam; omnem numum expendi in eleemosynis et in rebus domesticis providendis,* episcopus, ne pauper disce-
* *leg.* arrepto?
deret inconsolatus, ad suam cellulam perrexit et, erepto *
* *cod.* due.
cultro, culcitram suam lectuli sui, quæ * in duas erat suta partes, per medium scidit, et medietatem pauperi dedit, ut se cooperiret; vere novus Martinus.

25. Nonne recordamur quod, cum a visitatione ægrotantium [rediret], pallium suum novum secum non rediit, quoniam infirmo indigenti reliquit? Qui, postquam ab infirmitate curatus est, venumdatum apud Hebræos vidimus.

26. Recordamini quoniam, cum per civitatis burgos ambulasset, ingressus est quoddam palatium, et sibi traxit brachas, ut pauperi, [qui] quæ natura abhorrere solet demonstrabat, daret.

27. Cum ad ecclesiam procederet, sacerdotem ruralem
* *cod.* compertum.
indigentem, vestitu lacero et sordido coopertum * [videns], ne
* *leg.* abstraxit.
dedecus esset clericali statui, suam sibi attraxit * vestem et sacerdoti donavit.

* *cod.* nostri.
28. Ser Martinus Selpivetto (1), civitatis curiæ nostræ * cancellarius, et Paulus Bracius, tabernarius ad insigniam Campanæ, qui inopinato adspectati sunt per januam, testari possunt quod, cum secum loquerentur, in camera sua supervenit leprosus ulceribus plenus, nuditate et mendicitate compassionabilis; et statim episcopus, arreptis post januam

(1) Seu *Schiveto.* Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 798, n. 55 extr.

cameræ de pissanella vestimentis suis, mendicum induit et dimisit, credens quod iret postea in pace. Conceptum sermonem cum terminare vellet, ipsis videntibus disparuit pauper, relictis vestimentis in terra. Omnes crediderunt quod Dominus noster Jesus Christus in forma leprosi ab eo vestitus sit. Sed cum jussisset sub vinculo obedientiæ domnis ibi præsentibus ne ulli unquam patefacerent hoc miraculum, post mortem ejus ad * gloriam Dei hæc omnia tamquam testes de visu in attestationem sanctitatis ejus obtulerunt.

* *cod.* et.

29. Quid plura? Septata est Ferraria tota jam Pado furente, aquis ejus obrutura. Timebant nobiles possessionum suarum inundationem, plebei familiarum excidia et domorum periclitantium dissidia. At sanctus vir eos confidere in Domino dixit, et indicta * supplicatione, cum clero ad portam Sancti Pauli accedens, jussit flumini ut statim inter alvei sui margines properaret, nec timorem civitati incuteret; et projecta in eo cedula ita inscripta : *In nomine Jesu Christi tibi impero, Pade, ut ad tuum redeas cito locum,* statim obediente flumine voci antistitis, tornioso gurgite aridam, quam invadere studebat, reliquit. Et nos hæc vidimus.

* *cod.* indita.

30. Suis etiam famulis usus est misericordiam. Cum quadam die hortolanus, cui in locationem domus præfectus concesserat hortum mensæ episcopalis, obtulisset pactam pecuniam in monetis æneis, quæ præfecto non placebant, eum dimisit, minitando * quod, si bonam non perferret monetam argenteam, contra eum vires justitiæ adhibiturum. Inconsolatus et lacrimosus discessit hortolanus, et invenit quemdam amicum suum, qui, intellecta causa sui mœroris, ei consilium præbuit ut pecuniam quam secum habebat, perferret ad episcopum. Statim amici bene consulentis injuncta fecit, et ingressus patentem omnibus cameram episcopi, ei obtulit * pecuniam a præfecto repudiatam. Qui dixit illi : *Noluit ille, volo ego; sed ad tuas succurrendas indigentias sume quantum tibi placet.* Renuens hortolanus; sed tamen ab episcopo iterum invitatus, pro se retinuit non modicam quantitatem, et ivit in pace. Tunc episcopus, ferens sacculum

* *cod.* minuando.

* *cod.* asulit.

pecuniæ, venit ad plateam, ubi pauperes quotidie ad januas palatii morabantur, et eis omnem distribuit reliquum numum.

31. Mirum non est si, Dei inspiratione admonitus de statu miserabili cujusdam puerperæ super paleis jacentis in civitate Ferrariæ, statim accersivit præfectum, cui imposuit ut de necessariis indigenti feminæ provideret. Admiratus præfectus petiit unde habitaret : *Sume*, inquit, *sudariolum hunc; et ubi tibi ceciderit in terram, ibi moratur.* Subridens præfectus, onerato portitore * de tectulo et comestibilibus, egressus est palatium, dicens : *Tam stricte sudarium tenebo ne mihi cadat;* et eum circa manum involvit. Sed cum * circuivit civitatem per andronam, qua itur ad domum domni Alberti de Bonacolsis, inter fines contratæ basilicæ S. Mariæ de Bucca, credens sudariolum in manibus se tenere, portitor illi dixit : *Collige sudarium quod tibi * cecidit.* Statim stupore circumventus, rubore vultum cooperuit, et sanctitatem agnovit domini sui. Ostium pulsat et vidit feminam jacentem sub scala; et eleemosyna abundanter elargita, redit ad episcopum, non ut primo discesserat; et toto tempore vitæ suæ non cessavit hoc patefacere miraculum.

* *cod.* portore.
* *cod.* eum.
* *cod.* sibi.

32. Quotiens super caput beati celebrantis divina mysteria non apparuit Spiritus sanctus in forma igneæ columnæ visibiliter ab omnibus instantibus visæ * (1)? Dæmones suam sensere potentiam; nam aspectus * ejus, relictis obsessis corporibus, fugiere. Tamen * sexagenarius * pœnitentiis, vigiliis afflictus, in morbum incidit sævum *. Quapropter sentiens se vocari ad patriam suam, condidit * testamentum die VIII julii. Postea omnibus munitus sacramentis, et fratribus ac clericis ad concordiam et pietatem hortatis, suaviter efflavit animam. Quam multi viderunt oculis corporalibus euntem in cœlum, specialiter Frater Andreas de Mantua, infirmus in conventu Sancti Dominici a xxv annis; cujus mira visione recreatus, ei salutem petiit, et statim

* *cod.* inuive.
* *leg.* aspectu?
* *leg.* Tandem.
* *cod.* sexagenario.
* *cod.* sævem.
* *cod.* concidit.

(1) Testem hujusce facti adeo illustris quem cupiebant veteres Bollandistæ (tom. cit., p. 810, n. 38 extr.) habemus jam coævum nostrum auctorem.

obtinuit. Sequenti die sanus currens per conventum, magnificans Deum, qui fecit misericordiam populo Ferrariensi ad se vocando beatum episcopum, cujus precibus sanitatem corporis meruit obtinere, quod arte empirica non potuit * per tam longum tempus.

* *cod.* posuit.

33. Scripsit multa soluta oratione (1) ad instantiam Rolilii (2) feminæ sororis Eugenii IIII.

(1) De scriptis B. Joannis inter eruditos fervet quæstio. Vocantur in dubium sequentia :

I. Sermones S. Bernardi pro solemnitatibus totius anni in italicum idioma versi. De quibus in *Act. SS.*, tom. cit., pag. 784, n. 5 et pag. 794, annot. *g*.

II. Interpretatio italica majoris partis Scripturæ sacræ. Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 793-94, n. 29.

III. Interpretatio italica majoris partis Moralium sancti Gregorii papæ. Cfr. ibid.

IV. Interpretatio italica operis S. Laurentii Justiniani cui titulus : Disciplina conversationis monasticæ, quam Paulus Morigia edidit Ticini anno 1591 sub nomine B. Joannis, hoc novo titulo : *Scala de' religiosi.*

Quæ jam sequuntur opera, extra omnem dubitationem Beato nostro attribuenda sunt :

I. *De Perfectione religionis.* Opus asceticum sermone italico compositum a B. Joanne initio sui episcopatus, rogatu monialium SS. Abundii et Abundantii in civitate Senensi; cujus codex ms. in bibliotheca illius urbis asservatur. F. P. Morigia illud edidit Venetiis anno 1580 cum boc titulo non primigenio : *Della perfezione della vita spirituale,* in eoque multa mutavit.

II. Capitula seu Regulæ quas observat Congregatio pauperum Jesuatorum. Quibus adjicitur breve compendium Vitæ hujusce Congregationis fundatoris, B. Joannis Columbini. — Ambo opuscula idiomate latino exarata sunt. Ea edidit J. D. Mansi, archiepiscopus Lucensis, in opere inscripto *Stephani Baluzii Tutelensis Miscellanea,* Lucæ 1764, tom. IV, pag. 566-582. De posteriore opusculo videsis quæ tradit Ferrarius in Vita italica (locus est in *Act. SS.*, tom. cit., pag. 805, num. 4-10 Supplementi Actorum B. Joannis).

Mentio fit in *Act. SS.*, tom. cit., p. 796, annot. *c* Orationis Guarini Veronensis recitatæ ab eo in laudem recens consecrati episcopi Ferrariensis Joannis nostri coram marchione Nicolao, magistratu ceterisque proceribus civitatis. Hæc oratio duobus abhinc annis excusa fuit et editio sacerdoti novensili dicata. — (2) Apud alios dicitur Polissena, uxor Nicolai Barbi et mater Pauli papæ II. Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 793 sq., n. 29. Videtur igitur *Rolilii feminæ* esse mala lectio pro *Polissenæ.*

34. Ejus corpus magna pompa tumulatum est ad ecclesiam pauperum Jesuatorum, ut ipse in testamento jussit, die XXX (1) julii. Obiit autem die XXVI (2) [julii] anni MCCCCXLVI Domini.

(1) Corrige *die XXV.* Sic enim legitur in publicis tabulis municipii Ferrariensis hujus ætatis : *Domenega a dì 24 de Luio 1446 Messer Zohane da Tusignan, Vescovo de Ferrara, questo dì a ore 14 passò da questa vita, e luni a dì 25 del dito a ore 15 fue sepelido a luogo de poveri Iesuati da li Chapuzoli bianchi*, etc., etc. Memoria hæc refertur a Ferrante Borsetti in *Histor. Ferrarien. Gymnas.*, pag. 52 edit. Ferrar. 1735, a Manini, *Compendio della storia sacra e politica di Ferrara*, p. 77, lib. 3 et a Cappelletti, *Le Chiese d'Italia*, tom. IV, p. 134. — Similis annotatio reperiebatur ad calcem antiquissimi breviarii quo Beatus utebatur ; cujus rei documentum penes nos extat. — (2) Corrige *XXIV.* Vide notam præc.

ACTA SANCTI MARIS

ASSYRIÆ, BABYLONIÆ AC PERSIDIS SECULO I APOSTOLI

ARAMAICE ET LATINE

EDIDIT NUNC PRIMUM

J.-B. ABBELOOS, S. T. D.,

DOMUS PONTIFICALIS PRÆSUL

ARCHIEPISCOPI MECHLINIENSIS VICARIUS GENERALIS.

PROLEGOMENA.

Narratione aramaica, quam una cum versione latina typis mandamus, quum Osrhoënæ ad fidem christianam per Adæum, Thomæ apostoli socium atque e septuaginta Christi discipulis unum, conversio obiter perstringitur, tum præsertim fusiusque describitur ea quam ab illo beatus Mares accepit missio apostolica quaque per reliquam Mesopotamiam variasque ad Persidem usque regiones fructu pari atque labore diutissime functus est.

Etsi vero *infinita propemodum sunt Syro-Chaldæorum scriptorum monumenta, quæ... memorata de primis ipsorum apostolis confirmant* (1), paululum certe id est quod adhuc de illorum vita ac gestis necnon de ecclesiarum ab ipsis fundatarum primordiis e bibliothecarum latebris prodiisse scitur; et quidem Mar (2) Marim quod attinet, ad ea fere reducitur quæ apud doctissimum J. S. Assemanum leguntur in tribus ejus Bibliothecæ orientalis Clementino-Vaticanæ tomis sparsim prolata (3). Quare hæc codicis nostri editio, etsi ob otii defectum tenuiori eruditionis apparatu instructa, hagiographis ac rerum historicarum curiosis universim satis erit, uti confidimus, accepta et utilis.

Codex iste paginas complectitur quadraginta sex, singulas, præter ultimam breviorem, 24 × 15 centimetris nitidissimæ scripturæ nestorianæ constantes. Descri-

(1) Verba sunt Ill. Georg. Ebedjesu Khayyath in opere : *Syri Orientales seu Chaldæi, Nestoriani et Romanorum Pontificum primatus,* Romæ 1870, p. 163. — (2) *Mar,* latine *dominus,* nomen excellentiæ quo Syri sanctos atque etiam episcopos aliosque viros præstantes designare solent. — (3) Adæi seu Thaddæi ad Agbarum sive Abgarum, Edessæ regulum, missionem memorant Eusebius, *Hist. eccl.,* lib. I, cap. 13 ; vetus codex syriacus quem edidit Cureton in : *Ancient Syriac documents,* pp. 6-23 ; Leroubna Edessenus et Moyses Khorenensis in *Collection des historiens arméniens,* Paris. Didot, 1867. De Mari vero consule *Bibl. Orient.,* tom. I, p. 10; tom. II, p. 387 sqq. ; tom. III, part. I, pp. 299, 306, 341, 506 sq., 584 sqq. ; part. II, pp. 4 sq., 17-24.

ptus fuit in Alqosch, pago itinere decem circiter horarum a Mossula ad septentrionem distante, mense Nisan (Aprili) 1881 (1), nobisque dono missus ab illustrissimo Georgio Ebedjesu Khayyath, civitatis Amidæ, quam hodie Diarbekir nuncupant, archiepiscopo chaldæo. Idem ille præsul, rei ecclesiasticæ ac litterariæ suæ gentis peritissimus, in difficultatibus nonnullis quas identidem textus objiciebat enodandis sese perpetuo exhibuit officiosissimum : cui propterea et quod plura et majoris momenti documenta, præsertim *Acta Martyrum* (2), mihi pretio comparandi copiam fecerit, grates meas hic publice referre lubet.

Exstat quoque Romæ, in bibliotheca Em. Cardinalis Howard, Vita beati Maris syro-chaldaice scripta atque ex eodem fonte Alqoschiano derivata ; nec alibi, quod equidem sciam, reperitur in Europa quam penes D. Ed. Sachau, in Berolinensi academia professorem, qui eam sibi occasione itineris per Mesopotamiam instituti (3) acquisivit, quique meum apographon cum suo perhumaniter contulit et diligentissime, notatis in margine paucis nulliusque fere momenti lectionibus variantibus. Apographon vero utrumque ad unum idemque descriptum fuit exemplar, quod in archivo ecclesiæ Alqoschianæ servatur.

Undenam vero manuscriptum Alqoschianum sit desumptum et qua præcise ætate historia Mar Maris fuerit composita, nobis adhucdum incompertum est ; itemque ignoramus quisnam ejus exstiterit auctor, quamquam is uti cujusdam cœnobii sancti Maris nomine et reliquiis insignis monachum sese prodit. Haud improbabiliter tamen conjeceris illum seculo quinto vel sexto vixisse suamque e

(1) Ad calcem ultimæ paginæ, amanuensis noster incompta manu hæc adjecit :

ܘܕܥ ܐܘ ܡܪܝ، ܩܪܘܝܐ ܡܗܝܪܐ ܕܐܝܟ ܕܣܒܪܢܐ ܡܫܟܚܝܢ
ܚܛܝܬ ܠܦܠܛܐ ܘܒܘܨܪܢܐ ܒܗܕܐ ܬܫܥܝܬܐ. ܒܕܒܠ ܐܝܟ ܨܚܚܐ
ܕܫܡܫܐ ܥܝܣܐ ܐܩܪܘܪܝܐ ܟܬܒܬܗ ܘܫܩܠܬܗ.
ܐܢܬ ܗܟܝܠ ܒܦܠܚܢܟ ܡܫܒܚܐ ܩܒܠܝܗ ܠܐܢܛܝܓܪܦܐ ܐܚܪܢܐ ܐܢ
ܡܫܟܚܐ ܠܟ ܘܬܪܘܨ ܒܚܘܒܟ ܠܦܠܛܐ ܕܒܗ. ܘܨܠܝ ܥܠ ܡܚܝܠܘ
ܐܡܝܢ، ܐܬܟܬܒ ܫܢܬ ܐܦܦܐ ܠܡܪܢ : ܠ:ܢܝܣܢ : ܒܐܠܩܘܫ
ܢܛܝܪܬܐ : ܒܐܝ̈ܕܝ، ܡܚܝܠܐ ܐܒܪܗܡ ܕܒܝܬ ܩܫܐ ܕܡܬܐܡܪܐ
ܒܝܬ ܫܟܘܢܐ Et scito, o domine lector peritissime, reperiri, prout equidem opinor, sphalmata et defectus in hac historia, quia ad exemplar manuscriptum clerici Isa Aqrurensis illam descripsi atque transsumpsi. Tu igitur in operam tuam laudabilem suscipe hoc exemplar alterum, si tibi occurrat. et pro caritate tua corrige sphalmata quæ in eo sint, et benigne exora pro me, amen. — Scriptum fuit anno Domini 1881, 30 Nisan, in Alqosch servanda, per manus infirmi Abraham, ex Beth-Qascha, alias Beth-Schekwana. — (2) De quibus videsis quæ adnotavi in ephemeride cui nomen *Le Muséon*, tom. II, p. 143. — (3) Quod ipse descripsit in opere *Reise in Syrien und Mesopotamien*, Leipzig, Brockhaus, 1883.

traditionibus popularibus compilasse narrationem. Etenim id sane constare videtur, auctorem non nisi sat diu post Papam, qui seculo IV ineunte Seleuciensem rexit ecclesiam, scribere potuisse, quippe quum illum non tantum memoret, sed et immani anachronismo immediatum Mar Maris faciat successorem et heredem, nisi tamen illic agnoscenda sit temera posterioris cujusdam interpolatio. Ex alia parte in tota lucubratione nihil est quo aut Mohammedanici imperii aut Nestoriani dogmatis, quod jam seculo sexto omnes illius regionis perverterat ecclesias, dominatio indicetur. Præterea oppidorum ac regionum nomina nonnulla ab iis quæ apud Arabum scriptores comparent, quodam antiquitatis colore distant; denique historia nostra fons esse videtur ex quo posteriores historiographi hauserunt, scilicet seculo duodecimo Mares Salomonis filius, decimo quarto Amrus Matthæi (1), alii.

Ast quæstio superest difficilis, veritatem in narratione nostra historicam ab admixtis fabulis aut sequioris ævi commentis critico examine secernere; quod equidem peritioribus aut certe alii tempori remittendum censeo. Interim de ipsa substantia ambiget nemo; nam S. Marim ævo apostolico in illis regionibus evangelium prædicasse testimoniis constat idoneis atque perpetuis. Juvat ea allegare quæ in hanc rem mihi transmisit pluries laudatus archiepiscopus Khayyath, quæque sic habent : *Quod S. Mares evangelium prædicaverit in iis locis quæ sigillatim Acta ejus anonyma memorant, concordat cum iis quæ adducit Assemanus ex authenticis scriptis, nestorianis et jacobiticis : quòd magni faciendum est. Et inde est quod antiquissimam liturgiam suam Nestoriani duobus apostolis suæ gentis adscribunt, id est Adæo et Mari. Sicut Adæi, ita et Maris commemorationem faciunt in officio magno,* Circuli *dicto* (2), *ut advertit Assemanus et adhuc in usu nostro est. Majus pondus facit inventio reliquiarum S. Maris anno 1879 facta in ruinis pervetustæ ecclesiæ S. Samonæ, apud Carmelesch, ad orientem Mossulæ :*

(1) De his cfr. Assemanum. *Bibl. Orient.*, tom. III, part. I, pp. 554 et 580; item Khayyath, *op. cit.*, pp. 106 sq., 133. — S. Mares recensetur inter patriarchas Orientis a Salomone Bostrensi episcopo in *Libro apum*, ab Anonymo Amidensi, ab Elia episcopo Damasceno (apud Assemanum, *Bibl. Orient.*, tom. II, p. 387 sqq.); et tandem ab Amro (ibid., tom. III, part. II, p. 584). — (2) *Circulus*, ܚܘܕܪܐ *(Hudra)*, est liber liturgicus, quo continentur officia diebus dominicis, feriis quadragesimæ aliisque diebus nonnullis recitanda. — De cultu S. Maris hæc habet Ill. Khayyath : “ *Fundatorem suæ primatialis ecclesiæ, quæ decursu temporis patriarchalis evasit, præter Thomam et Adæum, magis proprie Marim celebrant Chaldæi. Prima et antiquior ceteris, qua semper usi sunt Chaldæi, liturgia nomine duorum apostolorum est inscripta et pervulgata, nihilque præ se fert quod authenticitati huic ejusdem adversetur. Laudatorum trium apostolorum uniuscujusque specialem memoriam in* OFFICIO SUO MAGNO *iidem colunt : Thomæ quidem apostoli die 3 Julii ; Thaddæi autem dominica V post Resurrectionem ; et Maris feria VI hebdomadæ II æstatis, h. e. hebdomadæ IX post Pentecosten. Magna cum veneratione semper ecclesia et cœnobium et schola S. Maris in Dor-Kena in Babylonia ipsis fuere, donec superstitio Mohammedana illud monumentum una cum ceteris fere omnibus solo æquavit, in postrema præsertim vastatione propemodum irremediabili, quæ in illa regione, ut alias memini, christicolas cunctos, licet schismaticos, qualiter tunc ibidem existimantur fuisse fere omnes, letali affecit excidio.* Syri Orientales, *etc.*, p. 163.

quæ reliquiæ, in arcula marmorea positæ, inventæ sunt una cum reliquiis S. Jesusabran, martyris seculo sexto, passi sub Chosroë, cujusque vitam scripsit Jesujabus Adiabenus, patriarcha, quam possideo exaratam a me ad codicem Vaticanum anno 1870. Item auctor anonymus Actorum martyrum Beth-Seleuciensium, quæ habentur in collectione (1) *codicis Amidensis a me missi ad Ill. J.-B. Abbeloos in Belgium, meminit adventus S. Maris in regionem Beth-Garmæorum, hujusque prædicationis una cum S. Adæo. Ille autem scripsisse videtur seculo saltem sexto. Ergo, quoad substantiam facti, nulla potest esse prudens dubitatio circa genuinitatem Actorum S. Maris anonymorum.* Ita ille.

Jam antequam præfandi finis fiat, verbum addendum censeo de versione nostra, in qua nonnemo forte e lectoribus latinum sermonem concinnum magis atque limatum desideret; verum quisquis scriptis orientalibus vertendis ipse incubuerit perspectum habet facilius longe esse in hujusmodi labore elegantiam quam textum sectari. Quantum equidem potui verborum fui tenacissimus, nolens commentatorem agere aut paraphrasten, sed scriptoris chaldaici fidus esse interpres.

Denique characteres quibus nostra editio prodit, sunt estrangelici seu στρογγύλοι, antiquissimæ Syrorum scripturæ typum referentes, quos nuper Bollandiani socii sibi compararunt et nunc primum in Belgio adhibentur. Hac de causa amanuensis nostri chaldæi puncta diacritica, quæ ex usu scripturæ nestorianæ habet multiplicia nec ceterum necessaria, plerumque negligere fuit opus.

Textui Actorum præmittimus ac lectori prælibanda exhibemus quæ in eamdem rem tradunt scriptores orientales posterioris ætatis. Audiatur primo Barhebræus.

Post Thomam apostolum Adæus, unus e septuaginta præconibus. — *Anno ab ascensione Domini trigesimo, hoc est Tiberii Cæsaris decimo quinto, Adæus Edessam venit, quo tempore regnabat Abgar qui exspectabat regnum Dei atque sanationem a lepra sua, cujus causa Uchama* (niger) *appellabatur, scilicet per antiphrasin, eo quod totum ipsius corpus candidum erat et albescebat ex lepra. Hic igitur cum Adæi adventum intellexit, magno affectus est gaudio illumque apud se excepit, credmerditque et baptizatus est atque a morbo suo curatus fuit. Adæus autem sumptibus Abgari regis Edessæ ecclesias exstruxit.*

(1) Constat hæc collectio duobus tomis, quorum prior 771, alter 731 paginas complectitur. Textus ad quem hic alluditur, reperitur tomo II, p. 118:

ܗܘ، ܗܟܝܠ ܡܕܝܢܬܐ ܒܚܢܦܘܬܐ ܡܢ ܕܐܬܒܢܝ ܘܥܕܡܐ ܠܡܐܬܝܬܐ

ܕܫܠܝܚܐ ܩܕܝܫܐ : ܐܕܝ ܘܡܪܝ : ܗܢܘܢ ܕܐܫܬܠܚܘ ܡܢ ܪܘܚܐ

ܕܩܘܕܫܐ ܠܣܒܪܬܐ ܕܐܬܪܢ. i. e.: Permansit igitur oppidum (Beth-Seleucia) in ethnicismo, ex quo fuit ædificatum usque ad adventum sanctorum apostolorum Adæi et Maris, qui missi fuerunt a Spiritu sancto ad evangelizandam nostram regionem. — Cfr. Khayyath, *Syri Orientales seu Chaldæi*, etc., p. 164; item G. Hoffmann, *Auszüge aus syrischen Akten persischer Märtyrer*, p. 45; ac Mösinger, *Monumenta syriaca ex Romanis codicibus collecta*, vol. II, p. 63-75.

Edessa cum duobus discipulis suis Aghæo et Mari in Orientem profectus, ibi evangelicam fidem prædicarunt. Postea Edessam reversi invenerunt regem fidelem Abgarum jam obiisse ejusque loco suffectum filium ejus ethnicum, christianorum inimicum. Ab eo Adæus apostolus die trigesima Tamuz (Julii) *occisus, in ecclesia quam ipse Edessæ ædificaverat, sepultus fuit.*

Post Adæum evangelistam aghæus, ejus discipulus. — *Hic vestes sericas regi Abgaro texebat, et post necem Adæi, magistri sui, fugit in Orientem. Cœpitque prædicare in tota Perside, Assyria, Media, Babylonia itemque Beth-Huzæis et Gelis usque ad regionum Indicarum fines. Deinde reversus est Edessam, quia timebat ne fides illic ob filii Abgari regis ethnicam superstitionem deficeret. Quum vero Edessam pervenisset, jussit eum Abgari regis filius serica sibi texere quemadmodum patri suo fecerat. Cui Aghæus :* Quo tempore, *inquit,* magister meus gregem Christi pascebat, equidem patris tui opus exercui; nunc vero quum mihi commisit pascendi munus, aliud negotium exsequi non possum. *Quamobrem ethnicus ille indignans, confractis ejus tibiis, eum occidit.*

Post Aghæum Mares, alter Adæi discipulus. — *Hic Mares, interfecto socio suo Aghæo, jam Edessæ consistere nequivit, sed migravit in Orientem, prædicavitque in Assyria et in universa terra Sennaar. Ferunt ejus tempore tercentas et sexaginta ecclesias fuisse ædificatas in Oriente. Primum quidem docuit incolas Beth-Garmai, postquam ingentes ab eis vexationes pertulisset; deinde petiit Seleuciam, urbem Persarum regiam, quam Seleucus rex, unus ex Alexandri Magni servis, condiderat, et cui postea proxima ædificata fuit alia urbs, Ctesiphon appellata. Hanc quum ingressus est Mares, invenit magiæ deditam. Ipsis autem adventus ejus diebus quidam e civitatis proceribus gravi morbo ægrotavit : adiit eum Mares ac super eum vivificum crucis signum signavit. Tum aperuit oculos suos ægrotus dixitque adstantibus :* Vidi hunc peregrinum velut quempiam cœlo delapsum qui me manu apprehensum erexit, quumque aperuissem oculos vidi eum juxta me sedentem. *Quamobrem Mares ab incolis urbis exceptus est tanquam angelus Dei, multosque ex eis docuit et baptizavit. Ecclesias præterea in eadem urbe exstruere cœpit, mansitque ibi quindecim annos, confirmans eos in fide. Inde egressus, vicinas regiones omnes obivit, virtutes et prodigia stupenda efficiens. Expletis autem in prædicatione annis tribus et triginta, migravit ad Dominum in vico qui Badrana appellatur, atque in ecclesia quam ipse ibi ædificaverat sepultus est.*

Hucusque Barhebræus (1). Quæ jam sequuntur, desumpta sunt ex Amro (2). *Mar Mares, unus ex duobus legatis quos Abgarus, Edessæ rex, ad Christum Dominum misit, rogans eum ut adveniret seque a morbo quo laborabat curaret : alter enim pictor erat, quem idem Abgarus imaginem Christi servatoris depingere jusserat. Quum autem epistolam Christo reddidissent, dominum Thomam jussit responsum dare, scripsitque responsum syriace: epistola enim ab Abgaro transmissa syro sermone exarata erat ; tradiditque epistolam apostolo domino Mari, ad*

(1) Gregorii Barhebræi *Chronicon eccles.* ed. Abbeloos et Lamy, sect. 2ª, tom. III, coll. 11-20. — (2) *Bibl. Orient.*, tom. III, part. ii, p. 18 sqq.

Abgarum deferendam... At vero dominus Mares apostolus quum memoratam epistolam ad Christum Dominum attulisset, eo viso sermonibusque ejus auditis credidit in eum, et in numerum discipulorum aggregatus fuit. Quem tamen Servator cum discipulis diu manere noluit, sed jussit confestim ad Abgarum cum responsoriis litteris reverti et ex urbe Edessa non recedere, donec gratiam ibi acciperet : quandoquidem tempus crucifixionis appropinquabat. Mansit itaque hic apostolus Edessæ usque ad domini Adæi adventum, cui et socium sese adjunxit, et una cum ipso evangelicam doctrinam prædicavit. Ab Adæo autem et domino Thoma sacerdotium accepit : ambo siquidem patriarcham eum in universo Oriente instituerunt. Hi vero tres discipuli eorumque successores auditoresque totam Orientis regionem docuerunt a transitu Euphratis fluvii usque ad extremas Orientis partes.....

Quod si aliquando aliquas Orientis partes cum iis Matthæus evangelista obierit, non tamen Nisibis et Assyriæ fines transgressus est, sed iis lustratis mox rediit. Item Bartholomæus regiones quidem hasce aliasque peragravit, et in majori Armenia prædicavit ; sed ibi non substitit, verum ad partes Indorum se contulit, ubi et pellis illi detracta fuit. Petrus denique quum Babylonem venisset, rediit. At dominus Thomas Indos Sindosque docuit, subjectasque regiones lustravit usque ad extremos Orientis fines. Adæus vero Edessæ prædicavit, et in Athur, et in Mosul, et in Haza, et in Arzan, et in Perside, et in Gebalæ terris, et usque ad Gog et Magog. Mares autem Radani primum, deinde Modainæ fidem prædicavit magno cum labore ingentique cura ; namque ibi Persarum regia erat, ejusque urbis incolæ potiori ex parte Magi. Mox Dor-Kenæ et Cascaræ : et huic quidem episcopum instituit, qui primus in iis regionibus ordinatus est ; atque idcirco primas omnium tenet, estque sedis patriarchalis custos. Demum se contulit ad annuntiandum evangelium cunctis partibus terræ Babylonis, et utriusque Arachæ, et Huzitarum, et Jamanæ et insulis, et Arabiæ sceniticæ et Nagranæ, et insulis maris Jamanæ et maris Indiarum : nec destitit universas hasce regiones obire et loca etiam quibus dominus Adæus fidem nuntiaverat invisere, ibique catechizare, baptizare, docere, ecclesias exstruere, morbos curare, signaque et prodigia patrare, donec plurimos ad fidem convertit christianamque religionem in illis partibus mirifice propagavit. Tum vero Modainam reversus, domicilium suum in ea sedemque patriarchalem fixit confirmavitque, præcipiens ut Catholicus non alibi in patriarcham Orientis quam Modainæ ordinaretur. Quum sacram liturgiam celebraret aut ordinationes faceret, albo pallio utebatur. Supervixit Adæo socio suo in munere prædicationis annos tres supra triginta ; quumque morti proximus esset, præcepit ut successorem sibi ex urbe Hierusalem quærerent. Decessit sexta feria secundæ hebdomadæ æstatis, die 19 Julii, anno Græcorum tercentesimo nonagesimo tertio, sepultusque est ad dexteram altaris in majori Dorkenæ ecclesia.

Tandem hæc adducere juvat ex Mari, Salomonis filio (1) : *Dominus Mares apostolus, cujus precibus fideles omnes serventur, unus fuit ex iis quos septuaginta*

(1) *Bibl. Orient.*, ibid., p. 22 sqq.

disciputi ordinarunt, genere hebræus. Prædicationis initium fecit a Babylone, quam christiana fide imbuit. Sed et Huzitas docuit ceterasque Deglatæ (Tigris) *provincias et Persidem, et Cascaram, et Radana. Erat ibi vir quidam opulentissimus, nomine Helcana, qui tercentum et sexaginta ecclesias ædesque ac domos exstruxit, assignato singulis reditu. Mares vero Seleuciam petiit, quæ et Modaina dicitur et ad orientem solem posita est, Ctesiphon vero ad occidentem : eam autem Seleucus, unus ex Alexandri servis, ædificavit, etsi alii dicunt Modainam a Semiramide, Babylonis regina, conditam. Marim Dionysius presbyter secutus est. Quum autem Seleuciam venisset, Magorum sectam in ea vigentem reperit, cunctosque voluptatibus deditos. Adæum itaque per literas rogavit, ut alio migrandi sibi potestatem faceret ; at ille sub canonicis pœnis præcepit ne illinc discederet.* (Hic auctor miracula quædam subjungit ab ipso Mari perpetrata in conviviis Magorum Seleuciæ, quæ Syri ܦܘܚܪ̈ܐ *Phucre* vocant : quæ hic referre nec vacat, nec operæ pretium est.) (1). *Ecclesias autem quamplurimas mirifice exstruxit, quas inter ecclesiam majorem Modainæ et ecclesiam Dortæ in Bagdadensium urbe, quum Tirhanam regrederetur (Mar-Abas autem Modainæ ecclesiam, uti modo est, postea ampliavit) : abiitque Dor-Kenam, ubi erat nobilis matrona, Kona nomine, quæ ad fidem adducta sacroque initiata baptismo (credidit autem quum a lepra curata esset), prædium suum Mari concessit, qui Pyreum in ædem convertit, ubi postea conditus est. Inde Cascaram migravit. Erant autem Cascarenses idolorum cultores ; quumque fidem suscepissent, confractis idolis, ab ipso edocti baptizatique sunt : ordinavitque iis episcopum, qui primus omnium institutus est ; ideoque sedes Cascaræ reliquis sedibus præcedit : etsi alii dicunt sedium ordinem non ante definitum fuisse quam sanctus Maruthas, Maiapharchinensis episcopus, concilium cum sancto Isaaco Catholico celebrasset : et in eo quidem concilio canones conditos ; quorum unus is erat, ut Cascaræ episcopus omnium episcoporum primas teneret sedisque* patriarchalis *custos esset. Dasemsanam præterea Mares lustravit, et usque ad mare Persicum progressus est. Depinxit autem in ecclesiis imaginem Deiparæ, necnon icones justorum et Domini nostri effigiem, ut eorum aspectu corda fidelium illustrarentur ; idque Dominum ipsum imitando, qui mandylium cum sua impressa imagine ad Abgarum miserat. Denique ad paradisum translatus est, et cadaver in Dorkena sepultum. Præfuit triginta tres annos. Quod autem Modainæ ecclesia Coche appellata est, hanc causam referunt : erant nempe Coche mapalia Acrahi Mardansaæ, principis Ctesiphontis, cujus filiam quum sanctus Mares curasset, ab eodem locum illum dono accepit. Mar-Abas eamdem ecclesiam expensis Abdelmessiæ Hirtensis ampliavit. Ferunt, quum Abraham tertius Catholicus tumulum sancti Maris aperuisset, crabrones ex eo prodiisse ejusdemque Abrahæ in os involasse. Antequam decederet, Abilam Mares petierat, ibique ecclesiam ædificarat, ubi nunc Joannis Dilamitæ cella visitur, cujus monachi ædes illas incolunt ad hæc usque tempora. Obiit S. Mares anno Alexandri nonagesimo tertio supra tercentesimum, hebdomada secunda post eam quæ Apostolorum dicitur, die decima nona Julii.*

(1) Hæc in parenthesi posita animadversio est Assemani.

ܬܫܥܝܬܐ

ܕܡܪܝ ܡܐܪܝ ܫܠܝܚܐ[1] ܀

ܒܚܝܠ ܐܠܗܐ ܟܬܒܝܢܢ ܬܫܥܝܬܐ ܕܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܫܠܝܚܐ ܚܕ ܡܢ ܫܒܥܝܢ. ܡܪܢ ܢܥܕܪܢܝ ܐܡܝܢ. .oo. ܡܢ ܒܬܪ ܕܡܢ ܡܫܡܠܝܘܬܐ ܫܢܝ̈ܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܗܘܐ ܕܛܝܒܪܝܘܣ ܩܣܪ. ܟܕ ܬܘܒ ܥܬܝܪ، ܕܢܣܒܘܢ ܡܦܩܢܐ ܡܝܬܪܐ ܬܠܬ ܫܢ̈ܝܢ ܕܡܕܒܪܢܘܬܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܒܝܬ ܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܗܘܝ ܕܒܗܝܢ ܦܘܪܩܢܐ ܕܟܠܗ ܕܥ̈ܠܝܐ ܘܬܚ̈ܬܝܐ ܐܫܬܡܠܝܬ. ܒܗܘ ܕܝܢ ܙܒܢܐ ܩܪܝܒ ܗܘܐ ܠܗ ܫܘܠܡܐ ܕܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܦܪܘܩܐ : ܠܐ ܒܠܚܘܕ ܒܝܬ ܝܗܘܕܝ̈ܐ : ܐܠܐ

[1] ܒܫܢܬ ܩܟܗ ܠܡܪܢ : anno Domini 125 *add.* S., hoc est *apogr. cl.* Sachau, de quo vide *Proleg.*

Historia Mar Maris apostoli.

Vivente adhuc in terris Christo, effigies ejus depicta fuit, et fama miraculorum ejus

1. Per virtutem Dei scribimus historiam Mar Maris apostoli, unius ex Septuaginta. Dominus adjuvet me! Amen.

Expletis annis quindecim regni Tiberii Cæsaris, quum jam in eo erant ut exitum præstantissimum haberent tres anni œconomiæ (1) Domini Jesu inter homines, intra quos redemptio universorum, supernorum atque infernorum perfecta est, eo tempore quo jam consummanda (2) erat œconomia Salvatoris, tum non inter Judæos tantum,

(1) ܡܕܒܪܢܘܬܐ *gubernationem, regimen* significat. Quæ vox, ubi de Deo agitur, *providentiam* notat; si de Christo, gesta ac facta Ejus in carne, incarnationem Ejus et vitam, quam græci Patres οἰκονομίαν vocant; nam " οἰκονομία illa " complectitur quæ spectant ad statum operationemque Dei ad nostram sese " conditionem applicantis, quam et ἔνσαρκον οἰκονομίαν Græci, Latini incarnatio- " nem et vitam in carne Christi redemptoris appellant. " Et " cum de Christo " loquuntur veteres, naturas in illo discernunt duas; et uni, hoc est divinæ, " θεολογίας nomen, humanæ vero οἰκονομίας assignant. " Ita Petavius, *De incarnat. Verbi*, lib. IV, cap. I, n. 1; et *Proleg.* cap. I, n. 1. — (2) Pressius : *eo tempore quo imminebat terminus œconomiæ Salvatoris*. Est enim ܫܘܠܡܐ idem ac *terminus, scopus* seu *causa finalis*.

ܒܟܠܗܘܢ ܥܡܡ̈ܐ ܪܗܛܬ ܗܘܬ ܟܪܘܙܘܬܐ ܕܡܕܒܪܢܘܬܗ. ܘܠܘܬܗ ܡܢ
ܡܪܢ ܗܘܘ. ܘܚܝ̈ܐ ܢܣܒܝܢ ܗܘܘ. ܘܗܘ ܥܠ ܣܒܪܐ ܕܥܠܡܐ
ܕܥܬܝܕ ܠܗܘܢ ܡܣܒܪ ܗܘܐ. ܗܢܝܢ ܕܠܘ ܒܡ̈ܠܐ. ܐܠܐ ܐܦ
ܒܥܒܕ̈ܐ ܠܗܘܢ ܚܙܝܢ ܗܘܘ. ܘܡܦܪܢ ܡܢ ܠܘܬܗ ܐܙܠܝܢ ܗܘܘ.
ܟܕ ܫܪܝܐ ܕܚܫ̈ܘܬܗܘܢ ܘܫܘܒܩܢܐ ܕܚܛܗ̈ܝܗܘܢ ܢܣܒܝܢ ܗܘܘ.
ܘܥܠ ܐܦ̈ܝ ܗܕܐ ܒܙܢ̈ܝܢ ܕܫ̈ܢܝܢ ܠܕܡܘܬܗ ܘܠܨܠܡܗ
ܕܡܪܢ ܣܓܝܕܐ: ܘܫܪܝܪܐܝܬ ܨܝܪܝܢ ܗܘܘ: ܐܝܟ ܕܡܚܘܐ ܚܕ
ܡܢ ܠܒ̈ܝܫܝ ܐܠܗܐ. ܕܟܕ ܐܙܠܬ ܠܝ ܒܙܒܢ ܠܩܣܪܝܐ ܕܦܝܠܝܦܘܣ:
ܚܙܝܬ ܬܡܢ ܨܘܪܬܗ ܕܦܪܘܩܢ ܡܫܝܚܐ ܕܒܦܓܪ. ܐܝܬܝܗ ܕܝܢ[1]
ܗ̇ܝ ܕܟܬܝܒ ܥܠܝܗ̇ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ: ܕܫ̈ܢܝܢ ܬܪܬܥܣܪܐ ܪܕܐ
ܗܘܐ ܕܡܗ̇: ܣܢܝܬ ܥܠ ܬܪܥܐ ܕܒܝܬܗ̇: ܟܕ ܩܐܡ ܥܠ ܟܐܦܐ
ܪܡܬܐ: ܨܠܡܐ ܚܕ ܕܢܚܫܐ. ܘܒܪܟܐ ܥܠ ܒܘܪ̈ܟܝܗ̇: ܘܦܫܛܐ
ܐܝܕܗ̇ ܠܩܕܡܘܗܝ. ܘܡܬܟܫܦܐ ܐܝܟ ܕܠܕܡܘܬܐ. ܘܠܘܩܒܠܗ̇
ܬܘܒ ܩܐܡ ܨܠܡܐ ܐܚܪܢܐ ܕܢܚܫܐ: ܕܓܒܪܐ ܚܕ ܕܡܥܛܦ

[1] S. *om.* ܕܝܢ

sed inter omnes gentes cucurrit illius salvificæ œconomiæ prædicatio, istæque ad Dominum accedebant et salutem recipiebant; hic autem super spe seculi futuri illis evangelizabat talia quæ non modo per verba, sed etiam in opere ipsis apparerent. Porro animose ab illo discedebant, liberatione ab afflictionibus suis ac peccatorum remissione accepta. Et propterea variis sub formis similitudinem et imaginem Domini nostri adorabilis veraciter delinearunt, prout significat quidam e deiferis (1), scilicet: Quum venissem aliquando Cæsaream Philippi, vidi illic imaginem redemptoris nostri Christi in corpore; etenim ad limen domus mulieris istius de qua scriptum est in Evangelio per annos duodecim fluxisse ejus sanguinem, vidi rupi celsæ erectam statuam quamdam æneam procumbentem in genua, manumque suam protendentem et veluti simulacro alii supplicantem; nam ex ejus conspectu stabat alia statua ænea cujusdam

(1) Sequentem historiam narrat quoque Eusebius, *Hist. eccl.*, lib. VII, cap. 18.

ܦܪܨܘܦܐ: ܘܡܫܡܛ ܐܝܕܗ ܥܠ ܗܕܐ ܐܢܬܬܐ. ܗܢܐ ܕܝܢ ܐܕܪܝܢܛܐ ܕܡܘܬܗ ܗܘ̣ ܕܦܪܘܩܢ ܐܝܟ ܕܐܣܗܕܘ ܟܠܗܘܢ ܗܢܘܢ ܕܐܬܥܕܪܘ ܡܢ ܡܪܢ ܘܦܪܘܩܢ: ܨܪܘ ܗܘܘ ܨܠܡܗ ܒܕܘܟ ܕܘܟ ܒܣ̈ܡܡܢܐ ܓ̈ܘܢܐ. ܘܩܝܡܝܢ ܐܢܘܢ ܥܕܡܐ ܠܗܫܐ. ܡܛܠ ܕܒܪܝܫܐܝܬ ܚܢܦܐܝܬ ܚܢ̈ܦܐ ܕܣܘܦܬܐ: ܐܝܟ ܕܠܦܪܘܩܐ ܒܗܢܐ ܛܘܦܣܐ ܡܝܩܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܗܟܢܐ. ܠܘ ܒܠܚܘܕ ܕܝܢ ܗܕܝܘܛܐ. ܐܠܐ ܘܐܦ ܥܕܡܐ ܠܡܠܟܐ ܦܪܣܬ ܟܪܘܙܘܬܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ ܐܝܟ ܡܐ ܕܝܠܦܢ ܡܢ ܬܫܥܝ̈ܬܐ ܥ̈ܬܝܩܬܐ. ܕܒܙܒܢܐ ܗܘ̇ ܕܒܗ ܗܘܐ ܠܗ ܚܫܐ ܕܦܪܘܩܐ: ܦܪܚ ܛܒܐ ܕܐܣܝܘܬܗ ܕܦܪܘܩܢ ܡܫܝܚܐ ܥܕܡܐ ܠܘܬ ܐܒܓܪ ܡܪܗ̇ ܕܐܘܪܗܝ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܠܗܢܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܟܘܪܗܢܐ ܡܫܢܐ: ܐܝܢܐ ܕܒܐܡܝܢܘ ܚܫܫ ܗܘܐ ܠܗ. ܟܐܒ ܦܕܓ̈ܪܐ. ܘܫܡܥ ܥܠ ܦܪܘܩܢ ܕܥܒܕ ܗܘܐ ܚܝ̈ܠܐ ܘܬܕܡܪ̈ܬܐ. ܘܟܬܒ ܠܗ ܐܓܪܬܐ:

viri pallio induti et manum suam ad illam mulierem extendentis; isthæc autem imago similitudinem referebat Salvatoris nostri, prout ii qui a Domino salvatore nostro adjuti fuerunt contestantur omnes. Variis in locis ejus effigiem optimis coloribus depinxerant, atque illæ adhuc hodie supersunt; initio enim idololatræ sic profano modo sub hac forma Christo tanquam redemptori honorem ipsi deferebant; nec ad plebeios tantum, verum etiam usque ad regem pervenit prædicatio regni cœlorum, quemadmodum ex antiquis historiis discimus.

excitus Abgarus, rex Edessæ, scripsit ad eum, rogans sanationem. Christus ei per litteras respondit

2. Nimirum quo tempore Salvator metam (1) contingebat, evolavit fama medendi potestatis Christi salvatoris usque ad Abgarum (2), urbis Edessæ (3) toparcham, qui quidem gravi laborabat infirmitate eaque continuo vexabatur, scilicet podagræ dolore; quumque audisset Salvatorem nostrum virtutes et miracula operari, epistolam illi scripsit,

(1) Aramaice ܚܫܐ, quæ vox explicata fuit supra. — (2) De Abgaro deque origine historiæ imaginis ἀχειροποιήτου videsis Ill. Hefele in *Kirchenlexicon*, ed. altera, art. *Abgar*. — (3) Nomen celeberrimæ civitati a Græcis inditum servamus. In textu vero Actorum, sicut apud syros scriptores ubique vocatur ܐܘܪܗܝ *Orhai* sive *Urhai;* hodie dicitur *Urfa*. Conjicit Sachau, *Reise*, pag. 209, incolarum 50,000 in oppido nunc degere, ex quibus 12,000 sint christiani, maxime armeni.

ܘܫܕܪ ܠܘܬܗ ܡܫܐܠܐ ܘܐܝܓܪܬܐ: ܐܝܟ ܕܢܐܬܐ ܠܘܬܗ ܘܢܬܠ ܠܗ ܐܣܝܘܬܐ. ܟܬܒ ܠܗ ܓܝܪ ܒܐܓܪܬܗ ܗܟܢܐ ܀ ܐܒܓܪ ܐܘܟܡܐ ܒܪ ܐܪܬܐ ܠܝܫܘܥ ܐܣܝܐ ܛܒܐ ܫܠܡ ܀ ܫܡܝܥ ܠܝ ܕܓܪܒܐ ܡܕܟܐ ܐܢܬ. ܘܪܘܚܐ ܛܢܦܬܐ ܡܦܩ ܐܢܬ. ܘܕܝܘܐ ܛܪܕ ܐܢܬ. ܘܪܢܝܬ ܥܠܝܟ ܕܐܠܗܐ ܐܢܬ ܘܒܪ ܐܠܗܐ: ܕܐܬܝܬ ܠܡܣܝܘܬܗ ܕܒܪܝܬܐ. ܒܟܘܪܗܢܐ ܒܝܫܐ ܐܝܬ ܠܝ. ܘܒܥܐ[1] ܡܢܟ ܕܬܐܬܐ ܠܘܬܝ. ܕܬܐܣܐ ܠܗܢܐ ܟܐܒܐ. ܘܐܦ ܫܡܥܬ ܥܠܝܟ: ܕܝܗܘܕܝܐ ܕܒܢܝ ܥܡܟ ܣܢܝܢ ܠܟ: ܘܒܥܝܢ ܕܢܒܐܫܘܢ ܠܟ. ܘܐܦ ܨܒܐ ܐܢܬ: ܡܕܝܢܬܐ ܚܕܐ ܙܥܘܪܬܐ ܐܝܬ ܠܝ: ܕܣܦܩܐ ܠ ܠܝ ܘܠܟ: ܘܣܦܩܐ ܠܬܪܝܢ. ܘܢܥܡܪ ܒܗ ܒܫܝܢܐ. ܘܐܙܠܘ ܐܝܙܓܕܐ ܘܥܠܘ ܠܐܘܪܫܠܡ: ܒܬܪܥܣܪ ܒܢܝܣܢ ܝܪܚܐ. ܘܐܫܟܚܘܗܝ ܠܡܫܝܚܐ ܒܒܝܬ ܚܕ ܪܒ ܟܗܢܐ ܕܝܗܘܕܝܐ. ܘܐܬܩܪܝܬ ܐܓܪܬܐ ܩܕܡܘܗܝ. ܘܠܐ ܗܘܐ ܐܬܪܐ ܠܡܪܢ ܕܢܫܕܪ ܠܘܬܗ ܐܝܙܓܕܐ.

[1] S. *habet* ܘܒܥܐ ܐܢܐ

oratoresque ac legatos misit ad illum, ut ad ipsum veniret et sanitatem ipsi restitueret. Scripsit vero in illa epistola ad hunc modum : " Abgar Uchama toparcha Jesu servatori salutem ! Audivi a te leprosos mundari, spiritus immundos expelli atque dæmones extrudi. Quare de te cogitavi te aut Deum esse aut Dei filium qui venisti ad sanandam creaturam. Acri morbo laboro, et rogo te ut ad me venias atque istam infirmitatem sanes. Præterea audivi te a Judæis, concivibus tuis, odio haberi, eosque tibi malum moliri. Itaque, si id tibi placet, civitatem unam parvam habeo, mihi et tibi convenientem et utrique sufficientem, ibique quieti erimus „ (1). Advenerunt isti legati et ingressi sunt Jerosolymam duodecima mensis Nisan. Porro invenerunt Christum in domo cujusdam principis sacerdotum et prælectæ sunt coram eo litteræ. Defuit autem Domino opportunitas legatos mittendi ad illum,

(1) Syriace edita reperitur hæc epistola apud Cureton, *Ancient Syriac documents*, p. ܒ, et Abbeloos, *De vita et scriptis S. Jacobi Sarugensis*, p. 5.

ܘܐܦܠܐ ܐܬܚܙܝܬ ܠܗ ܕܬܦܘܩ ܣܒܪܬܗ ܠܘܬ ܚܢ̈ܦܐ: ܩܕܡ ܩܝܡܬܗ. ܘܡܛܠܗܢܐ ܠܐ ܫܕܪ ܠܘܬܗ ܫܠܝܚ̈ܐ. ܗܘܐ ܕܝܢ ܦܢܝ ܦܬܓܡܐ ܕܝܢ ܟܬܒ ܠܗ. ܟܬܒ ܠܗ ܕܝܢ ܫܠܡܐ ܗܟܢܐ. ܥܠ ܟܬܝܒ: ܕܛܘܒܝܗܘܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܠܐ ܚܙܐܘܢܝ ܘܗܝܡܢܘ ܒܝ. ܐܠܐ ܕܝܢ ܗܫܐ: ܒܥܒܕܐ ܕܗܘ ܕܫܕܪܢܝ ܚܝܒܐ ܠܡܫܡܠܝܘ. ܐܠܐ ܡܢ ܒܬܪ ܩܝܡܬܝ ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܐܣܩ ܠܫܡܝܐ. ܡܫܕܪ ܐܢܐ ܠܘܬܟ ܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝܕܝ. ܕܟܐܒܟ ܢܐܣܐ ܘܐܣܐ ܚܝܐ ܢܬܠ ܠܟ. ܘܐܦ ܠܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬ ܥܡܟ. ܘܡܕܝܢܬܟ ܬܗܘܐ ܡܒܪܟܐ. ܘܒܥܠܕܒܒܐ ܠܐ ܢܫܬܠܛ ܒܗ.

ܘܐܬܬ ܐܓܪܬܐ ܠܐܒܓܪ ܡܠܟܐ. ܘܩܒܠܗ ܒܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ. ܘܟܕ ܬܢܝܘ ܠܗ ܐܝܠܝܢ ܬܕܡܪ̈ܬܐ ܡܣܥܪ̈ܢ ܗܘܝ ܒܐܪܥܐ ܕܝܗܘܕ: ܬܡܗ ܗܘܐ ܘܐܬܕܡܪ ܗܘܐ ܒܚܝܠܗ ܕܐܠܗܐ. ܘܕܠܐ ܫܘܐ ܠܗܕܐ ܚܙܬܐ: ܒܟܪܝܘܬܐ ܪܒܬܐ ܐܬܬܥܝܩ ܗܘܐ. ܡܢܐ ܥܒܕ ܡܠܟܐ ܐܒܓܪ. ܫܕܪ ܨܝܪ̈ܐ ܚܟܝܡ̈ܐ ܘܥܡܗ ܐܢܫܐ:

neque etiam ipsi visum est evangelium ad gentes ante ipsius resurrectionem exire; atque idcirco apostolos ad eum non misit. Interim responsum dedit illi, pacem rescribens hoc modo: " Scriptum est de " me: Beati qui non viderunt me et crediderunt in me. Ast vero " nunc opus Ejus qui misit me necesse habeo perficere; sed post " resurrectionem meam et quum ascendero in cœlum, mittam ad te " unum e discipulis meis qui morbum tuum sanet et salutem confe- " rat tibi atque iis qui tecum sunt. Et urbs tua erit benedicta, nec " adversarius in ea dominabitur „ (1).

et pictoribus a rege delegatis dedit imaginem

3. Tradita est hæc epistola Abgaro regi, qui eam magno cum gaudio excepit. Quumque ei referrent mirabilia ab illo in terra Judææ patrata, obstupuit et admiratus est Dei virtutem; quodque tali spectaculo haud dignus esset, ingenti dolore afficiebatur. Quid igitur egit

(1) Eamdem epistolam, in pluribus variantem, exhibent Cureton, *op. cit.*, p. ܒ et ܠ et Abbeloos, *op. cit.*, p. 6. Ad ultima ejus verba alludit Josue Stylites in Chronico (apud Assemanum, *Bibl. Orient.* I, 261, Martin, *Chronique de Josué le Stylite*, 1876, p. XIII et Wright, *The Chronicle of Joshua the Stylite*, 1882, pp. 5 et 6).

ܕܢܐܙܠܘܢ ܥܡ ܐܝܓܪ̈ܬܗ، ܘܢܨܘܪܘܢ ܘܢܝܬܘܢ[1] ܒܝܘܩܢܐ : ܦܪ̈ܨܘܦܗ ܕܡܪܢ. ܕܢܬܒܣܡ ܒܗ ܚܕܐ ܐܝܟ ܕܒܦܓܪܗ. ܘܟܕ ܕܝܢ ܨܝ̈ܪܐ ܥܡ ܐܝܓܪ̈ܬܐ ܕܡܠܟܐ. ܘܨܘܪܬܐ ܕܐܢܫܘܬܗ ܣܓܝܕܬܐ ܕܡܪܢ : ܕܢܨܘܪܘܢ ܠܐ ܐܫܟܚܘ. ܡܪܢ ܕܝܢ : ܟܕ ܚܙܐ ܒܗܘܢ[2] ܒܝܕܥܬܐ ܕܐܠܗܘܬܗ ؛ ܒܚܘܒܗ ܕܐܒܓܪ ܕܠܘܬܗ. ܡܢ ܕܚܙܐ ܐܢܘܢ ܠܨܝ̈ܪܐ ܕܠܐܝܘ ܕܢܫܟܚܘܢ ܓܠܡܐ ܕܢܨܘܪܘܢ ܐܝܟ ܕܐܝܬܘܗܝ، ܘܠܐ ܐܫܟܚܘ : ܫܩܠܗ ܠܣܕܘܢܐ ܘܛܒܥܗ ܒܦܪ̈ܨܘܦܗ ܡܚܝܢܐ ܕܥܠܡܐ : ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܕܐܝܬܘܗܝ،. ܘܐܬܬܝܬܝ، ܗܘ ܣܕܘܢܐ : ܘܐܝܟ ܡܒܘܥܐ ܕܥܘܕܪ̈ܢܐ ܐܬܬܣܝܡ ܒܥܕܬܐ ܕܐܘܪܗܝ، ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܢܐ.

ܘܡܢ ܒܬܪ ܣܘܠܩܗ ܕܡܪܢ : ܟܕ ܐܬܒܕܪܘ ܫܠܝ̈ܚܐ ܒܡܕܝܢ̈ܬܐ: ܐܥܒܕܬ ܛܝܒܘܬܐ ܕܐܠܗܐ. ܘܠܚܕ ܡܢ ܫܒܥܝܢ ܘܬܪܝܢ ܫܠܝ̈ܚܝܢ ܗܘ̇ ܕܟܢܝܐ ܠܗ ܐܕܝ : ܕܢܩܝܦ ܗܘܐ ܠܬܐܘܡܐ ܫܠܝܚܐ : ܫܕܪܗ ܬܐܘܡܐ ܚܕ ܡܢ ܬܪܥܣܪ ܠܐܘܪܗܝ، ܡܕܝܢܬܐ : ܘܟܕ ܐܬܐ ܠܬܡܢ

[1] S. ܢܝܬܘܢ — [2] S. *om.* ܒܗܘܢ

Abgar rex? Vidit pictores sollertes, eosque jussit cum legatis suis proficisci, qui ita Domini imaginem depictam referrent, ut ejus effigie frueretur veluti ejusdem conspectu. Itaque pictores cum legatis regiis advenerunt, sed effigiem humanitatis adorabilis Domini delineare non potuerunt. Dominus autem, ut qui divinitatis suæ scientia Abgari erga ipsum affectum perspiciebat, quum vidisset pictores illos laborare ad inveniendam effigiem qua Jesum, uti est, depingerent, idque non posse, accepit sindonem eamque impressit in faciem suam Salvator mundi, et facta est sicut erat Ipse. Et allata est ista sindon et veluti fons auxiliorum reposita in ecclesia Edessæ usque in hodiernum diem.

suam expressam in sindone.

4. Jamvero post ascensionem Domini, quum apostoli per orbem dispergerentur, effecit Dei bonitas ut unus e septuaginta duobus missis, Adæus nomine, qui adhæserat Thomæ apostolo, mitteretur a Thoma, uno ex duodecim, in civitatem Edessæ. Quo ubi advenit

Post ascensionem Domini, missus a S. Thoma apostolo

ܐܕܝ: ܫܪܐ ܒܒܝܬܗ ܕܓܒܪܐ ܚܕ ܕܡܬܩܪܐ ܗܘܐ ܛܘܒܢܐ. ܫܪܝ ܕܝܢ ܕܢܥܒܕ ܬܕܡܪ̈ܬܐ. ܟܕ ܕܝܢ ܐܫܬܡܥܬ ܥܠܘܗܝ ܡܠܬܐ: ܐܘܕܥܘܗܝ ܠܐܒܓܪ. ܕܐܬܐ ܫܠܝܚܗ ܕܝܫܘܥ ܠܬܪܟܐ. ܘܫܕܪ ܡܠܟܐ ܩܪܐ ܠܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܫܡܥܬ ܕܓܒܪܐ ܚܝܠܬܢܐ ܫܪܐ ܒܒܝܬܟ. ܐܣܩܝܗܝ ܗܟܝܠ ܠܘܬܝ. ܘܟܕ ܫܡܥܬܐ ܩܡ ܓܒܪܐ ܗܘ ܘܐܝܬܝܗ ܠܐܕܝ ܠܘܬ ܐܒܓܪ. ܘܥܠ ܩܕܡܘܗܝ: ܟܕ ܟܢܫܐ ܣܓܝܐܐ: ܐܝܬ ܩܕܡ ܡܠܟܐ: ܘܟܕ ܥܠ: ܚܙܘܐ ܬܡܝܗܐ ܐܬܚܙܝ ܠܡܠܟܐ ܡܢ ܦܪܨܘܦܗ ܕܐܕܝ. ܘܢܦܠ ܡܠܟܐ ܘܣܓܕ ܗܘܐ ܠܦܪܨܘܦܗ ܕܐܕܝ. ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܕܝܢ ܠܐ ܚܙܘ ܬܫܒܘܚܬܐ. ܬܗܪܝܢ ܗܘܘ ܕܝܢ ܛܒ. ܕܟܕ ܓܒܪܐ ܕܠܒܝܫ ܡܐܢ̈ܐ ܨܐ̈ܝܐ: ܐܝܟ ܐܙܝܥܗ ܠܡܠܟܐ: ܚܘܝܗ ܕܝܢ ܡܫܝܚܐ ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܐܝܩܪܗ: ܒܗܘ ܕܐܬܐ ܠܘܬܗ. ܥܢܐ ܐܕܝ، ܘܐܡܪ ܠܡܠܟܐ ܠܡܢܐ ܩܪܝܬܢܝ. ܐܡܪ ܡܠܟܐ. ܫܡܥܬ ܥܠܝܟ: ܕܬܕܡܪ̈ܬܐ ܥܒܕ ܐܢܬ ܘܚ̈ܝܠܐ. ܘܬܠܡܝܕܗ ܐܢܬ ܕܝܫܘܥ ܕܐܡܪ ܠܝ : ܘܟܬܒ ܠܝ.

Adæus, unus e Septuaginta, regem et alios sanavit.

Adæus, divertit in domum cujusdam viri qui appellabatur Tubana (1), cœpitque patrare miracula. Quum autem rumor de eo audiretur, nuntiatum est Abgaro apostolum Jesu illuc advenisse; rex vero Tubanam accersivit eique dixit : *Audivi virum potentem in domo tua versari; jube illum ad me ascendere.* Itaque vir ille, nihil cunctatus, surrexit et adduxit Adæum ad Abgarum. Coram quo hic ingressus est, dum cœtus multus erat coram rege. Quumque ingressus esset, visio mirabilis apparuit regi e facie Adæi, seque prostravit rex et adoravit Adæi faciem. Magnates vero, splendorem haud videntes, mirabantur valde quomodo vir sordidis vestibus indutus sic commovisset regem; huic autem splendorem suum gloriosum Christus in eo qui venerat ad ipsum, ostenderat. Respondit Adæus et dixit regi : *Quare vocasti me?* Dixit rex : *Audivi de te quod mirabilia operaris atque virtutes, quodque discipulus es Jesu qui mihi dixit ac scripsit mihi : Post resurrectionem meam mittam ad te unum e*

(1) Is apud Eusebium, *Hist. eccles.*, lib. I, cap. ult., dicitur Τωβίας.

ܕܒܬܪ[1] ܡܣܩܬܝ، ܡܫܕܪ ܐܢܐ ܠܘܬܟ ܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝܕ̈ܝ. ܠܘܬܝ، ܓܝܪ ܐܬܝܬ ܕܬܬܒܥ ܠܝ ܐܣܝܘܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܐܕܝ، ܐܢ ܬܗܝܡܢ ܗܘ̈ܝܢ ܠܟ ܫܐ̈ܠܬܟ. ܟܠܡܕܡ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܠܗܢ ܕܡܗܝܡܢ. ܗܝܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ. ܗܟܢܐ ܗܝܡܢܬ ܒܗ[2] : ܕܐܦ ܠܝܗܘ̈ܕܝܐ ܕܨܠܒܘܗܝ، ܒܥܝܬ ܗܘܝܬ ܕܐܫܕܪ ܚܝܠܐ ܘܐܚܪܘܒ ܐܢܘܢ. ܐܠܘܠܐ ܕܐܬܟܠܝܬ ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܕܪ̈ܗܘܡܝܐ. ܘܒܬܪ ܗܠܝܢ ܣܡ ܠܗ ܐܝܕܐ : ܘܒܚܝܠܗ ܕܝܫܘܥ ܐܬܐܣܝܘ ܟܠܗܘܢ ܟܘܪ̈ܗܢܘܗܝ. ܘܬܡܗ ܗܘܐ ܐܒܓܪ ܘܐܬܕܡܪ. ܕܝܗܒ ܗܘܐ ܠܗ ܐܬܐ ܬܡܝܗܬܐ. ܐܣܝܘܬܐ ܕܡܢ ܟܐܒ ܪ̈ܓܠܐ. ܕܡܬܩܪܝܐ ܦܘܕܓܪ̈ܐ.[3] ܘܐܦ ܠܚܕ ܡܢ ܥܒ̈ܕܘܗܝ، ܕܫܡܗ ܥܒܕ ܒܪ ܥܒܕܘ. ܘܐܣܝܗ ܡܢ ܟܘܪܗܢܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ. ܘܐܦ ܗܘ ܡܚܕܐ ܢܦܠ ܥܠ ܪ̈ܓܠܘܗܝ، ܕܛܘܒܢܐ ܐܕܝ، ܘܣܓܕ. ܘܠܐܚܪ̈ܢܐ ܒܢ̈ܝ ܡܕܝܢܬܗܘܢ ܐܣܝ.

[1] S. ܕܒܬܪ — [2] S. *add.* ܕܐܡܪ — [3] S. ܦܘܕܓܪܐ

discipulis meis. Ad me enim venisti ut me sanitati redderes. Dixit illi Adæus : *Si credis, fient tibi petitiones tuæ; omnia possibilia erunt credenti.* Tunc dixit illi rex : *Sic credidi in illum ut etiam contra Judæos qui Illum crucifixerunt voluissem mittere exercitum eosque delere, nisi prohibitus ab imperio Romano fuissem.* Porro post hæc imposuit illi manum, et per virtutem Jesu curatæ sunt omnes ejus infirmitates. Et obstupuit Abgar atque admiratus est, quod ei dedisset signum admirabile, sanationem scilicet e morbo pedum, qui dicitur podagra. Pariter unum ex ejus ministris, cui nomen Ebd-bar-Abdo (1), sanavit ex infirmitate qua laborabat; atque hic etiam protinus ad pedes beati Adæi procidit et adoravit. Alios denique incolas civitatis eorum sanavit.

(1) Id est *Ebd* (vel *Abd), filius Abdo ;* istud nomen pariter occurrit apud Cureton, *Anc. syr. doc.*, p. ܝܘ, ubi scribitur ܥܒܕܘ ܒܪ ܥܒܕܘ *Abdu bar-Abdu.* Apud Eusebium quoque (loc. modo cit.) dicitur Ἄϐδος ὁ τοῦ Ἄϐδου podagra laborasse.

ܘܟܕ ܚܙܐ ܡܠܟܐ ܘܪܘܪܒܢܘܗܝ ܐܬܘܬܐ ܕܥܒܕ. ܫܪܝܘ ܕܢܐܡܪܘܢ ܠܗ. ܒܥܝܢ ܡܢܟ ܕܬܐܡܪ ܠܢ ܕܝܫܘܥ ܡܢܘ: ܘܡܢ ܐܠܦ. ܘܡܢܐ ܥܒܕ. ܐܡܪ ܠܗ ܐܕܝ ܠܡܠܟܐ. ܥܕܢܐ ܗܫܐ ܥܒܪ: ܐܠܐ ܐܢ ܨܒܐ ܐܢܬ ܕܐܡܪ ܠܟ: ܦܩܘܕ ܗܘ ܠܟܠܗܘܢ ܫܠܛܢܝܟ. ܘܐܬܐ ܐܢܐ[1] ܒܨܦܪܐ: ܘܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟ ܫܪܒܗ ܕܝܫܘܥ. ܡܠܟܐ ܕܝܢ: ܡܚܕܐ ܩܒܠܗ ܠܡܠܬܗ. ܘܦܩܕ ܟܢܫ[2] ܠܟܠܗܘܢ ܪܘܪܒܢܘܗܝ. ܘܐܬܐ ܐܕܝ ܒܨܦܪܐ[3]: ܘܫܪܝ ܕܢܐܡܪ ܠܗ ܥܠ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܐܠܗܝܬܐ. ܕܐܝܟ ܒܪܐ ܠܒܪܝܬܐ. ܘܐܝܟ ܥܒܕ ܠܟܝܢܐ ܕܒܢܝܢܫܐ: ܘܐܝܠܝܢ ܫܘܘܕܝܐ ܥܒܕ ܠܘܬ ܩܕܡܝܐ. ܘܥܠ ܡܐܬܝܬܐ ܕܢܒܝܐ. ܘܥܠ ܡܐܬܝܬܗ ܕܡܫܝܚܐ[4]: ܘܥܠ ܐܬܘܬܐ ܕܥܒܕ: ܘܥܠ ܩܝܡܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܘܣܘܠܩܗ ܠܫܡܝܐ. ܘܥܠ ܡܘܗܒܬܐ ܕܝܗܒ ܠܢܒܝܐ ܘܠܫܠܝܚܐ ܕܢܟܪܙܘܢ ܠܥܡܡܐ. ܘܟܡܐ ܕܫܠܝܚܐ ܐܡܪ ܗܘܐ ܡܠܟܐ ܡܫܒܚ ܗܘܐ ܠܡܠܘܗܝ. ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܡܫܪܪ ܗܘܐ ܠܡܠܘܗܝ، ܒܡܥܒܕܢܘܬܐ

[1] S. ܐܢܬ — [2] *Codex* K. *Ill. Khayyath legit* ܡܪܐ — [3] K. ܠܨܦܪܐ ܕܝܘܡܐ — [4] S. ܕܡܫܝܚܐ

Omnibus per Mesopotamiam fere totam ad fidem conversis et ecclesia Edessæ plene constituta, Adæus moritur.

5. Quumque vidissent rex et proceres ejus signa ab illo effecta, cœperunt illi dicere : *Rogamus te ut dicas nobis Jesus quisnam fuerit, et quid docuerit, et quid fecerit.* Dixit autem Adæus regi : *Hora nunc præteriit; at, si me cupis loqui ad te, jube convocari omnes copias tuas, et primo mane redibo, dicamque tibi historiam Jesu.* Rex autem verbum ejus lætus accepit, ac proceres suos omnes convocari jussit. Et Adæus quidem diluculo venit, cœpitque cum illo loqui de providentia divina : quomodo creaverit creaturas, et quomodo fecerit naturam hominum; et quasnam promissiones fecerit ad protoparentes; et de adventu prophetarum, et de adventu Christi; et de signis quæ patravit; et de resurrectione Christi ac de Ejus ascensione in cœlum; et de dono quod dedit prophetis et apostolis ut prædicarent gentibus. Porro quantumcumque diceret apostolus, laudabat rex verba illius, et Spiritus sanctus confirmabat ejus verba per effectionem signorum.

ܕܐܬܘ̈ܬܐ. ܘܒܪ ܫܥܬܗ ܐܬܬܠܡܕܬ ܡܕܝܢܬܐ ܘܟܠܗܘܢ ܣܥܪ̈ܢܗ. ܘܒܥܠܬ ܐܬܘ̈ܬܐ ܕܥܒܕ ܡܪܝ ܐܕܝ ܗܦܟܬ ܗܘܬ. ܟܠܗ ܒܝܬ ܢܗܪ̈ܘܬܐ ܩܪܝܒ ܠܟܠ: ܐܬܢܓܕܬ ܠܗܝܡܢܘܬܐ ܕܒܡܫܝܚܐ: ܘܣܓܝ̈ܐܐ ܡܢ ܐܝܠܝܢ ܕܗܝܡܢܘ: ܡܬܚܪܝܢ ܗܘܘ ܒܕܘܒܪ̈ܐ ܕܡܫܡܠܝܘܬܐ. ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܒܢܐ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܥܕܬܐ ܒܐܘܪܗܝ: ܘܐܬܩܢܗ ܒܟܠ ܡܕܡ ܕܘܝܐ ܠܗ: ܘܐܩܝܡ ܩܫܝ̈ܫܐ ܘܡܫܡܫ̈ܢܐ ܒܗ ܒܡܕܝܢܬܐ ܘܒܟܠܗܘܢ ܣܥܪ̈ܢܗ. ܢܚ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܡܢ ܠܥܠܡܐ ܗܢܐ ܒܫܠܡܐ ܒܝܘܡ ܚܡܫܒܫܒܐ ܐܪܒܬܥܣܪ[1] ܒܝܪܚ ܐܝܪ. ܘܫܠܡ ܐܓܘܢܘܗܝ ܪ̈ܚܝܡܐ ܒܢܨܚܢܐ ܘܒܙܟܘܬܐ[2].܀

ܗܠܝܢ ܗܟܝܠ ܕܬܘܠܡܕܐ ܕܒܝܬ ܢܗܪ̈ܘܬܐ: ܗܠܝܢ ܐܝܬܝܗܝܢ. ܢܦܢܐ ܗܟܝܠ ܘܢܚܘܐ. ܕܐܝܟܢ ܪܕܬ ܕܚܠܬܐ ܕܐܠܗܐ ܡܢ ܬܡܢ. ܘܐܦ ܠܐܬܪ̈ܘܬܐ ܗܠܝܢ ܕܝܠܢ. ܘܡܛܠ ܕܠܐ ܡܬܬܢܝܐ ܬܫܥܝܬܐ ܗܕܐ ܠܓܠܝܐ: ܣܡܬ ܐܢܐ ܠܗ ܠܡܫܠܡܢܘܬܐ ܥܬܝܩܬܐ ܕܡܬܟܬܒܐ ܒܟܬ̈ܒܐ ܕܐܝܬܝܗ̇: ܗܟܢܐ. ܡܢ ܩܕܡ ܡܘܬܗ ܕܝܢ

[1] K. ܒܐܪܒܥܣܪ̈ܐ, S. ܒܐܪܒܥܣܪܐ — [2] ܘܒܙܟܘܬܐ

Statim vero sacram doctrinam accepit oppidum ejusque suburbia omnia; atque propter signa quæ per Mar Adæum fiebant, universa pene Mesopotamia pertracta fuit ad fidem in Christum. Et multi ex iis qui crediderant, exercitia perfectionis æmulati sunt. Denique postquam ædificasset Adæus apostolus ecclesiam Edessæ, eamque omnibus necessariis instruxisset, presbyteros quoque et diaconos instituisset in civitate ipsa et in omnibus ejus suburbiis, migravit Adæus apostolus ex hoc mundo in pace, feria quinta, die decima quarta mensis Yar, et consummavit certamina sua dilecta in triumpho et victoria.

6. Hæc igitur ad conversionem Mesopotamiæ pertinent. Itaque regrediamur et ostendamus quomodo religio inde propagata fuerit atque etiam ad hasce regiones nostras pervenerit. Ac quoniam vix relata reperitur hæc historia publice, componam ego traditionem antiquam, scriptis transmissam, quæ hujusmodi est: Ante mortem suam

A Mesopotamia fides per S. Marim.

ܕܛܘܒܢܐ ܐܕܝ. ܗܢܘ ܓܒܐ ܡܢ ܬܠܡܝܕܘܗܝ، ܚܕ ܕܫܡܗ ܡܐܪܝ. ܐܝܟ ܕܪܚܝܡܬ ܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܗܘܐ. ܘܡܫܒܪܐ ܕܡܫܬܪܘܬܐ ܡܛܠܬ ܗܕܐ. ܘܣܡ ܥܠܘܗܝ، ܝܡܝܢܐ : ܗܝ ܕܡܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܐܬܝܗܒܬ ܠܗ : ܘܫܕܪܗ ܠܦܢܝܬܐ ܕܡܕܢܚܐ : ܠܐܬܪܐ ܕܒܒܠ. ܘܦܩܕܗ ܕܢܐܙܠ ܘܢܟܪܙ ܬܡܢ ܡܠܬܐ ܕܡܪܢ.

ܘܢܦܩ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ ܡܢ ܐܘܪܗܝ، : ܘܫܪܝ، ܒܬܠܡܝܕܘܬܐ. ܒܫܘܪܝܐ ܕܡܛܐ ܠܢܨܝܒܝܢ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܐܬܠܡܕ ܛܘܒܢܐ ܠܢܨܝܒܝܢ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܢܨܒ ܒܗ ܫܪܪܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ. ܘܗܦܟ ܠܦܬܟܪ̈ܝܗ ܘܬܒܪ ܨܠܡ̈ܝܗ. ܘܒܢܐ ܒܗ ܥܕ̈ܬܐ ܘܕܝܪ̈ܬܐ. ܘܐܩܝܡ ܒܗ ܡܠܦܢ̈ܐ ܘܒܝܬ ܝܘܠܦܢܐ : ܘܡܢ ܬܡܢ ܥܒܪ ܠܐܪܙܘܢ ܐܬܪܐ : ܗܘ ܥܡ ܐܘܢܣܝܡܘܣ ܡܫܝܚܐ ܕܐܬܐ ܥܡܗ ܡܢ ܐܘܪܗܝ، ܘܦܠܝܛܘܣ ܘܦܝܠܝܦܘܣ ܡܕܪܐ ܬܠܡܝܕܘܗܝ، : ܥܡ

beatus Adæus e discipulis suis unum, cui nomen Mares, elegit, utpote a Deo dilectum ac moribus præstantissimis ornatum, illique imposuit dexteram, quod quidem ei a Domino Jesu Christo concessum erat; atque misit illum ad plagam Orientis, in Babyloniam, jubens ut illic verbum Domini prædicatum iret.

Nisibin perlata est ibique ecclesia plene constituta, S. Mares venit Arzon et sanato

7. Itaque beatus Mar Mares Edessam reliquit et prædicationem auspicatus est, atque pervenit in urbem Nisibin (1). Postquam vero beatus urbem Nisibin evangelizasset atque in ea veræ fidei veritatem plantasset, ejus idola dejecisset ac simulacra fregisset, in ea quoque ecclesias et monasteria ædificasset, ibidem pariter stabilivisset doctores et scholam, tum migravit illinc ad regionem Arzon (2), ipse cum One-

(1) *Nisibis*, Antiochia in Mygdonia apud Græcos, Soba ܨܘܒܐ apud Syros medio ævo, nunc ab incolis *Nsêbin* dicta, urbs erat antiqua in Mesopotamia, quondam florentissima, cujus vix non periere ruinæ. Qui hodie superest miserrimus pagus, ducentis ferme domibus seu mapalibus constat, quorum viginti a Syris Jacobitis, reliqua a Moslemis, maximam vero partem a Judæis occupantur. Ad meridiem est torrens *Djaghdjagha*, seu Mygdonius, qui a monte Masio decurrens in Chaboram fluit. Cfr. Ritter, *Erdkunde*, XI, p. 413 sqq.; Khayyath, *Syri Orientales*, etc., p. 116; Sachau, *Reise in Syrien und Mesopotamien*, p. 390 sqq. — (2) *Arzun* sive *Arzon*, in septentrionali parte Kurdistani Turcici ad confinia

ܐܚܪ̈ܢܐ ܣܓܝ̈ܐܐ. ܘܠܚܕ ܡܢܗܘܢ ܗܘ̇ ܕܫܡܗ ܗܘܐ ܦܝܠܝܦܘܣ. ܫܕܪܗ ܗܘܐ ܠܩܪܕܘ. ܘܟܕ ܡܛܐ ܛܘܒܢܐ ܠܐܪܙܘܢ ܡܕܝܢܬܐ ܬܠܡܕ ܠܣܓܝ̈ܐܐ. ܒܝܕ ܓܒܪ̈ܘܬܐ ܕܥܒܕ ܗܘܐ. ܡܠܟܐ ܕܝܢ ܕܐܪܙܘܢ : ܒܟܐܒܐ ܗܘ ܕܡܬܩܪܐ ܦܕܓܪ̈ܐ ܪܡܐ ܗܘܐ. ܘܟܕ ܫܡܥ ܢܨܚ̈ܢܐ ܘܐܣܝ̈ܘܬܐ ܕܒܐܝܕ̈ܝ ܛܘܒܢܐ ܗܘܝ̈. ܒܪܓܝܓܘܬܐ ܪܒܬܐ ܦܩܕ ܕܢܩܪܒܘܢܝܗܝ, ܠܘܬܗ, ܠܛܘܒܢܐ. ܘܟܕ ܐܬܐ ܘܥܠ ܠܩܕܡܘܗܝ., ܚܕܝ, ܗܘܐ ܒܗ ܡܠܟܐ ܛܒ. ܥܠ ܕܚܙܐ ܠܗ ܠܓܒܪܐ ܛܘܒܢܐ ܫܦܝܪܐ. ܘܟܕ ܫܡܥ

simo presbytero, qui cum eo Edessa venerat, et Philippo et Malkjesu et Ada, discipulis suis, aliisque plurimis. Porro unum ex ipsis, Philippum nomine, miserat in Qardu (1); et ubi pervenit beatus in Arzon oppidum, multos convertit per prodigia quæ patrabat. Jam autem rex Arzon ea in infirmitate quæ dicitur podagra jacebat; et quum audisset gesta præclara et sanationes quæ per manus beati fiebant, magna cupiditate beatum coram ipso adduci jussit. Itaque quum venisset et coram eo ingressus esset, lætatus est in eo rex valde, quod

rege in ea ecclesiam item fundavit.

Armeniæ; quæ regio nunc eodem fere modo *Arzan, Erzen* (Arsanene) vocatur, atque extenditur inter *Gezire Ibn-Omar* (Gozartam) et *Seerdh* ad orientem usque ad regionem Amidensem *(Diarbekir)* ad occidentem, pluresque in illa reperiuntur Syri monophysitæ. Pertinebat olim ad imperii Persici ditionem, prout constat ex Procopio et Ammiano Marcellino apud Ritter, X, p. 90. — (1) De *Qardu* sequentia notat J. S. Assemanus, *Bibl. Orient.*, t. III, p. II, p. 733: " *Cardu, Cardoa* insula, ܓܙܪܬܐ ܕܩܪܕܘ, alias ܒܝܬ ܩܪܕܘ (Arabibus " *Ba-kerda)* et ܒܝܬ ܙܒܕܝ *Beth-Zabde* (Arab. *Ba-Zabda); Ammiano Bezabde* " et *Bizabda :* urbs et insula Tigris fluvii, duodecim circiter passuum millibus " supra Mosul posita; unde Zabdicene regio. Ex voce Syriaca ܓܙܪܬܐ *Gozarta* " seu *Gazarta,* quæ insulam significat, Arabibus dicitur *Gezira; Masio Geserta;* ex " Beth-Zabde vero ܓܙܪܬܐ ܕܒܝܬ ܙܒܕܝ *Gazarta* seu insula *Zebedæa.* Pro" prium nomen est *Cardu* et *Zabde;* reliqua sunt appellativa. " — Oppidum hodiernum *Djezire* pertinet ad provinciam Diarbekir et non nisi exiguam partem antiquæ urbis territorii occupat, constans domibus 600 vel ad summum 800, quarum 100 circiter a christianis, reliquæ pleræque a Kurdis incoluntur. Ita Sachau, *Reise,* p. 378. — Yaquti tempore (sec. XIII) *Bazabde* erat vicus e regione *Djezirat-ibn-Omar,* situs ad latus occidentale Tigridis (ap. G. Hoffmann, *Auszüge aus syrischen Akten persischer Märtyrer,* p. 24, n. 177).

ܡܠܬܗ ܕܛܘܒܢܐ. ܐܬܝܩܪܬ ܝܬܝܪ ܒܥܝܢ̈ܘܗܝ : ܡܛܠ
ܢܝܚܘܬܗ ܘܒܣܝܡܘܬܗ : ܘܡܦܨܚܘܬ ܦܪ̈ܨܘܦܗ. ܒܗܝ ܕܗܟܢ
ܡܟܝܟ ܗܘܐ ܡܪܝ ܡ̈ܐܪܝ. ܘܒܣܝܡ ܗܘܐ ܠܘܬ ܟܠܢܫ. ܘܚܣܡܘܬܐ
ܘܪܘܓܙܐ ܠܐ ܫܟܝܚ ܗܘܐ ܠܘܬܗ ܡܢ. ܘܥܢܐ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪ
ܠܗ. ܐܡܪ ܠܝ ܡܢ ܐܝܢܐ ܐܝܬܝܟ ܕܚܠܬܐ. ܡܛܠ ܕܐܢܐ ܪܢܝܬ
ܥܠܝܟ ܕܐܠܗܐ ܐܝܬܝܟ. ܗܝܕܝܢ ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡ̈ܐܪܝ
ܘܐܡܪ ܠܡܠܟܐ. ܚܣ : ܠܝܬܝ ܓܝܪ ܐܠܗܐ ܡܪܝ ܡܠܟܐ: ܐܠܐ
ܒܪܢܫܐ ܐܢܐ : ܥܒܕܗ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܕܚܠܬܐ ܕܝܠܝ ܐܝܬܝܗ̇
ܟܪܝܣܛܝܢܘܬܐ. ܘܒܡܫܝܚܐ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ :
ܗ̇ܘ ܕܒܫܘܠܡܐ ܕܙܒ̈ܢܐ ܢܚܬ ܡܢ ܫܡܝܐ. ܘܐܗܦܟ ܠܥܠܡܐ ܡܢ
ܛܘܥܝܘܬܐ ܕܫܐ̈ܕܐ ܕܒܗ̇ ܐܚܝܕ ܗܘܐ. ܒܗ ܗܘܢܐ ܡܘܕܐ.
ܐܢܐ ܡܪܝ ܡܠܟܐ. ܘܒܫܡܗ ܗܠܝܢ ܥܒܕ ܐܢܐ. ܘܒܢܝ̈ܢܫܐ ܛܥ̈ܝܐ
ܠܘܬ ܐܠܗܐ ܘܗܝܡܢܘܬܐ[1] ܕܒܗ ܡܩܪܒ ܐܢܐ. ܥܢܐ ܡܠܟܐ
ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܫܟܚ ܡܕܝܢ ܡܪܟ ܐܝܟ ܡܠܬܟ : ܕܠܟܐܒܐ ܗܢܐ
ܕܒܗ ܪܡܐ ܐܢܐ ܗܐ ܡܢ ܣܓܝܐ ܙܒܢܐ : ܠܡܐܣܝܘ. ܐܡܪ ܠܗ

[1] S. habet ܠܘܬ ܗܝܡܢܘܬܐ

beatus ipsum perhumaniter salutasset; et ubi audivit verbum beati, hic adhuc venerabilior ipsi visus est ob mansuetudinem, gravitatem ejusque vultus hilaritatem; quippe adeo modestus Mar Mares et benignus erga omnes erat, ut invidia et iracundia in eo reperta sint nunquam. Respondit autem rex et dixit illi : *Dic mihi cujus sis religionis, quia ego de te cogitavi te Deum esse.* Tunc respondit beatus Mar Mares et dixit regi : *Absit! Non enim ego sum deus, domine rex; sed homo sum, servus Dei viventis. Religio mea est christianismus, et in Christum filium Dei credo, qui in consummatione temporum descendit e cœlo, et convertit mundum ab errore dæmoniorum in quo detinebatur. Illum ego profiteor, domine rex, et in nomine Ejus hæc facio; et homines deceptos ad Deum et fidem in ipsum adduco.* Respondit rex et dixit illi : *Potest igitur Dominus tuus, juxta verbum tuum, morbum istum in quo ego longo jam tempore jaceo, sanare?* Dixit illi beatus : *Si*

ܠܛܘܒܢܐ. ܐܢܗܘ ܕܬܗܝܡܢ ܒܗ ܡܬܦܪܥܢ ܠܟ ܫܐܠܬܟ. ܘܡܚܕܐ ܒܪܟ ܡܠܟܐ ܘܣܓܕ ܩܕܡ ܛܘܒܢܐ. ܟܕ ܡܨܠܐ ܘܐܡܪ. ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ ܡܪܝ، ܥܕܪܝܢܝ. ܘܒܪ ܫܥܬܗ ܩܪܒ ܛܘܒܢܐ ܘܣܡ ܐܝܕܗ ܥܠ ܕܘܟܬܐ ܗܝ، ܘܐܡܪ. ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܗܘ ܕܙܩܦܘܗܝ ܝܗܘܕܝܐ ܒܐܘܪܫܠܡ ܩܘܡ ܥܠ ܪ̈ܓܠܝܟ. ܘܥܡܗ̇ ܕܡܠܬܗ ܕܛܘܒܢܐ: ܚܘܠܡܢܐ ܩܒܠ. ܘܥܡܕ ܗܘ ܘܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ. ܘܐܦ ܟܠܗ̇ ܡܕܝܢܬܐ. ܡܢ ܕܚܙܘ ܠܡܠܟܐ ܕܚܘܠܡܢܐ ܩܒܠ. ܐܬܩܪܒܘ ܐܦ ܗܢܘܢ ܠܘܬ ܛܘܒܢܐ. ܘܐܣܝ، ܫܘܚ̈ܢܝܗܘܢ ܘܬܠܡܕ ܠܟܠܗ̇ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܒܢܐ ܒܗ̇ ܥܕܬܐ: ܘܐܩܝܡ ܒܗ̇ ܟܗ̈ܢܐ ܘܡܫܡܫ̈ܢܐ.

ܘܡܢ ܬܡܢ ܬܘܒ ܫܢܝ: ܘܠܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܙܒܕܝ، ܐܬܐ. ܘܣܒܪ ܬܡܢ ܠܣܘܓܐܐ ܕܥܡܐ ܕܐܬܪܐ. ܘܫܩܠ ܡܢ ܬܡܢ ܛܘܒܢܐ. ܠܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܥܪ̈ܒܝܐ. ܘܬܠܡܝܕܘܬܐ ܣܓܝܐܐ ܬܡܢ ܥܒܕ. ܘܡܢ ܬܡܢ ܢܚܬ ܠܐܪܒܠ ܠܐܬܘܪ. ܡܠܟܐ ܕܝܢ ܕܐܪܒܠ.

credis in Eum, reddentur tibi petitiones tuæ. Atque illico genuflexit rex et adoravit coram beato, orans et dicens : *Credo, domine, adjuva me!* Statim vero accessit beatus, et imposuit manum suam super hunc locum, et dixit : *In nomine Domini nostri Jesu Christi, quem Judæi crucifixerunt in Jerusalem, sta super pedes tuos.* Et una cum hoc verbo beati accepit valetudinem, et baptizatus est ipse et domestici ejus. Pariter tota civitas, postquam viderunt regem valetudini restitutum, accesserunt et ipsi ad beatum; et sanavit ulcera eorum, et convertit urbem universam, ædificavitque in ea ecclesiam, et constituit in ea sacerdotes et diaconos.

Idem facit in Beth-Zabdi, in Beth-Arbaja

8. Hinc autem iterum migravit et venit ad regionem Beth-Zabdi (1), et evangelizavit ibi multitudinem populi regionis; et profectus est inde beatus in regionem Beth-Arbensium (2) et magnum discipula-

(1) Regio *Beth-Zabdi* ad occidentale littus Tigridis, juxta *Qardu* de quo supra. — (2) *Beth-Arbaja* regio inter Nisibin et Tigridem, juxta Bar-Bahlul (ap. Hoffmann, op. cit., p. 131). Plura de *Arbaja* seu *Beth-Arbaja,* oppido in diœcesi Nisibena, congerit Assemanus, *Bibl. Orient.*, t. III, p. II, p. 719.

ܟܘܪܗܢܐ ܕܐܪܝܐ ܕܐܚܙܝܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ. ܗܢܐ ܕܣܪܝ
ܠܚܕܐ ܘܢܕܝ ܒܝܬ ܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܕܐܝܬܘܗܝ، ܓܪܒܐ. ܘܐܦ ܐܝܕܗ
ܬܘܒ ܕܣܡܠܐ ܦܫܝܓܐ. ܘܟܕ ܥܠ ܦܘܠܚܢܐ ܡܪܝ، ܡܪܝ، ܠܐܪܒܝܠ.
ܫܪܝ، ܕܢܙܪܘܥ ܒܗ̇ ܙܪܥܐ ܕܚܝܐ. ܐܬܚܪܝܘ ܐܢܫ̈ܐ ܕܡܕܝܢܬܐ:
ܥܡ ܦܠܚ̈ܝ ܦܬܟܪ̈ܐ ܕܒܗ̇ ܟܕ ܩܥܝܢ ܘܐܡܪܝܢ. ܕܡܢ ܐܝܟܐ ܐܬܐ
ܠܘܬܢ ܗܢܐ ܡܚܒܠܢܐ ܕܐܠܗ̈ܝܢ. ܘܥܠܘ ܠܘܬ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪܝܢ
ܠܗ. ܘܬܘܒ ܐܘܕܥܘܗܝ، ܐܝܠܝܢ ܕܒܐܝ̈ܕܝ، ܛܘܒܢܐ ܡܬܥܒ̈ܕܢ
ܗܘ̈ܝ. ܘܟܕ ܫܡܥ ܗܠܝܢ ܡܠܟܐ ܐܬܬܙܝܥ. ܘܫܕܪ ܒܬܪܗ:
ܘܪܗܛܘ ܐܝܬܝܘܗܝ، ܩܕܡܘܗܝ، ܘܥܢܐ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܢܘ
ܗܢܐ ܕܠܐܠܗ̈ܐ. ܡܚܒܠ ܐܢܬ. ܘܚܕ ܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ
ܡܠܦ ܐܢܬ : ܗܘ ܕܝܗ̈ܘܕܝܐ ܒܢ̈ܘܗܝ ܡܪܕܘ ܒܐܠܗܘܗܝ، ܒܡܫܚܐ

et Arbelæ, ubi regem sanat a lepra.

tum illic effecit. Inde vero descendit in Arbelam (1) et Assyriam. Rex vero Arbelæ elephantiasis (2) morbo laborabat, qui est valde fœtidus ac nauseam creat inter homines, lepra nimirum, qua etiam manus ejus læva torpens erat. Porro Mar Mares, Arbelam ingressus, quum cœpisset seminare in ea semen salutiferum, rixati sunt homines civitatis cum cultoribus idolorum qui in ea erant, clamantes et dicentes: *Undenam venit ad nos iste eversor deorum nostrorum?* Et ascenderunt ad regem eique dixerunt, atque significarunt etiam ea quæ per manus beati efficiebantur. Quumque hæc audisset rex, commotus est et eum accersivit. Et cucurrerunt et adduxerunt eum coram ipso, eumque alloquens rex dixit : *Quid est hoc, quod tu deos evertas et,*

(1) *Arbela*, urbs Assyriæ, inter Caprum et Lycum (i. e. Zabam minorem atque majorem) fluvios sita, pari ab utroque distantia, ut inquit Strabo. Regio circa Arbelam dicta est *Arbelitis*, eademque " Adjabene pars „ apud Plinium. Arbela a Mosul fere biduum distat. Cfr. Assemani, loc. cit., p. 719-722; item Ritter, IX, p. 69 sqq. et alibi. — (2) Proprie : *Morbo leonis Echazjæ laborabat.* Significat enim ܐܪܝܐ *leonem*, atque usurpatur pro morbo qui *lepra leonina*, alias *elephantiasis* vocatur (vide Payne Smith, *Thesaurus syriacus*, ad h. v.). — Porro ܐܚܙܝܐ *Echazja* (in Vulgata *Ochozias)* nomen erat regis Israel, Achabi filii, de quo 3 Reg. xxii, 4 Reg. i, 2 Paral. xx; itemque regis Juda, filii Joram, de quo 4 Reg. viii-xiv, 2 Paral. xxii. Hunc vel illum auctor Actorum lepra contaminatum exstitisse forte sit opinatus.

ܐܝܟ ܕܐܫܬܥܝܬ ܠܢ : ܗܝܕܝܢ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،
ܕܐܬܩܛܠ ܐܝܟ ܕܫܡܥܬ ܡܢ ܝܗ̈ܘܕܝܐ ܣܢܝ ܫܪܪܐ. ܘܐܦ
ܕܐܬܩܒܪ. ܫܪܝܪܬܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܡܠܬܐ : ܕܩܡ ܕܝܢ[1]
ܡܢ ܩܒܪܐ : ܘܠܫܡܝܐ ܒܫܘܒܚܐ ܐܣܬܠܩ : ܘܡܢ
ܝܡܝܢ ܐܒܐ ܝܬܒ. ܠܐ ܝܕܥܬ ܡܠܟܐ. ܗܫܐ ܕܝܢ : ܡܕܐ
ܕܐܬܘ̈ܬܐ ܒܐܝ̈ܕܝ ܒܫܡܗ ܡܫܬܡܥ̈ܢ. ܗܝܕܝܢ ܬܫܪ ܠܟ :
ܕܗܘ ܐܝܬܘܗܝ، ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ ܒܠܚܘܕܘܗܝ.، ܘܠܝܬ ܠܒܪ
ܡܢܗ. ܥܢܐ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܐܝܠܝܢ ܐܬ̈ܘܬܐ ܡܨܐ ܐܠܗܟ
ܠܡܥܒܕ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،. ܟܠܡܕܡ ܦܫܝܩ
ܠܚܝܠܗ ܕܐܠܗܐ. ܟܠܡܕܡ ܓܝܪ ܕܒܗܝܡܢܘܬܐ ܫܐܠ ܐܢܬ ܡܢܗ
ܢܣܒ ܐܢܬ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ. ܐܢܗܘ ܕܟܘܪܗܢܐ ܕܪܡܐ ܐܢܐ
ܒܗ ܬܐܣܐ. ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ ܒܡܫܝܚܐ ܘܒܫܠܝ̈ܚܘܗܝ. ܗܝܕܝܢ
ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܡܠܟܐ. ܣܝܒܪ ܠܝ ܚܕܐ ܫܥܬܐ. ܘܒܪܟ
ܥܠ ܒܘܪ̈ܟܘܗܝ، ܘܐܡܪ. ܠܟ ܐܠܗܐ ܐܒܘܗܝ، ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ

[1] S. *om.* ܕܝܢ

uti fertur, unum doceas Deum, eum quem Judæi in diebus Herodis suspenderunt in ligno, sicut relatum est nobis? Tum dixit apostolus Mar Mares : *Quod interfectus est, sicut audisti, a Judæis, veritatis osoribus, atque etiam sepultus, verum est verbum ; quod autem surrexit e sepulcro et ad cœlum in gloriam assumptus est, et ad dextram Patris sedet, non novisti, o rex. Nunc autem, quum signa per manus meas in nomine Ejus patrantur, jam certum tibi sit Eum esse Deum verum solum, et non esse alium præter Eum.* Respondit rex et dixit illi : *Quænam signa potest Deus tuus facere?* Dixit illi beatus Mar Mares : *Omnia facilia sunt potentiæ Dei ; quodcumque enim cum fide petieris ab Illo, recipies.* Dixit illi rex : *Si infirmitatem in qua jaceo ego sanaveris, credam in Christum et in apostolos ejus.* Tum respondit beatus et dixit regi : *Sustine me unum temporis momentum.* Et provolutus in genua dixit : *Tibi, Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, supplico : sana hunc servum tuum.* Et sumpsit beatus oleum et aquam, et si-

ܡܫܝܚܐ ܡܬܩܒܠܬܐ. ܐܝܟ ܐܦ ܠܒܢ̈ܝܟ ܗܘܐ. ܘܫܐܠ ܠܛܘܒܢܐ
ܡܫܝܚܐ ܘܡܪ̈ܢܐ : ܘܪܫܡ ܥܠܝܗܘܢ ܢܝܫܐ ܕܨܠܝܒܐ ܡܪܢܝܐ
ܘܝܗܒ ܠܗ. ܘܐܫܬܝ، ܡܢܗܘܢ ܘܡܫܚ. ܘܐܬܐܣܝ. ܘܗܦܟ
ܒܣܪܗ ܒܗ̇ ܒܫܥܬܐ : ܐܝܟ ܛܠܝܐ ܙܥܘܪܐ. ܘܐܦ ܠܐܝܕܗ
ܢܣܒ : ܠܗ̇ ܫܠܝܚܐ ܒܐܝܕܗ. ܘܡܚܕܐ ܐܬܦܫܛܬ.

ܐܝܬ ܗܘܐ ܕܝܢ ܪܒ ܚܝܠܐ ܬܡܢ ܕܝܠܗ ܕܡܠܟܐ. ܕܫܡܗ ܗܘܐ
ܙܪܕܘܫ. ܘܟܕ ܚܙܐ ܠܡܪܗ ܡܠܟܐ ܕܐܬܐܣܝ، : ܩܥܐ ܘܐܡܪ
ܠܛܘܒܢܐ. ܒܪܝܟ ܡܪܟ ܕܫܕܪܟ ܠܘܬܢ. ܕܬܐܣܐ ܡܚܘ̈ܬܢ.
ܒܪܝܟ ܡܫܝܚܐ ܕܡܟܪܙ ܐܢܬ. ܒܪܝܟ ܫܘܒܚܗ ܘܪܡ ܐܝܩܪܗ
ܡܢ ܟܠܗܝܢ ܒܪ̈ܝܬܐ. ܣܓܝܕ ܒܫܡܝܐ ܘܐܦ ܒܐܪܥܐ ܠܥܠܡܝܢ.
ܘܐܪܟܢ ܪܫܗ ܩܕܡ ܛܘܒܢܐ. ܟܕ ܒܥܐ ܘܡܬܟܫܦ ܘܐܡܪ. ܕܠܒܪܗ
ܝܚܝܕܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܢܐܣܐ. ܫܢܩ ܗܘܐ ܠܗ ܪܘܚܐ ܗܘ
ܕܥܡܪ ܗܘܐ ܒܗ ܒܗܘ ܛܠܝܐ. ܒܕܡܘܬܐ ܕܐܣܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ
ܒܬܪ̈ܬܝܢ ܫܫ̈ܠܢ. ܫܡܗ ܗܘܐ ܕܝܢ ܕܗܘ ܛܠܝܐ ܕܘ̈ܝ. ܘܫܦܝܪ ܗܘܐ
ܚܙܘܗ ܛܒ. ܘܐܡܪ ܠܗ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،. ܙܠ ܠܟ ܐܝܬܝܗܝ،
ܠܒܪܟ ܠܗܪܟܐ : ܕܬܚܙܐ ܚܘܒܗ ܕܡܪܢ، ܡܫܝܚܐ ܕܐܠܗܘܬܗ، . ܘܟܕ

gnavit super ea signum crucis Dominicæ, eaque dedit illi. Et bibit ex eis, et unxit, et sanatus est. Et rediit caro ejus ad eum illico, sicut pueri parvuli. Atque etiam manum ejus cepit apostolus in manu sua, et statim dilatata est.

Liberat quoque a dæmone filium ducis exercitus.

9. Erant autem ibi dux exercitus regis, nomine Zaradosch. Quumque vidisset dominum suum regem esse sanatum, exclamavit et dixit beato : *Benedictus sit Dominus tuus qui misit te ad nos, ut sanes plagas nostras; benedictus Christus quem tu annuntias; benedicta gloria ejus et celsus honor ejus prædicetur ab omnibus creaturis ; adorabilis in cœlo et in terra in secula!* Et inclinavit caput suum coram beato, rogansque et supplicans petiit ut filium ipsius unicum, quem habebat, sanaret. Puerum istum spiritus in eo habitans adeo cruciabat ut eum vincire debuerint duabus catenis. Porro nomen istius pueri erat Davai, et aspectus ejus erat valde pulcher. Et dixit illi apostolus Mar Mares : *Vade, adduc huc filium tuum, ut videas caritatem Domini*

ܥܠ ܛܠܝܐ ܗܘ. ܩܥܐ ܒܩܠܐ ܪܒܐ ܘܐܪܥܬ. ܘܐܪܡܝܗ ܫܐܕܐ ܗܘ: ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܡܝܬܐ. ܗܝܕܝܢ ܩܪܒ ܠܗ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܘܐܡܪ ܠܕܝܘܐ ܗܘ. ܠܟ ܐܡܪ ܐܢܐ ܫܐܕܐ ܠܝܛܐ. ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܗܘ ܕܗܦܟܟ ܡܢ ܫܘܠܛܢܟ. ܘܗܘ ܗܦܟ ܠܟ. ܦܘܩ ܡܢ ܓܒܝܠܬܗ ܕܐܠܗܐ ܟܕ ܠܐ ܬܚܒܠ ܒܗ ܡܕܡ. ܘܩܥܐ ܫܐܕܐ ܗܘ ܠܝܛܐ ܘܐܡܪ. ܠܐܝܟܐ ܦܩܕܬ ܠܝ ܠܡܐܙܠ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ. ܠܛܪܛܪܘܤ ܬܚܬܝܐ. ܙܠ ܐܢܬ ܘܟܠܗ ܡܫܪܝܬܟ. ܘܢܦܩ ܫܐܕܐ ܗܘ ܠܝܛܐ. ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܥܠܥܠܐ ܚܫܘܟܬܐ. ܘܬܘܒ ܠܐ ܐܫܬܟܚ. ܘܩܡ ܛܠܝܐ ܗܘ ܟܕ ܡܫܒܚ ܠܐܠܗܐ. ܘܥܠ ܪ̈ܓܠܘܗܝ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܫܠܝܚܐ ܢܦܠ ܘܡܢܫܩ ܗܘܐ ܠܗܝܢ.

ܘܒܗ ܒܝܘܡܐ ܗܘ ܥܡܕ ܡܠܟܐ ܗܘ ܘܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ ܟܠܗܘܢ. ܘܙܪ̈ܕܘܫ ܘܩܪܕܝ، ܒܪܗ ܘܟܠܗܘܢ ܩܪ̈ܝܒܝܗܘܢ. ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ ܕܡܠܟܐ ܘܟܠܗܘܢ ܪܘܪ̈ܒܢܘܗܝ. ܘܬܘܒ ܪܒ ܟܘܡܪ̈ܐ ܚܕ ܕܠܗ ܕܡܠܟܐ ܟܕ ܚܙܐ ܐܬ̈ܘܬܐ ܘܬܕܡܪ̈ܬܐ ܕܥܒܕ. ܐܦ ܗܘ ܘܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ ܗܝܡܢܘ ܒܡܪܢ. ܘܠܦܬܟܪ̈ܐ ܕܠܗܘܢ ܦܠܚ ܗܘܐ ܗܦܟ

Christi erga ipsum. Quumque ingressus esset puer ille, clamavit voce magna et spumavit, projecitque eum dæmon et factus est sicut mortuus. Tum accessit ad eum apostolus Mar Mares, et dixit dæmoni isti : *Impero tibi, dæmon maledicte, in nomine Jesu Christi, qui deturbavit te imperio tuo, et ipse deturbat te : exi e plasmate Dei, quin perdas in eo quidquam.* Exclamavit dæmon ille maledictus et ait : *Quonam jubes me exire ?* Dicit illi beatus : *Ad tartarum inferum proficiscere tu et omne agmen tuum.* Et exivit dæmon iste maledictus et factus est veluti turbo tenebrosus, et iterum inventus non est. Et surrexit puer laudans Deum, atque ad pedes beati Mar Maris procidit eosque amplexatus est.

Totam hanc regionem Assyriæ, Ninives et Zabæ fluminis

10. Atque illa die baptizatus est rex ipse et domestici ejus omnes, uti et Zaradosch hujusque filius Qardaï et omnes cognati eorum, necnon ministri regis omnesque principes ejus. Pariter ἀρχιερεύς quidam ejusdem regis, videns signa et prodigia quæ faciebat, etiam una cum

ܘܬܒܪ ܐܢܘܢ. ܘܐܪܦܣ ܓܪܡܝܗܘܢ ܒܙܒܐ ܪܒܐ. ܘܠܟܠܗ ܐܬܪܐ ܕܐܬܘܪ ܘܢܝܢܘܐ ܒܝܬܝ، ܐܢܘܢ ܠܗ̇ ܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ ܘܡܫܒܚܬܐ. ܣܓܝ̈ܐܢ ܓܝܪ ܐܢܘܢ ܚܝ̈ܠܐ ܕܣܥܪ ܡܪܝ ܡܪܝ، ܒܐܬܪܐ ܕܙ̈ܒܐ. ܠܐ ܓܝܪ ܡܫܟܚܝܢ ܦܘܡܐ ܠܡܫܬܥܝܘ. ܘܐܦܠܐ ܦܢܩܝܬܐ ܠܡܟܬܒܘ ܐܬܘܬܐ ܘܬܕܡܪ̈ܬܐ ܘܓܒܪ̈ܘܬܐ ܕܣܥܪ ܒܝܕ ܡܪܢ ܗܘܐ. ܠܐ ܓܝܪ ܠܬܕܡܘܪ ܘܢܬܕܡܪ : ܕܐܝܟܢܐ ܐܬܘܗܝ، ܕܫܠܝ̈ܚܐ. ܦܠܘܣܗ ܠܘܬ

fide et miraculis illustrat.

domesticis suis credidit in Dominum nostrum. Simulacra vero quæ colebat, destruxit confregitque, atque cineres eorum in Zab (1) majorem projecit. Denique omnem regionem Assyriæ (2) et Nini-ves (3) domesticas effecit veræ et gloriosæ fidei. Multæ enim sunt virtutes quas operatus est Mar Mares in regione Zabarum; neque vero valent aut os enarrare aut codices plene describere signa, mira-cula et prodigia quæ ope Domini nostri patrabat. Porro ne miremur,

(1) *Zab major*, seu *Zab Ala*, i. e. superior (apud Græcos et Latinos *Lycus)*, item-que *Zab minor*, *Zab Asfal*, i. e. inferior *(Zerbis* et *Caprus* dictus), amnes sunt in Tigridem influentes. Regio vero his fluviis interjacens Syris *Zabe* seu *regio Zaba-rum* audiebat, Græcis *Adiabene*. — (2) ܐܬܘܪ *Athur*, *Assur*, *Assyria*, nomen imperii in cujus ditione quandoque fuere variæ regiones, scilicet in septentrione provinciæ centrales Asiæ Minoris et Armeniæ usque ad Caspium mare, in oriente Media et partes occidentales Persidis, in meridie Susiana, Babylonia et superior Arabiæ pars, in occidente denique regiones ad Lyciam et forte ad Lydiam usque. Cfr. Layard, *Niniveh and Babylon*, London 1882, p. 369 sq. — Proprie autem designat regionem quæ inter Tigridem (quo flumine a Mesopotamia dividitur), Armeniam, Mediam atque *Chusistan* sita est, et fere cum hodierno Kurdistano congruit. Erat veluti parallelogramma oblongum, cujus arctiora latera hinc ad boream et occidentem, illinc ad austrum et ortum respiciebant. Ubique fere altis montibus occupabatur et non nisi tertia ejus pars ad meridiem et occasum vallem, Mesopotamiæ similem, efficiebat. Cfr. Kaulen, art. *Assyrer*, *Assyrien*. in novo *Kirchenlexicon*. — Auctor vero Actorum in præsenti loco " Athur " arctiori adhuc sensu usurpare videtur, scilicet ut solam vallem ad orientem Tigridis circa Niniven designet. — (3) *Ninive* ad orientale littus Tigridis, sita e regione hodiernæ urbis Mosul seu *Mausil*. Totam aream occupasse videtur, valde extensam et ruinis celeberrimam, ubi nunc sunt *Kujundjik*, *Nimrud*, etc. Cfr. Layard, op. cit., p. 373 sqq.

ܡܢ ܒܬܪ ܟܠܗܘܢ ܫܠܝܚܐ ܐܬܓܒܝ. ܘܗܘܐ ܒܬܪܝܐ ܕܓܒܝܘܬܗ ܐܚܪܝܐ ܗܘ ܕܫܠܝܚܐ: ܐܠܐ ܦܢܝܬܐ ܕܟܪܝܙܘܬܗ ܣܗܕܐ ܠܗ ܥܠ ܪܒܘܬܗ. ܕܥܡ ܫܡܥܘܢ ܟܐܦܐ ܡܬܡܢܐ. ܦܘܠܘܣ ܓܝܪ ܠܐܡܐ ܕܡܕܝܢܬܐ ܪܗܘܡܐ ܐܣܒܪ. ܘܗܢܐ ܬܘܒ ܠܐܡܐ ܕܐܬܪܘܬܐ ܕܦܢܝܬܗ ܕܥܠܡܐ ܟܠܗ ܐܣܒܪ: ܘܩܪܒ ܠܗܝܡܢܘܬܐ ܕܟܪܝܣܛܝܢܐ.

ܘܢܚܬ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܡܢ ܙܒܐ ܪܒܐ. ܘܥܠ ܗܘܐ ܠܩܪܝܬܐ ܚܕܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܒܪܘܓܝܐ. ܕܐܝܬܝܗ ܒܗܘ ܓܒܐ ܕܙܒܐ: ܠܘܩܒܠ ܐܬܪܐ ܕܐܪܒܝܠ. ܘܐܬܐ ܠܐܚܪܬܐ ܡܢ ܗܘ ܓܒܐ ܕܡܕܢܚܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܪܥܡܣܝܣ. ܘܦܢܐ ܠܐܚܪܬܐ ܬܘܒ ܬܚܝܬܗ ܡܢܗ: ܕܡܬܩܪܝܐ ܘܙܝܩ. ܘܟܕ ܒܐܬܪܐ ܕܐܪܒܝܠ ܠܟܠܗ ܐܬܪܐ ܬܠܡܕܗ

dilecti mei, nec dicamus illum fuisse apostolorum postremum : nam Paulus post omnes apostolos electus fuit, ac vi electionis postremus erat apostolorum; verumtamen orbis quem pervadit testatur ejus magnitudinem, quippe qui Simoni Cephæ accenseatur : Paulus namque metropolim civitatum, Romam, evangelizavit. Atque hic pariter regionem inter tractus totius mundi principem evangelizavit, eamque fidei christianæ adjunxit.

11. A Zaba majore descendit beatus Mar Mares et ingressus est vicum quemdam, qui appellatur Brogia (1), situm ad illud latus Zabarum versus regionem Arbelis. Porro venit ad alium ex illo latere orientis vicum qui dicitur Ra'amsis (1). Denique venit ad alium vicum quoque infra illum, qui vocatur Waziq (2). Quumque regionem

Jubetur mittere Tomis discipulum suum in Dasan. Ipse fidem

(1) ܒܪܘܓܝܐ et ܪܥܡܣܝܣ i. e. *Barugja* (seu *Brogia)* et *Ra'amsis,* oppida sunt de quibus aliunde nihil scimus, quamquam regio ad quam pertinuerint ex contextu et ex situ oppidi Waziq, de quo mox, aliquatenus indicari potest. Nominat Hoffmann, op. cit., p. 232, ex recentissimis itineribus a Perkins et Thielmann descriptis, fluvium *Dere Birusch-Tschai (Dara Beerusch, Derre-brusch)* qui e septentrione confluit cum Zaba majore, et quocum nomen *Brogia* seu *Barudscha* cognationem quamdam habere videtur. — (2) ܘܙܝܩ *Waziq* seu ܒܝܬ ܘܙܝܩ *Beth Waziq,* itemque ܒܘܐܙܝܓ *Bawazig,* quæ et diverso prorsus nomine ܟܘܢܝܫܒܘܪ *Conischabor* appellabatur, erat urbs episcopalis

ܗܘܐ. ܘܬܠܡܝܕܐ ܥܒܕ ܗܘܐ: ܚܕ ܡܢ ܠܠܝ̈ܘܬܐ. ܐܬܚܙܝ ܠܗ
ܡܪܢ ܒܚܙܘܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܫܕܪ ܠܬܠܡܝܕܟ ܠܛܘܡܝܣ ܠܐܬܪܐ
ܕܕܫܢ. ܕܢܐܙܠ ܘܢܦܢܐ ܐܢܘܢ ܡܢ ܛܥܝܘܬܗܘܢ. ܘܟܕ ܫܪܝ

diffundit in Brogia, Raamsis et Waziq.

Arbelis perlustrasset beatus atque ibi discipulos effecisset, nocte quadam apparuit ei Dominus noster in visione et dixit illi: *Mitte discipulum tuum Tomis* (1) *ad regionem Dasan* (2), *ut eat et convertat*

Assyriæ, posita juxta Abulfedam (cfr. *Bibl. Orient.*, III, II, 739) supra Bagdad, Tagritum inter et Arbelam, seu accuratius. ex Yaqut (ap. Hoffmann, 189), eo fere loco quo Zab minor in Tigridem fluit : *ad os Zabi.* — Perperam istud oppidum confundit R. Payne Smith (et post eum editores Barhebr. *Chron. eccl.*, II, 132) cum *Beth-Raman (Barimma)*, vico haud procul inde distante ; quæ confusio inde oritur quod apud Jacobitas " unus Ramanitis et Razichitis [seu potius Wazichitis] " episcopus præerat sub metropolitano Tagritensi. „ Cfr. Assemanus, *Bibl. Orient.*, t. III, p. II, p. 772. Idque vult Barhebræus, ubi *Chron. eccl.* II, col. 123 duodecim diœceses sub potestate Maphriani Tagritensis recensens, scribit : ܕܫܬܬ ܒܝܬ ܪܡܢ ܕܗܝ ܒܝܬ ܘܐܙܝܩ *sexta* diœcesis *Beth-Raman quæ est eadem ac Beth Waziq.* — (1) Tomis, teste Ill. Khayyath, non memoratur neque in documentis historicis Nestorianorum neque in eorum Chaldæorumve officiis. — (2) *Dasan*, sic in epistola ad me data scribit Ill. Khayyath, " duo loca sunt, quorum alter unde nunc *Dasnæi* dicuntur tribus Yezidensium in Assyria, alter prope regionem Medorum, in montanis, ubi adhuc pagus hujus nominis exstat. „ — Pagus iste memoratur apud Ritter, IX, p. 756; regio vero de qua hic, ibidem (p. 733) indicatur a Rich, ubi ait Yezidenses illos qui nunc in Kurdistano degunt, nempe in Baazani et in Baasheka, vocari *Dasin* seu *Dassini;* quod idem confirmat Badger, *The Nestorians and their Rituals*, I, 111. Addi potest, id quod de Dasenorum religione scriptor Actorum tradit, non absone comparari cum iis quæ de hodiernorum Yezidensium sive satanæ cultorum moribus novimus, quippe qui lapides quoque, aquam et ignem speciali veneratione prosequantur. Videsis Badger, op. cit., I, 111-113, et Martin, *La Chaldée*, p. 34-46. — Situs *Dasan* regionis sic fere definitur ab Hoffmann, p. 202 sqq. : Est tractus montanus, per catenam montium Gara, quam Arabes *Djabal Dasin* vocabant, supra Mossulam ad Zabam superiorem et ultra in orientem sese protendens. Vicina huic erat regio Margæ, uti liquet ex lectionario Evangeliorum nestoriano apud Wright, *Catalogue of the Syriac Mss. in the Brit. Mus.*, 187, et quidem inferius sita ; nam in Assemani *Bibl. Orient.* III, I, p. 255, Abraham abbas senex e cœnobio Zakhajesu in Dasan ܡܛܠ ܩܘܪܫܐ ܕܐܬܪܐ ܕܕܫܢ *propter nimium regionis Dasenæ frigus*, migravit in cœnobium Beth-Abe, ad Margæ ditionem pertinens. Ibidem, III, II, p. 743 commemoratur *Dasena* tanquam " urbs episcopalis in Assyria, sub metropolita Adiabenico, postea sub Mosulano ; demum patriarchali Ecclesiæ subjecta. „

ܣܢܝ ܐܬܪܗܘܢ ܘܕܚܠܬܗܘܢ. ܡܢܗܘܢ ܓܝܪ ܠܐܝܠܢܐ
ܣܓܕܝܢ. ܘܡܢܗܘܢ ܠܟܐܦܐ ܘܠܡܒܘܥܐ ܕܡܝܐ.
ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ ܒܢܝܗܘܢ ܘܒܢܬܗܘܢ ܒܢܘܪܐ ܡܥܒܪܝܢ
ܗܘܘ. ܐܝܟ ܕܥܒܕܝܢ ܗܘܘ ܒܢܝ ܐܬܘܪ ܘܐܪܒܠ. ܗܝܕܝܢ ܣܡ[1]
ܐܝܕܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܥܠ ܬܐܘܡܣ ܬܠܡܝܕܗ. ܘܫܕܪܗ ܠܐܬܪܐ
ܕܕܣܢܝܐ ܘܙܘܙܢ. ܘܥܕܡܐ ܠܐܪܡܢ ܒܪܝܬܐ. ܘܠܐܬܪܘܬܐ ܕܠܗ
ܕܡܕܝ. ܘܬܡܢ ܐܬܬܢܝܚ ܛܘܒܢܐ ܬܐܘܡܣ: ܣܗܕܘܬܐ ܕܒܠ

[1] S. ܣܡ ܚܠܦܘܗܝ

eos ex errore ipsorum. Etenim valde fœda erant eorum regio ac superstitiones: nam alii arbores adorabant, alii lapides et fontes aquarum; imo et filios suos ac filias per ignem traducebant, quemadmodum faciebant Assyrii et Arbelis incolæ. Itaque Mar Mares manum imposuit Tomisio, discipulo suo, eumque ablegavit in regionem Dasenorum et Zowzan (1), et usque ad Armeniam (2) exteriorem atque ad regiones Madaï (3). Ibi autem quievit beatus Tomis, martyr Domini nostri

(1) *Zowzan, Zozan* vel *Zuzan* juxta Barhebræum (apud P. Smith, v° ܙܘܙܢ) erat nomen regionis Curdorum. Unde ibidem nomen habent ܙܘܙܢܝܐ *(Zowzanaye)* tribus Curdorum in vicinia Haccaritarum. — *Zowzan,* ut mihi rescripsit Ill. Khayyath, nunc non designat proprium aliquem locum, sed vox est persicæ aut kurdicæ originis, in usu trito apud Chaldæos *loca montana* significans. Ritter, *Erdkunde,* XI, p. 597 memorat in tractu Hekkari ad Zabam stationem æstivalem incolarum Amadiæ, quam stationem *Zozan Rav-Daschti* appellant. — (2) ܐܪܡܢ ܒܪܝܬܐ *Armen Bariata* (seu Armenia exterior), est in Bar-Ali et Georgii Karmsedinoyo lexicis (apud P. Smith) *Armenia Minor* seu occidentalis, quæ sub Romanorum ditione fuit. Altera, *Major* seu *Persarmenia,* ab illis dicitur ܓܘܝܬܐ (interior sive ulterior). Ast vero videtur auctor noster Actorum per *Armeniam exteriorem* eam Majoris Armeniæ partem designare quæ Assyriam proprie dictam atque Mediam contingit. — De primis Christianismi initiis in Armenia aliisque rebus ad istam regionem pertinentibus videsis card. Hergenröther in *Kirchenlexicon,* 2ª ed., sub voce *Armenien.* — (3) " *Media,* scribit Assemanus, *Bibl. Orient.* III, II, 424, a Madai filio Japhet dicta, inter Parthiam et Hyrcaniam ad ortum, Armeniam Majorem ad occasum, Assyriam Susianamque ad meridiem et mare Caspium ad boream, eas olim regiones complectebatur quas recentiores vocant *Scirvan* et *Adhorbigian.* Urbes præcipuæ sunt *Tabriz, Ardebil, Maraga, Salmas,*

ܐܦ̈ܝ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܐܬܟܠܠ ܕܝܢ ܛܘܒܢܐ ܛܘܡܝܣ ܬܠܡܝܕܗ ܕܡܪܝ ܡܐܪܝ ܫܠܝܚܐ: ܒܐܬܪܐ ܕܓ̈ܐܘܪ. ܒܚܕ ܒܝܪܚܐ ܬܡܘܙ. ܒܝܘܡܐ ܕܥܪܘܒܬܐ ܒܬܠܬ ܫܥܝܢ. ܘܐܝܬܘܗܝ ܩܒܪܗ ܡܒܘܥܐ ܕܥܘܕܪܢܐ ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܢܐ. ܘܟܕ ܐܬܐ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܠܒܪܘܓܝܐ ܩܪܝܬܐ: ܬܠܡܕ ܠܓܒܪܐ ܚܕ ܡܘܗܦ̈ܛܐ ܕܡܠܟܐ:

Jesu Christi. Coronatus est beatus Tomis, discipulus Mar Maris apostoli, in regione Gawar (1), die 1ª mensis Tamuz (2), feria VIª, hora tertia. Exstatque sepulcrum ejus scaturigo auxiliorum usque in hodiernum diem. Quum autem venisset beatus Mar Mares in Brogia oppidum, doctrina sacra imbuit virum quemdam *mohpata* (3) regis

Argis, Chalat, Charmelis, Sciaharzul, Bardaa etc. „ — Apud Eliam Bar-Sinæum, episcopum Nisibenum, ܡܕܝ, *Madai*, teste P. Smith, regio est cui nomen *Chuzistan* (Susiana). Sed hæc significatio, quæ forte ad posteriorem pertinet ætatem, Actis nostris minime convenit; hæc enim, uti patet, intelligendam præbent Mediam parvam sive occidentalem, quæ et Atropatene dicebatur atque hodiernæ provinciæ *Aderbeidschan* (Adorbiganæ) respondet. — (1) ܓ̈ܐܘܪ *Gawar*. Regio Gawar est alta planities ad sinistram Zabæ fluminis, aliquot leucis versus orientem a Djulamarg distans, hanc civitatem inter et lacum Urmianum. Cfr. Nöldeke, *Grammatik der neusyrischen Sprache*, XXV, not. 2. Regionem *Gawar* sive *Gur* cum variis aliis in quibus subditi sui degebant, nominat patriarcha Chaldæorum Simeon in epistola quam anno 1653 ad Innocentium X scripsit *(Bibl. Orient.*, III, I, 622). Apud Layard, *Niniveh and Babylon*, p. 196 sq., describitur sub nomine *Ghaour* vel *Ghiaver*. — (2) I. e. Julii. — (3) Vox *Mohpata* manifeste indicat hic alludi ad religionem Zoroastris, at, uti e contextu liquet, idololatrico cultu adulteratam. In P. Smith *Thesauro* ea vox vocalibus ita instructa comparet ut legenda sit *Mupta, Muhpta*, atque a Vullers in Lexico persico recte vertitur *magorum præfectus*, græce in *Menæis* ἀρχίμαγος. Sæpius occurrit in *Actis martyrum* a St. Ev. Assemano editis, v. g. I, pp. 21, 54, 134, ibique parum accurate latine redditur per *præfectum;* item pag. 32 per *prætorem*. — De illius vocabuli etymo et sensu sequentia mecum benigne communicavit cl. de Harlez, in Univ. Lovan. professor: “ Parsi, id est Zoroastris discipuli mediævales atque hodierni, lingua “ Guebra „ *Môbed* appellant eumdem qui in idiomate “ pehlvi „ *magupat, mogupat* et *mogpat* vocitabatur, quique in lingua τοῦ Zendavesta diceretur *maghupaiti* vel *moghupaiti*. Istud autem vocabulum derivatur a radice *paiti* (i. e. caput, dominus) et *moghu* (i. e. magus). Designat ergo præfectum magorum sive sacerdotem Zoroastrici cultus; quorum hierarchia duos complectitur ordines: inferiorem τοῖς *herbed* (aithra paiti), et superiorem τοῖς *mobed* constantem. Porro etsi Mohpatæ proprie ad religiosum

ܕܡܫܠܛ ܗܘܐ ܬܡܢ. ܡܛܠ ܕܫܡܥ ܗܘܐ ܕܐܬܬܠܡܕܘ ܡܠܟܐ
ܘܟܠܗܘܢ ܪܘܪܒܢܘܗܝ، ܐܦ ܗܘ ܡܘܗܦܛܐ ܗܝܡܢ ܘܥܡܕ.
ܘܡܕܝܢܬܐ ܟܠܗ ܥܡܗ. ܘܥܒܪ ܠܪܥܡܣܝܣ ܘܠܘܙܝܩ܆ ܘܬܠܡܕ
ܐܢܝܢ ܟܕ ܦܬܚ ܥܝܢܐ ܕܬܪܝܢ ܣܡܝܐ: ܓܒܪܐ ܪܘܪܒܐ ܕܐܝܬ ܗܘܘ
ܬܡܢ. ܘܒܢܐ ܬܡܢ ܥܕ̈ܬܐ: ܥܠ ܫܡ ܦܛܪܘܣ ܘܦܘܠܘܣ ܘܐܕܝ܆
ܫܠܝ̈ܚܐ.

ܘܡܢ ܬܡܢ ܥܠ ܠܒܘܢܐ ܠܐܬܪܐ ܕܚܫܘܟܐ ܘܕܛܘܥܝܘܬܐ܆
ܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܓܪܡܝ. ܘܩܕܡܝܬ ܥܠ ܠܫܗܩܝܪܬ ܡܕܝܢܬܐ.
ܘܡܠܟܐ ܚܕ ܚܢܦܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ: ܘܩܫܐ ܗܘܐ ܣܓܝ ܘܚܣܝܢ.

qui ibi regimen tenebat. Nimirum, quia audiverat regem omnesque illius proceres esse conversos, etiam ipse *mohpata* credidit et baptizatus est, et universa civitas cum eo. Et transiit in Ra'amsis et Waziq, atque ista oppida convertit illuminando duos cæcos, viros principes qui illic versabantur; ædificavitque ecclesias, Petro et Paulo atque Adæo apostolis nuncupatas.

12. Illinc vero profectus est beatus ad regionem caliginis et erroris, regionem Beth-Garmai (1); et primo quidem ingressus est urbem Schahqerth (2), in qua erat rex quidam idololatra, qui valde durus

In regione Bagerma sanat filiam regis urbis Schahqert.

institutum pertinerent et nulla pollerent jurisdictione civili, sæpe tamen judicis officio aucti reperiuntur. „ Confirmatur hoc ultimum ex dictis in locis indicatis ab Assemano *(Acta Mart.)* necnon ex historia S. Sabæ ap. Hoffmann, op. cit., p. 71 sq. Cfr. etiam de *Magis* ac *Mobed* Nöldeke, *Geschichte der Perser und Araber*, p. 458 sq.; de Harlez, *Avesta*, pp. CLXXVII et 57 (2e edit.). — (1) Regionis vel potius posterioris temporis archiepiscopatus *Beth-Garmai* seu *Bagerma* limites sic definiuntur ab Hoffmann, p. 259: habebat ad orientem *Madai*, *Hulwan* seu *Hulavanum*, *Dinur* seu *Dinawar*, atque *Hamadan* (Ecbatanam); ad boream *Adorbiganam*; ad occidentem *Hadjab* seu Adiabenen; ad meridiem tandem *Beth-Armajam* sive Aramæam. — Urbes episcopales Garmæ recensentur *Bibl. Orient.* t. III, p. II, pag. 747; item Barhebræi *Chron. Eccl.* sect. II, col. 17. — (2) ܫܗܩܝܪܬ *Schahqirt*; ܫܗܪܩܕܬ *Schaharqadat* in *Bibl. Orient.* tom. I, p. 188, et apud S. Ev. Assemanum, *Acta Mart. Orient.*, t. I, p. 97; ܫܗܪܓܪܕ *Schahargherd* infra et in historia Beth-Seleuciæ hujusque martyrum apud Mösinger, *Monum. Syr.*, t. II, p. 72, itemque in meo codice et passim alibi. Erat Garmæorum seu regionis Beth-Garmai civitas pro temporum vicissitudine episcopalis aut metropolitana, describiturque a Yaquto (ap. Hoffmann, op.

ܘܒܙܒܢܐ ܗܘ ܕܛܘܒܢܐ ܢܚܬ. ܣܓܕܬܐ ܠܐܝܠܢܐ ܚܕ ܕܫܪܐ ܗܘܐ ܒܗ ܣܛܢܐ ܡܩܪܒܝܢ ܗܘܘ. ܘܠܨܠܡܐ ܚܕ ܕܢܚܫܐ ܬܘܒ ܡܕܒܚܝܢ ܗܘܘ. ܘܡܠܟܐ ܫܗܪܓܪܕ. ܠܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܒܪܐ. ܐܠܐ ܐܢ ܒܪܬܐ ܚܕܐ ܕܫܡܗ̇ ܦܪ̈ܛܝܐ. ܐܝܕܐ ܕܚܠܘܗ̇، ܛܒ ܡܝܩܪܐ ܗܘܬ. ܘܒܟܘܪܗܢܐ ܩܫܝܐ ܡܬܚܒܠܐ ܗܘܬ. ܕܫܪܝܘܬ ܗܕܡ̈ܐ. ܘܠܐ ܡܫܟܚܐ ܗܘܬ ܕܬܥܒܕ ܡܕܡ ܐܘ ܕܬܗܠܟ. ܘܥܠ ܥܠܝܫܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ ܘܕܥܡܗ. ܘܫܪܘ ܠܘܩܒܠ ܬܪܥܐ ܕܒܝܬ ܡܠܟܐ. ܘܩܪܒ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ. ܘܢܩܫ ܒܬܪܥܐ ܕܒܝܬ ܡܠܟܐ. ܘܥܢܬܗ ܛܠܝܬܐ ܚܕܐ ܘܐܡܪܬ ܡܢ ܐܢܬ. ܐܡܪ ܠܗ̇ ܛܘܒܢܐ. ܦܬܚܝ ܠܢ ܬܪܥܐ ܐܘ ܒܪܬܝ،. ܘܣܒܝ ܡܢ ܗܢܐ ܩܠܝܠ ܩܡܚܐ ܘܠܘܫܝ ܘܐܦܝ ܠܢ ܦܛܝܪܐ. ܐܝܟ ܕܬܩܢܝܢ ܒܢ ܐܓܪܐ. ܡܛܠ ܕܡܢ ܪܘܚܩܐ ܐܢܚܢ. ܘܒܡܕܝܢܬܐ ܗܕܐ ܠܐ ܐܫܟܚܢ ܠܡܙܒܢ ܠܚܡܐ. ܐܡܪܐ ܠܗ ܛܠܝܬܐ ܗܝ. ܠܐ ܓܝܪ ܡܫܟܚܐ ܐܢܐ ܕܐܩܘܡ ܘܐܦܬܚ

erat et terribilis. Tempore autem quo beatus advenit, cultus divinus exhibebatur arbori cuidam in qua morabatur satanas; itemque simulacro cuidam æneo sacrificabatur. Porro rex Schahgerd non habebat filium, sed tantum filiam unicam, nomine Phratiam; quæ quidem illi valde cara erat et morbo gravi implicata, nimirum laxationis membrorum, neque quidquam facere poterat aut ambulare. Ingressus est igitur Mar Mares cum sociis suis, et hospitati sunt e conspectu portæ regis. Porro accessit Mar Mares et pulsavit ostium palatii, et respondit ei puella quædam, dicens: *Quis es tu?* Dixit illi beatus: *Aperi nobis ostium, o filia mea, et accipe a nobis hoc parum farinæ, ac depse et coque nobis panem azymum, ut possideas in nobis mercedem; quia e longinquo sumus, atque in hoc oppido non potuimus emere panem.* Dixit illi puella ista: *Ast enim ego surgere non valeo et aperire*

cit., p. 271) tanquam pagus insignis *Daquqam* inter et *Irbil*, habens arcem exiguam, et in quo ficus nascuntur, quales alibi nusquam veniunt. — Locus erat a Beth-Seleucia seu *Karkha de Beth-Seluq*, hodie *Kerkuk*, parum distans; imo Ebedjesus Sobensis (*Bibl. Orient.* III, I, p. 346) illam cum Beth-Seleucia confundere videtur: ea sane de causa, quod ejus ætate, seculo XIV ineunte, unus tantum, nimirum Beth-Seleuciensis, utrique oppido præerat episcopus.

ܠܟ: ܡܛܠ ܕܐܝܕܝ̈ ܘܪ̈ܓܠܝ ܡܫܪ̈ܝܢ. ܘܒ̈ܢܝ ܒܝܬܐ ܟܠܗܘܢ: ܢܦܩܘ ܠܗܘܢ ܠܘܬ ܐܠܗ̈ܐ: ܠܡܕܒܚܘ ܬܡܢ. ܘܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܢܫܪܪܘܢ ܗܕܡ̈ܝܟܝ. ܘܟܕ ܦܘܡܗ ܕܢܨܝܚܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܡܡܠܠ: ܦܪܩ ܡܢܗ ܟܠ ܟܐܒܐ ܐܝܢܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ. ܘܡܚܕܐ ܒܚܕܘܬܐ ܘܬܡܗܐ ܩܡܬ ܘܦܬܚܬ ܬܪܥܐ. ܘܥܢܬ ܘܐܡܪܬ ܠܗ. ܡܢܐ ܐܥܒܕ ܠܟ ܐܘ ܓܒܪܐ. ܡܛܠ ܕܦܘܩܕܢܐ ܕܡܠܟܐ ܕܝܠܢ ܘܕܡܠܟܘܬܢ ܗܟܢ ܦܩܕ. ܕܬܠܬܐ ܝܘܡ̈ܝܢ ܕܐܠܗܘܢ ܠܐܠܗ̈ܐ ܠܐ ܐܢܫ ܡܩܕܚܐ ܢܘܪܐ ܠܡܐܦܝܬܐ. ܘܐܢܐ ܕܡܡܪܚ. ܗܘ ܘܟܠܡܕܡ ܕܐܝܬ ܠܗ ܒܢܘܪܐ ܡܘܩܕܝܢ ܠܗ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ. ܠܐ ܬܕܚܠܝܢ. ܠܝܬ ܓܝܪ ܐܢܫ ܕܡܫܟܚ ܡܘܩܕ ܠܟܝ ܒܢܘܪܐ. ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܐܡܪ ܠܗ. ܢܣܒܬ ܩܡܚܐ ܡܢ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ. ܘܩܕܚܬ ܢܘܪܐ. ܘܫܪܝܬ ܠܡܐܦܝܘܬܐ. ܘܒܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܣܛܢܐ ܣܠܩ ܬܢܢܐ ܠܟܠ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܐܓܪ̈ܐ ܕܡܕܝܢܬܐ. ܘܚܙܘ ܐܝܠܝܢ ܕܦܩܝܕܝܢ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ ܕܡܠܟܐ. ܘܐܬܘ ܘܒܥܘ. ܘܝܕܥܘ ܕܒܒܝܬܗ ܕܡܠܟܐ ܝܩܕܐ ܢܘܪܐ.

tibi, quandoquidem manus meæ et pedes mei paralysi tenentur ; domestici vero omnes exierunt ad deos, ad sacrificandum ibi. Respondit beatus et dixit illi : *In nomine Domini nostri Jesu Christi, firmentur membra tua!* Et dum os illustris Mar Maris loquebatur, recessit ab ea omnis infirmitas illa qua laborabat; atque illico cum gaudio et admiratione surrexit et aperuit januam, responditque et dixit ei : *Quid faciam tibi, o vir? quandoquidem præceptum regis nostri et regni nostri sic præcipit, ut per tres dies diis nostris sacros nemo ignem excudat ad coctionem; et si quis contra ausus fuerit, hunc et omnia quæ ad ipsum pertinent igne comburent.* Dixit illi beatus Mar Mares : *Ne timeas; neque enim quisquam poterit vos igne consumere.* Quumque hæc illi dixisset, accepit farinam a Mar Mari, et excudit ignem coctionemque adorsa est. Ast per operam satanæ ascendit fumus super omnia tecta urbis; videruntque qui præcepto regis servando fuerant præpositi, adveneruntque et, inquisitione facta, cognoverunt in palatio regis ignem fuisse succensum.

ܘܐܬܘ ܩܡܘ[1] ܩܕܡ ܫܗܓܝܪܕ ܡܠܟܐ. ܘܒܥܘ ܕܢܐܡܪܘܢ ܠܗ ܘܕܚܠܘ. ܗܘ ܕܝܢ ܟܕ ܚܙܐ ܐܢܘܢ ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܡܢܐ ܐܡܪܝܬܘܢ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ: ܡܪܝ ܡܠܟܐ. ܗܐ ܬܢܢܐ ܣܠܩ ܡܢ ܐܦܕܢܟ ܐܝܟ ܕܐܬܘܢܐ. ܘܟܕ ܡܬܕܟܪ ܗܘܐ: ܕܠܝܬ ܐܢܫ ܒܒܝܬܗ ܐܠܐ ܐܢ ܦܪܛܝܐ ܒܪܬܗ: ܩܡ ܗܘܐ ܒܙܘܥܐ ܘܒܪܬܠܐ: ܘܐܬܐ ܠܒܝܬܗ ܥܡ ܥܣܪܐ ܪܘܪܒܢܐ. ܘܥܠܘ ܥܡܗ ܟܕ ܕܚܠܝܢ. ܘܒܪ ܫܥܬܗ ܪܗܛܘ ܠܘܬ ܬܢܘܪܐ. ܘܚܙܘ ܠܒܪܬܗ ܗܝ ܕܡܢ ܡܬܘܡ ܠܐ ܗܠܟܬ. ܟܕ ܩܝܡܐ ܥܠ ܬܢܘܪܐ. ܘܠܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܟܕ ܝܬܒ ܬܡܢ. ܘܬܡܗ ܡܠܟܐ ܐܝܟ ܫܥܐ ܚܕܐ. ܥܢܐ ܘܐܡܪ ܠܛܘܒܢܐ ܡܢܘ ܐܢܬ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܒܪܢܫܐ ܐܢܐ ܥܒܕܗ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ. ܘܡܢܘ ܝܗܒ ܠܗ ܚܘܠܡܢܐ ܠܛܠܝܬܐ ܗܕܐ: ܘܝܗܒ ܠܗ ܚܝܠܐ: ܗܢܐ ܕܐܠܗܐ ܕܝܠܢ ܠܐ ܐܫܟܚܘ ܠܡܥܒܕܗ: ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܠܗ ܦܠܚܐ ܐܢܐ ܝܗܒ ܠܗ ܠܒܪܬܗ ܕܡܠܟܐ ܐܣܝܘܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܘܡܢܘ

[1] S. ܘܩܡܘ

qui cultum idolorum.

13. Dein adierunt steteruntque coram Shahgirad rege, ac timore perculsi cum illo loqui postularunt. Ille autem, eos videns, dixit illis: *Quid loquimini?* Dicunt ei: *Domine rex, ecce fumus ascendit e palatio tuo tanquam ex fornace.* Recordatus vero neminem in domo sua versari præter Phratiam, filiam suam, surrexit cum terrore et tremore, et venit ad domum suam cum decem principibus, qui cum ipso ingressi sunt, timentes. Et illico cucurrerunt ad furnum. Et viderunt filiam ejus, quæ nunquam incesserat, stantem juxta furnum, et beatum Mar Marim sedentem ibi. Et obstupuit rex per aliquod temporis punctum, ac compellans beatum dixit illi: *Quis es tu?* Dixit ei Mar Mares: *Homo sum, servus Dei vivi.* Dixit ei rex: *Et quis donavit valetudinem puellæ isti, et dedit illi robur; quod quidem dii nostri efficere non valuerunt?* Respondit beatus Mar Mares et dixit illi: *Christus, cui inservio, præbuit regis filiæ sanitatem.* Dixit illi rex: *Et quis est Christus ille de*

ܗܘܐ ܡܫܝܚܐ ܕܐܡܪܬ[1] : ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ. ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܝܡܐ ܚܝܐ ܒܪܘܝܐ ܕܫܡܝܐ ܘܕܐܪܥܐ : ܘܕܟܠܗܘܢ ܒܪ̈ܝܬܐ. ܘܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ. ܗܠܝܢ ܐܠܗ̈ܐ ܕܝܠܢ ܡܛܠ ܡܢܐ ܠܐ ܝܗܒܝܢ ܚܘܠܡܢܐ ܠܟܪ̈ܝܗܐ : ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ. ܥܠ ܕܠܝܬ ܐܢܘܢ ܐܠܗ̈ܐ : ܐܠܐ ܦܬܟܪ̈ܐ ܐܢܘܢ ܘܨܠܡ̈ܐ. ܘܫܐܕ̈ܐ ܥܡܪܝܢ ܒܗܘܢ ܘܡܛܥܝܢ ܠܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܕܠܐ ܢܕܥܘܢ ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ ܘܫܪܝܪܐ. ܘܐܬܚܡܬ ܡܠܟܐ ܟܕ ܐܡܪ ܠܗ ܕܠܫܐ̈ܕܐ ܦܠܚܝܢ ܐܢܬܘܢ. ܘܐܚܕܗ ܠܛܘܒܢܐ ܘܐܘܒܠܗ ܠܒܝܬ ܦܬܟܪܐ ܗܘ̇. ܐܝܟܐ ܕܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ ܡܕܝܢܬܐ ܟܢܝܫܝܢ ܗܘܘ. ܘܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܠܛܘܒܢܐ. ܕܐܢ ܐܠܗܟ ܕܝܠܟ ܛܒ ܡܢ ܐܠܗ̈ܐ ܗܠܝܢ : ܘܐܡܪܬ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ ܘܒܫܡܝܐ ܥܡܪ. ܘܥܒܕ ܚܝ̈ܠܐ ܘܐܬ̈ܘܬܐ : ܥܘܠ ܐܦܩܝܗܝ ܠܫܐܕܐ ܗܢܐ ܕܐܡܪܬ ܥܠܘܗܝ, ܘܐܚܙܐ ܘܐܗܝܡܢ ܒܐܠܗܟ. ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܡܠܟܐ. ܒܫܪܪܬܐ ܗܝ ܡܠܬܐ. ܐܢܬ ܕܐܢ ܡܣܩ ܐܢܐ ܠܗ ܠܟ : ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ ܒܡܫܝܚܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܐܝܢ.

[1] S. *om.* ܠܗ .... ܕܐܡܪܬ

quo loqueris? Dixit illi beatus: *Filius Dei excelsi, vivi, creatoris cœli et terræ et omnium creaturarum.* Dixit illi rex : *Isti dii nostri quare non præbent sanitatem infirmis?* Dixit illi beatus : *Quia non sunt dii, sed idola sunt et simulacra in quibus dæmones habitant, decipientes homines, ne cognoscant Deum vivum et verum.* Et iratus est rex quum diceret ipsi : " dæmones colitis, „ et apprehendit beatum et adduxit eum ad idolium istud ubi omnes incolæ civitatis congregati erant. Dixit ergo rex beato : *Quod si Deus tuus melior est diis istis, nempe dixisti Eum esse invisibilem et in cœlo habitare, ac facere prodigia et signa, jam intra, ejice dæmonium istud, de quo locutus es, ut videam et credam in Deum tuum.* Respondit beatus et dixit regi : *Verumne est istud verbum, te, si hoc ad te faciam ascendere, crediturum esse in Christum?* Dixit illi rex : *Utique.*

ܘܩܪܝܗܝ ܛܘܒܢܐ ܠܐܕܝ ܬܠܡܝܕܗ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܥܘܠ ܐܦܩܝܗܝ ܠܝ ܠܗܢܐ ܡܛܥܝܢܐ ܠܝܛܐ ܕܥܡܪ ܒܨܠܡܐ ܗܠܝܢ: ܠܗ ܘܠܟܠܗܘܢ ܚܒܪܘܗܝ. ܘܥܠ ܐܕܝ ܐܝܟ ܦܘܩܕܢܗ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܪܐܪܝ ܘܐܡܪ ܠܫܐܕܐ ܗܠܝܢ. ܗܟܢܐ ܐܡܪ ܡܪܝ ܡܪܐܪܝ ܫܠܝܚܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܠܐ ܬܬܚܝܠܘܢ ܠܘܩܒܠ ܡܠܬܐ ܚܝܬܐ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܐܠܐ ܕܩܕܡ ܟܠܗܘܢ ܬܦܩܘܢ ܒܕܡܘܬܐ ܗܝ ܣܢܝܬܐ. ܘܢܦܩܘ ܗܘܘ ܒܕܡܘ̈ܬܐ ܫ̈ܢܝܢ: ܕܒܥܝܪܐ ܘܪ̈ܚܫܐ ܛܢ̈ܦܐ. ܘܩܕܡ ܡܠܟܐ ܘܩܕܡ ܟܠܗܘܢ ܗܢܘܢ ܕܟܢܝܫܝܢ ܗܘܘ ܬܡܢ. ܘܗܘܘ ܗܘܘ ܒܡܢܝܢܐ ܫܒܥܝܢ ܘܬܪܝܢ. ܘܩܥܝܢ ܗܘܘ ܘܡܝܠܠܝܢ ܗܘܘ ܘܐܡܪܝܢ. ܐܘܗ ܒܪܗ ܕܡܪܝܡ. ܗܐ ܡܠܝܬ ܠܟܠܗ̇ ܐܪܥܐ ܡܢ ܝܘܠܦܢܟ. ܘܠܐ ܗܘܐ ܠܟ ܣܦܩ ܥܕܡܐ ܕܡܢ ܡܕܒܪܐ ܘܡܢ ܚܪ̈ܒܬܐ ܛܪܕܬܢ. ܠܐܝܟܐ ܗܫܐ ܢܐܙܠ ܠܐ ܝܕܥܝܢ. ܘܩܥܐ ܥܠܝܗܘܢ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܪܐܪܝ ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܠܐ ܬܬܚܝܠܘܢ ܬܘܒ ܠܘܩܒܠ ܡܠܬܗ ܕܡܪܢ ܘܬܘܒ ܠܐ ܬܪܝܡܘܢ ܩܠܟܘܢ ܩܕܡܝܢ. ܙܠܘ ܠܓܗܢܐ ܕܢܘܪܟܘܢ ܗܝ ܕܡܛܝܒܐ ܠܟܘܢ ܘܠܦܠܚܝܟܘܢ. ܘܟܕ ܫܡܥ

postquam vidit dæmonem e simulacris expulsum, derelinquit et baptizatur cum omnibus subditis suis.

14. Vocavitque beatus discipulum suum Ada ; cui dixit : *Ingredere, expelle mihi hunc seductorem maledictum qui habitat in simulacris istis, hunc cunctosque socios ejus.* Et ingressus est Ada juxta præceptum beati Mar Maris, et dixit dæmoniis istis : *Sic jubet Mar Mares, apostolus Jesu Christi : Ne prævaleatis contra verbum vivum Domini nostri Jesu Christi, sed coram omnibus exeatis sub forma fœda!* Et exierunt sub formis variis, pecudum et reptilium immundorum, idque coram rege et omnibus illic congregatis. Erant autem numero septuaginta duo, et clamabant et ululabant, dicebantque : *Heu ! tu, o fili Mariæ, ecce replesti universam terram doctrina tua, nec satis fuit tibi donec e deserto et locis vacuis nos deturbaveris. Quonam nunc eamus, nescimus.* Et clamavit ad eos beatus Mar Mares, dicens : *Ne prævaleatis ultra contra verbum Domini nostri, nec ultra efferatis vocem vestram coram nobis. Ite ad gehennam ignis vestri, quæ præparata est vobis et cultoribus vestris.* Quumque hæc audisset rex, timor

ܥܡܗ ܡܠܟܐ. ܕܫܠܛܐ ܪܒܬܐ ܢܦܠܬ ܥܠܘܗܝ. ܘܪܗܛ ܠܘܬ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܘܒܪܟ ܥܠ ܒܘܪ̈ܟܘܗܝ: ܘܣܓܕ ܠܗ ܘܐܡܪ. ܪܒ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܐܠܗܢ. ܘܠܝܬ ܠܢ ܬܘܒ ܠܒܪ ܡܢܗ. ܘܦܩܕ ܠܗܘܢ ܐܒܘܢ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ: ܠܫܐ̈ܕܐ ܕܠܬܗܘܡܐ ܢܐܙܠܘܢ. ܘܠܡܠܟܐ ܘܠܡܕܝܢܬܐ ܐܥܡܕ ܐܢܘܢ: ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܘܠܬܢܘܪܐ ܗܘ ܕܒܝܬ ܡܠܟܐ ܚܦܪܘܗܝ، ܥܕܡܐ ܠܡܝ̈ܐ. ܘܒܢܐ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܥܕܬܐ. ܘܠܥܠܡܢ[1] ܬܢܘܪܐ ܗܘ ܕܥܒܕܘܗܝ ܒܝܪܐ. ܒܢܐ ܒܝܬ ܡܥܡܕܐ. ܘܒܝܪܐ ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܢܐ ܐܝܟ ܣܗܕܘܬܐ ܕܐܢܫܝ̈ܢ: ܒܝܬ ܡܥܡܕܐ ܐܝܬܝܗ̇. ܘܐܬܘ̈ܬܐ ܪ̈ܘܪܒܬܐ ܡܬܥܒܕ̈ܢ ܡܢ ܡܝ̈ܐ ܗܢܘܢ.

ܘܢܦܩ ܡܢ ܬܡܢ ܠܐܬܪܐ ܕܕܪܐܒܪ. ܘܒܢܝܐ ܐܢܬܬܗ، ܗܘܐ

[1] *Sine dubio error scribæ pro* ܠܥܠ ܡܢ

magnus irruit in eum, et accurrens ad beatum Mar Marim flexit genua sua et adoravit eum, dicens : *Magnus est Christus Deus noster et jam non est nobis deus præter eum.* Et præcepit pater noster apostolus Mar Mares dæmoniis ut irent in abyssum ; regem vero et civitatem baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Fornacem autem regii palatii foderunt usque ad aquas, et ædificavit beatus Mar Mares ecclesiam. Et super aquam fornacis quam in puteum converterant, ædificavit baptisterium : et puteus usque in hodiernum diem, juxta testimonium nonnullorum, baptisterium est ; et signa magna efficiuntur ab aquis illis.

15. Illinc autem digressus est ad regionem Darabhar (1), eratque — Ejicit item dæmonem

(1) *Darabhar* regio ea est quæ alibi (*Bibl. Orient.* II, 458) *Darabhad* et (*Bibl. Orient.* III, II, 722, 747) *Ardabad* scripta reperitur. Hæc de ea notat Assemanus op. cit., III, II, 722 : " *Ardabada* ܐܪܕܒܕ, Arabibus Persisque *Ard-Abad,* in tabula Eliæ (Damasceni) *Dar-Abad...* Urbs Garmæorum episcopalis in provincia Assyriaca, sub metropolitano Beth-Seleuciæ, cum quo Ardabeni de primatu contendisse perhibentur. "

ܩܝܛܐ. ܘܟܕ ܠܐܝܘ ܛܘܒܢܐ ܘܕܥܡܗ ܡܢ ܚܘܡܐ ܕܐܘܪܚܐ. ܒܥܐ ܗܘܐ ܕܘܟܬܐ ܕܢܬܒ ܘܢܬܬܢܝܚ. ܘܐܫܟܚ ܠܒܪ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܕܘܟܬܐ ܚܕܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܓܠܠܐ̈. ܐܘܟܝܬ ܡܒܘܥܐ ܕܡܝ̈ܐ. ܘܫܪܘ ܬܡܢ ܥܠ ܡܝ̈ܐ. ܘܠܥܠ ܡܢ ܡܒܘܥܐ ܗܢ. ܬܬܐ ܚܕܐ ܐܝܬ ܗܘܬ. ܘܣܓܕܝܢ ܗܘܘ ܠܗ̇ ܒܢܝ̈ ܐܬܪܐ ܗܿܘ. ܘܛܥܝܢܐ ܗܘܬ ܦܐܪ̈ܐ ܘܛܒ ܫܦܝܪܐ ܗܘܬ. ܘܠܐ ܐܢܫ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܕܢܐܟܘܠ ܡܢ ܦܐܪܗ̇ : ܡܛܠ ܕܫܐܕܐ ܗܘ ܕܥܡܪ ܗܘܐ ܒܗ̇. ܘܟܠ ܕܐܟܠ ܗܘܐ ܡܢ ܦܐܪ̈ܝܗ̇ ܕܬܬܐ ܗܿܝ ܪܓܡܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܫܐ̈ܕܐ ܗܢܘܢ. ܘܟܕ ܦܢ ܝܘܡܐ. ܣܠܩ ܛܘܒܢܐ ܕܢܚܙܐ ܟܡܐ ܪܚܝܩ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܐܕܝܩ ܚܙܐ. ܘܗܐ ܛܠܝܐ ܚܕ ܒܪ ܐܪܒܥܣܪܐ ܫܢܝ̈ܢ ܪܡܐ ܡܝܬ. ܘܐܚܕܗ ܛܘܒܢܐ ܠܛܠܝܐ

ex ficu in Glala, et adolescentem ab eo occisum ad vitam revocat.

tempore æstatis; laborantibus vero beato et sociis ejus calore itineris, quærebat locum in quo sederet et requiesceret, invenitque extra oppidum locum quemdam, qui vocabatur Glala (1), hoc est fons aquarum, et manserunt ibi juxta aquas. Atqui supra fontem istum ficus quædam erat, quam adorabant illius regionis incolæ, fructifera et pulcherrima; nemo vero poterat de fructu ejus comedere, eo quod dæmon in ea habitabat: quicumque enim manducasset de fructibus ficus istius, lapidabant eum dæmones illi. Quum autem refrigesceret dies, ascendit beatus ut videret quantum abesset ab urbe; et prospexit et vidit. Et ecce adolescens quidam quatuordecim annorum mortuus jacebat. Et accepit beatus hunc puerum manu sua, et dixit

(1) ܓܠܠܐ̈ *Gelale* sic interpretatur Bar-Ali apud P. Smith sub hoc verbo: " locus super quem irruit inundatio aquarum, vallis. „ Nec isti interpretationi repugnat auctor Actorum, dicens *Gelala* idem esse ac fontem aquarum; at vocem ipse non masculini generis, ut P. Smith, sed feminini facit, ut patet ex appellativo sensu quem tribuit formæ mox sequenti *Herbath-Gelal*. Herbath Gelal (in *Bibl. Orient.* t. III, p. II, 756, *Harbat-Gelal*) postea fuit urbs episcopalis sub metropolitano Garmæorum, in qua quondam exstitit schola. Porro, si Actis nostris fides est, convenit hæc cum territorio seu loco *Glal* vel *Glala* ad Zabam minorem sito, quem sub nomine *Ghellaleh* Ritter, *Erdk.*, IX, 588, ponit in confinio boreali oppidi *Schinek*, ubi fluvius Karatscholam confluit in Zabam (ibid., 560). — Plura de *Glala, Ghellala, Harbath-Gll* conjiciendo profert G. Hoffmann, op. cit., 261 sqq., 272.

ܗܘ ܒܐܝܕܗ: ܘܐܡܪ ܠܗ. ܛܠܝܐ ܡܩܝܡ ܠܟ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܘܡܚܕܐ ܩܡ ܛܠܝܐ ܗܘ ܘܣܓܕ ܠܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܘܫܐܠܗ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܢܘ ܩܛܠܟ ܒܪܝ. ܘܒܡܕܒܪܐ ܗܢܐ ܐܪܡܝܟ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܠܝܐ ܗܘ. ܠܒܝܬܗ ܐܠܗܐ ܗܢܐ ܕܝܠܗ ܥܠܬ ܐܝܟ ܕܐܟܘܠ ܡܢ ܦܐܪ̈ܘܗܝ. ܘܩܡܘ ܥܠܝ ܪ̈ܒܝ ܚ̈ܝܠܐ ܕܝܠܗ ܘܪܓܡܘܢܝ ܒܟܐܦ̈ܐ ܘܩܛܠܘܢܝ. ܘܐܬܗܦܟ ܛܘܒܢܐ ܠܘܬ ܬܐܬܐ ܗܝ. ܘܐܡܪ ܠܫܐ̈ܕܐ ܗܢܘܢ. ܐܘ ܒܢ̈ܝܬܐ ܡܛܠ ܡܢܐ ܡܛܥܝܢܬܘܢ ܠܒܢ̈ܝܢܫܐ ܘܩܛܠܝܢܬܘܢ ܠܗܘܢ. ܡܛܠܗܢܐ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܕܠܐ ܫܠܝܛ ܠܟܘܢ ܒܡܠܬܐ ܚܝܬܐ ܕܐܠܗܐ ܕܬܥܡܪܘܢ ܒܐܝܠܢܐ ܗܢܐ. ܘܠܐ ܒܕܘܟܬܐ ܗܕܐ. ܘܛܪܕ ܐܢܘܢ ܡܢ ܬܡܢ: ܠܢܝܠܘ ܢܗܪܐ. ܘܠܬܬܐ ܗܝ ܠܛܗ ܘܐܬܥܩܪܬ ܡܢ ܥܩ̈ܪܝܗ. ܘܩܡ ܛܘܒܢܐ ܡܢ ܬܡܢ ܘܐܙܠ ܒܬ ܠܒܪ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܡܢ ܬ̈ܚܘܡܝܗ.

illi : *Adolescens, suscitat te Jesus Christus.* Et illico surrexit adolescens iste et adoravit beatum Mar Marim. Et interrogavit eum beatus Mar Mares et dixit illi : *Quis necavit te, fili mi, et in hæc deserta projecit?* Dixit illi adolescens : *Ad domum hujusce dei nostri accessi, ut manducarem de fructibus ejus, et insurrexerunt in me principes exercituum ejus, et lapidaverunt me lapidibus et interfecerunt.* Tum conversus est beatus ad ficum illam, dixitque dæmonibus istis : *O scelerati, quare decipitis homines et occidistis eos? Idcirco ego dico vobis jam per vivum Dei verbum vos prohiberi habitatione arboris hujus aut hujusce loci.* Et ejecit eos inde ad Nilum (1) flumen, et ficui ipsi maledixit : quæ radicitus evulsa est. Et surrexit beatus illinc et progressus pernoctavit extra oppidum et extra confinia ejus. Eadem autem nocte extulerunt vocem suam dæmones illi et

(1) Duos canales juxta nomen celeberrimi fluminis Ægypti dictos *Nahr-Nil*, sed multo magis ad austrum sitos prope ruinas Babylonis, memorat Ritter, XI, pp. 783 et 911. Item *(Bibl. Orient.* t. III, p. I, pagg. 264, 551 et 557) ab Amro recensetur episcopus quidam oppidi *Nili* in provincia patriarchali siti, cui aliquando junctus fuit episcopatus *Zabe (al-Zawabi)*, inter Seleuciam et Kaschkar. Cfr. Hoffmann, p. 84.

ܘܒܗ ܒܗܘ ܠܠܝܐ. ܐܪܝܡܘ ܩܠܗܘܢ ܫܐܕ̈ܐ ܗܢܘܢ ܘܐܡܪܘ. ܚܪܒܬ ܓܠܠ ܚܪܒܬ ܓ̈ܠܠ: ܗܐ ܢܦܩܝܢ ܠܢ. ܘܫܡܥܘ ܟܠܗܘܢ ܐܢ̈ܫܐ ܕܡܕܝܢܬܐ: ܘܐܫܬܡܥܬ ܐܦ ܩܕܡ ܡܠܟܐ.

ܠܨܦܪܗ ܕܝܢ ܕܝܘܡܐ ܫܕܪ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܠܐܕܐ ܬܠܡܝܕܗ: ܕܢܥܘܠ ܠܫܘܩܐ ܘܢܙܒܢ ܠܚܡܐ. ܘܥܠ ܐܕܐ ܘܐܬܥܘܟܒ ܬܡܢ. ܘܩܡ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܘܕܥܡܗ ܘܐܬܘ ܒܬܪܗ. ܘܐܫܟܚܘܗܝ ܕܝܬܒ ܠܘܩܒܠ ܬܪܥܗ ܕܡܠܟܐ ܐܕܪ. ܘܡܠܠ ܐܘܢܣܝܡܘܣ ܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝ̈ܕܘܗܝ ܕܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܠܡܢܐ ܝܬܒ ܗܪܟܐ. ܠܐ ܕܚܠܬ ܘܐܬܬܪܝܬ ܡܢ ܦܘܩܕܢܗ ܕܪܒܢ. ܕܡܢ ܨܦܪܐ ܘܥܕܡܐ ܠܗܫܐ ܡܢ ܠܘܬܗ ܢܦܩܬ: ܘܠܐ ܐܬܚܙܬ ܠܟ ܕܬܗܦܘܟ. ܥܢܐ ܐܕܐ ܘܐܡܪ ܫܒܘܩܘ ܠܝ. ܟܕ ܥܠܬ ܠܫܘܩܐ: ܠܐ ܐܫܟܚܬ ܒܗ ܠܚܡܐ. ܘܚܙܬܢܝ ܐܢܬܬܐ ܚܕܐ ܘܐܡܪܬ ܠܝ. ܬܐ ܥܡܝ ܘܣܒ

dixerunt : *Herbath Glal* (1), *Herbath Glal; ecce eximus nos.* Et audierunt omnes homines oppidi, et relatum hoc quoque fuit apud regem.

Sanat filiam regis Adar.

16. Diluculo autem diei ablegavit beatus Mar Mares Ada, discipulum suum, ut ingrederetur forum et emeret panem. Et ingressus est Ada et moram ibi traxit. Et surrexit Mar Mares et socii ejus, illumque insecuti invenerunt sedentem e conspectu portæ regis Adar. Locutusque est Onesimus, unus e discipulis beati, et dixit ei : *Quare hic sedes? Nonne times et perterreris ob mandatum magistri nostri, quod a diluculo usque nunc ab ipso discesseris, quin tibi visum fuerit ut revertaris?* Respondit Ada et dixit : *Veniam mihi date : quum ingressus essem forum, non inveni in eo panem, et vidit me mulier quædam, quæ dixit mihi : Veni mecum et accipe quod quæris. Et ingressa est*

(1) ܚܪ̈ܒܬ ܓ̈ܠܠ *Herbath-Gelal,* quod significat *vastata est Gelal* seu *vastata est vallis.* Narratione quam hic exhibet forte vult auctor noster originem exponere nominis quod inditum fuit civitati episcopali *Herbath-Gelal,* de qua in nota præcedenti. Hæc ex ejus mente, ut ex contextu liquet, ad eamdem regionem ac Darabhar seu Darabhad pertinuisse censenda est.

ܡܕܡ ܕܒܥܝܐ ܐܢܬ. ܘܥܠܬ ܠܒܝܬܐ ܗܢܐ. ܘܗܐ ܢܛܪ ܐܢܐ ܠܗ̇. ܘܟܕ ܗܢܘܢ ܡܡܠܠܝܢ: ܗܐ ܐܢܬܬܐ ܗܝ ܢܦܩܬ ܘܠܚܡܐ ܥܡܗ̇. ܘܫܐܠܗ̇ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܘܐܡܪ ܠܗ̇. ܗܕܐ ܐܦܕܢܐ ܕܡܢ ܐܝܬܝܗ̇. ܘܥܢܬ ܘܐܡܪܬ ܠܗ. ܗܕܐ ܕܝܪܬܐ ܕܡܠܟܐ ܕܝܠܢ ܐܝܬܝܗ̇. ܘܟܕ ܗܢܘܢ ܡܡܠܠܝܢ. ܘܗܐ ܒܪܬܗ ܡܠܟܐ ܡܦܩܝܢ ܠܗ̇ ܡܢ ܕܪܬܐ ܠܕܪܬܐ ܐܚܪܬܐ. ܘܠܒܝܢ ܠܗ̇ ܥܒ̈ܕܐ ܡܢ ܝܡܝܢܐ ܘܡܢ ܣܡܠܐ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܡܢܐ ܛܒܗ̇ ܠܛܠܝܬܐ ܗܕܐ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܥܒ̈ܕܘܗܝ. ܒܟܘܪܗܢܐ ܗܢܐ ܪܡܝܐ ܫ̈ܢܝܐ ܣܓܝܐܬܐ. ܘܟܕ ܚܙܗ̇ ܛܘܒܢܐ ܐܬܪܚܡ ܥܠܝܗ̇. ܘܥܢܐ ܘܐܡܪ ܠܗ̇. ܛܠܝܬܐ ܠܟܝ ܐܡܪ ܐܢܐ. ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܢܨܪܝܐ ܩܘܡܝ ܥܠ ܪ̈ܓܠܝܟܝ. ܘܒܗ̇ ܕܡܠܬܐ ܫܪ ܪ̈ܓܠܝܗ̇ ܘܟܠܗܘܢ ܗܕ̈ܡܝܗ̇. ܘܐܬܬ ܒܪܬܬܐ ܘܢܦܠܬ ܥܠ ܪ̈ܓܠܘܗܝ ܕܛܘܒܢܐ ܘܢܫܩܬ ܐܢܘܢ. ܡܠܟܐ ܕܝܢ ܐܒܘܗ̇ ܒܨܝܕܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ. ܘܐܙܠ ܡܒܣܪܢܐ ܠܘܬܗ. ܘܐܡܪ ܠܗ. ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܬ ܕܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ ܥܒܕ ܠܟ ܐܠܗܐ ܝܘܡܢܐ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܡܢܐ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ. ܓܒܪܐ ܚܕ

domum istam, et ecce eam observo. Eoque hæc loquente, ecce mulier illa exiit et panis cum ea; eamque interrogavit beatus Mar Mares, et dixit illi : *Hæcce arx cujusnam est?* Et respondit et dixit illi : *Est hoc palatium regis nostri.* Et dum hæc diceret, ecce filiam regis educebant ex una æde in ædem aliam, eamque servi sustinebant a dextris et a sinistris. Dixit illis beatus Mar Mares : *Quomodo se habet puella hæc?* Dixerunt ei servi ejus : *In infirmitate hac jacet annis plurimis.* Quumque eam vidisset beatus, misertus est ejus, eamque alloquens dixit : *Puella, tibi dico : in nomine Jesu Christi Nazareni, sta super pedes tuos!* Et per idem hoc verbum confirmavit pedes et omnia membra ejus, et venit puellula ad pedes beati procidens, eosque amplectens. Rex autem pater ejus in venatione erat. Eumque adiit nuntius, hæc dicens : *Ignoras quoniam gaudium magnum fecit tibi Deus hodie?* Dixit illis : *Quodnam?* Dixerunt illi : *Vir quidam indutus habitu fulgenti verbo oris sui liberavit filiam tuam ab omnibus dolo-*

ܕܪ̈ܓܠܘܗܝ. ܐܘܚܕܢܐ ܢܘܪܐ. ܘܡܚܠܬܐ ܕܡܢ ܦܘܡܗ. ܐܬܐܣܝܬ ܒܪܬܗ ܡܢ ܥܠܡܗܘܢ ܒܐ̈ܬܝܗ. ܘܟܕ ܫܡܥܗ ܗܘ ܗܘܦܟ ܥܡܗܘܢ. ܘܡܛܐ ܠܬܪܥ ܡܕܝܢܬܐ ܚܙܐ ܠܛܘܒܢܐ ܘܠܒܪܬܗ ܘܥܡܐ ܣܓܝܐܐ ܟܕ ܝܬܒܝܢ ܬܡܢ. ܘܦܩܕ ܘܥܠ ܛܘܒܢܐ ܠܘܬܗ. ܘܫܐܠܗ ܘܐܡܪ ܠܗ: ܡܢܐ ܐܢܬ. ܐܠܗܐ ܐܘ ܒܪܢܫܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܠܐ ܗܘܝܬ ܐܠܗܐ ܡܪܝ ܡܠܟܐ. ܐܠܐ ܒܪܢܫܐ ܐܢܐ ܥܒܕܗ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܘܡܢܘ ܝܘܠܦܢܟܘܢ. ܘܠܐܝܠܝܢ ܐܠ̈ܗܐ ܦܠܚܝܢܬܘܢ: ܕܗܠܝܢ ܬܕܡ̈ܪܬܐ ܘܐܣܘ̈ܬܐ ܒܐܝ̈ܕܝܗܘܢ ܡܫܬܟ̈ܚܢ. ܐܡܪ ܠܗ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܝܘܠܦܢܐ ܕܝܠܢ ܘܬܘܕܝܬܢ: ܟܪ̈ܣܛܝܢܐ ܚܢܢ. ܘܠܡܫܝܚܐ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ ܣܓܕܝܢܢ. ܘܒܫܡܗ ܗܠܝܢ ܣܥܪܝܢܢ. ܘܡܚܕܐ ܦܩܕ ܡܠܟܐ : ܕܢܬܟܢܫܘܢ ܠܘܬܗ ܟܠܗܘܢ ܟܪ̈ܝܗܐ ܕܡܕܝܢܬܐ. ܘܒܥܐ ܡܢ ܛܘܒܢܐ. ܕܢܥܒܕ ܐܬ̈ܘܬܐ ܩܕܡܘܗܝ ܘܩܕܡ ܪ̈ܘܪܒܢܘܗܝ : ܕܝܬܝܪܐܝܬ ܬܫܬܪܪ ܠܘܬܗ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܟܕ ܐܬܟܢܫܘ ܟܪ̈ܝܗܐ ܘܚܠܝ̈ܡܐ. ܓܒܪ̈ܐ ܘܢܫ̈ܐ ܘܛܠ̈ܝܐ: ܘܟܠܗ ܥܡܐ ܡܢ ܟܠܗ.

ribus ejus. Ipse igitur illico surrexit et reversus est cum eis. Et dum ad portam accederet, vidit beatum et filiam suam et populum multum sedentes illic. Quo jubente ingressus est beatus ad ipsum. Quem interrogavit dicens : *Quidnam es tu, deus an homo?* Dixit ei beatus Mar Mares : *Non sum deus, domine rex, sed homo sum, servus Dei vivi.* Dixit illi rex : *Et quænam est doctrina vestra, et quosnam deos colitis, quod talia prodigia et sanationes per manus eorum efficiantur?* Respondit illi apostolus Mar Mares : *En doctrina nostra et professio nostra : christiani sumus, et Christum filium Dei adoramus, et in nomine ejus hæc efficimus.* Et statim jussit rex ut congregarentur apud ipsum omnes infirmi civitatis, et rogavit beatum ut faceret signa coram ipso et coram proceribus ipsius, ut magis apud ipsum confirmaretur fides in Christum. Tum vero congregati sunt infirmi et sani, viri, mulieres ac pueri, et omnis undecumque populus, ut viderent miracula et virtutes quæ per manus beati fierent : beatus autem Mar

ܕܢܣܝܘܢ ܬܕܡܪ̈ܬܐ ܘܚܝ̈ܠܐ ܕܡܐܪܝ̈، ܠܛܘܒܢܐ ܗܦܝܣ. ܠܛܘܒܢܐ ܕܡܢ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، : ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ ܢܨܪܝܐ : ܫܪܐ ܐܢܘܢ ܠܟܠܗܘܢ ܡܚܘ̈ܬܢܐ ܟܕ ܚܠܝܡܝܢ. ܘܩܥܝܢ ܗܘܘ ܩܕܡ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪܝܢ. ܪܒ ܐܠܗܐ ܗܘ ܕܗܢܐ ܡܟܪܙ. ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܐܠܗ̈ܐ. ܘܗܘܝܘ ܒܠܚܘܕ ܐܠܗܐ ܒܫܡܝܐ ܘܒܐܪܥܐ.

ܘܒܗ ܒܝܘܡܐ ܗܘ̇ ܐܬܬܠܡܕܬ ܡܕܝܢܬܐ ܗܝ : ܥܡ ܡܠܟܐ ܐܕܪ. ܘܫܒܩܗ ܠܛܘܒܢܐ ܠܐܕܐ ܒܐܬܪܐ ܕܕܪܐܒܪ. ܘܗܘ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܘܬܠܡܝ̈ܕܘܗܝ ܐܙܠܘ ܠܐܬܪܐ ܕܦܪ̈ܣܝܐ. ܘܒܗ ܒܐܬܪܐ ܗܘ ܬܠܡܝ̈ܕܐ ܣܓܝܐܐ ܩܢܐ ܒܗ̇. ܡܠܟܘܬܐ ܓܝܪ ܗܕܐ ܐܚܪܬܐ ܕܦܪ̈ܣܝܐ ܕܫܩܠܬ ܫܘܠܡܐ ܒܝܕ ܐܪܕܫܝܪ ܥܕܟܝܠ ܠܐ ܫܩܠܬ

Mares in nomine Jesu Nazareni dimisit eos omnes sanos qui plaga percussi erant. Et clamabant coram rege, dicentes : *Major est Deus quem ille prædicat, omnibus diis, et Ipse est solus Deus in cœlo et in terra.*

17. Itaque die illa conversa est civitas, cum rege Adar. Et reliquit beatus Ada in regione Darabhar; ipse vero beatus Mar Mares et socii ejus profecti sunt in regionem Persarum, et in illa regione ipse multos nactus est discipulos. Regnum enim illud alterum Persarum, quod finem (1) accepit per Ardeschirum, adhuc non

Quo ad fidem adducto cum sua civitate, S. Mares in regione

(1) Nomine *Ardeschir* (lingua persica antiqua *Artachschathra*, græce 'Ἀρταξέρξης) alius hoc loco intelligi nequit quam ille qui post devictum Artabanum, Arsacidarum regum ultimum, factus est *Schahan-schah* seu rex regum, anno qui incipit 26ª septembris anni 226 æræ christianæ (videsis D'Herbelot, *Bibliothèque orientale,* V° Ardschir Babegan ; Nöldeke, *Geschichte der Perser und Araber zur Zeit der Sasaniden, aus Tabari,* pp. 1 et 409) et Sasanidarum dynastiam fundavit. Jam vero si standum sit significationi consuetæ vocis ܫܘܠܡܐ qua idem sonat ac *finis,* dicendus esset auctor noster perhibere imperium ab Ardeschiro *destructum* nondum exstitisse sancti Maris tempore, dum contra hæc Arsacidarum sive Aschkhaniorum dynastia ab Ardeschiro eversa plus ducentis ante æram christianam annis florebat atque jam Strabonis ævo Seleuciæ sedem suam hiberno tempore habebat. At si pro ܫܘܠܡܐ legere liceat ܫܘܡܠܝܐ (quod idem valet atque *perfectio, completa constitutio,* τελειότης), locus hic alioqui valde confusus et omnino inexplicabilis planus evadit et liquidus. Scilicet regnum " alterum "

ܗܘܬ ܫܘܪܝܐ. ܡܕ̈ܝܢܬܐ ܕܝܢ ܘܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܒܒܠ ܘܕܦܪܣ:
ܡܠܟ̈ܘܢܐ ܣܓܝ̈ܐܐ ܡܠܝܢ ܗܘܘ ܘܠܐܬܪܐ ܕܒܒܠ : ܦܪ̈ܬܝܐ
ܕܗܢܘܢ ܡܕܒܪܝܢ ܗܘܘ. ܡܠܟ ܗܘܐ ܕܝܢ ܗܝܕܝܢ ܒܙܒܢܐ ܗܘ
ܒܒܒܠ. ܐܦܪܗܛ ܒܪ ܐܦܪܗܛ ܦܪܬܝܐ. ܒܣܠܝܩ

ceperat initium. Urbes autem et regiones Babelis et Persidis reguli (1) multi implebant, regionem vero Babelis (ipsi) Parthi, utpote qui (illic) moderabantur. Regnabat autem tunc, eo tempore, in Babylonia Aphrahates (2), filius Aphrahatis Parthi, in Seleucia et Ctesiphonte (3),

Persarum (ex auctoris nostri sententia veteris regni Akhemenidarum velut restitutio) quod per Ardeschirum *constitutum* est, nondum eo tempore quo Mar Mares evangelium in Babylonensi regione prædicavit, exstitisse notatur. Porro quum auctor noster nullum sermonem misceat de excidio hujus " alterius " imperii ab Ardeschiro constituti, ex hoc silentio arguitur eum scripsisse ante annum Hegiræ vigesimum, quo Yesdegerdes III, Sasanidarum regum ultimus, per calipham Omar ex Madain vicinisque regionibus expulsus fuit. Cfr. quæ diximus in Prolegom. — (1) Edidi ܡܠܟ̈ܘܢܐ *reguli*. In codice meo ܡܠܟܟ̈ܘܢܐ legitur; ܡܠܥ̈ܘܢܐ in K. Utrumque amanuensis cujusdam ignorantiæ tribuendum suspicor. — Parthorum imperium, quod eo tempore divisum orbis imperium cum Romanis tenebat, in plures satrapias sive provincias, etiam parvas, veluti feuda quædam, tribuebatur, ut notum est. De majoribus scribebat Plinius, *Hist. Nat.*, lib. VI, sect. XXIX, eo fere ævo quo vivebat Mar Mares : " Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia : ita enim dividunt provincias, circa duo ut diximus maria, Rubrum a meridie, Hyrcanum a septentrione. " — (2) *Aphrahates* sive *Phraates* nomen est inter Parthos Persasque frequentissimi usus. Quisnam vero designari hic sit censendus, exploratum non est ; quamquam de eo cogitari potest qui Romam obses missus fuit tempore Augusti cæsaris atque a Tiberio in patriam Artabano æmulus fuit remissus. Is tamen Seleuciæ vix regnasse videtur atque anno 35 p. C. e vivis excessit. Cfr. Tacitus, *Annal.* VI, 31 et 32, ubi hæc habet : " Nobiles Parthi in Urbem venere, ignaro rege Artabano... Ii... quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phrahaten, regis Phrahatis filium, Roma poscebant... Cupitum id Tiberio. Ornat Phrahaten, accingitque paternum ad fastigium... Et Phrahates apud Syriam, dum omisso cultu romano cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis moribus impar, morbo absumptus est. " — (3) *Seleucia* et *Ctesiphon*, duæ urbes celeberrimæ, quarum hæc ad orientalem, illa ad occidentalem Tigridis ripam exstructæ fuerunt. De his afferre juvat quæ scripsit Plinius, non multo tempore postquam ibi evangelium seminavit Mar Mares : " [Babylon] ad solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleuciæ, ob id

ܘܩܛܝܣܦܘܢ ܕܒܝܬ ܐܪ̈ܡܝܐ. ܝܬܝܪ ܓܝܪ ܥܬܝܪ̈ܢ ܗܘ̈ܝ. ܒܙܒܢܐ
ܗܘ ܩܕܡ ܕܢܚܪܒܘܢ ܠܣ̈ܛܝܐ ܠܣܠܝܩ ܥܬܝܩܬܐ.

ܡܢ ܒܬܪ ܕܝܢ ܗܘܦܟܗ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܪܝ، ܠܐܬܪ̈ܘܬܐ
ܕܣܘܪ̈ܝܝܐ: ܢܚܬ ܠܗ ܐܦ ܠܒܝܬ ܐܪ̈ܡܝܐ ܡܩܕܡܐܝܬ: ܠܐܬܪܐ

Beth-Armaje (1) urbibus. Valde enim opulentæ erant istæ urbes tempore illo, priusquam destruxissent prædones Seleuciam antiquam.

18. Post reditum autem beati Mar Maris in regiones Syrorum, descendit etiam in Beth-Armaje, et primo quidem ad regionem ubi nunc Bagdad, Ecclesiam

conditæ a Nicatore intra nonagesimum [?] lapidem, in confluente Euphratis fossa perducti atque Tigris: quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui juris, Macedonumque moris. Ferunt ei plebis urbanæ DC. M. esse: situm vero mœnium, aquilæ pandentis alas; agrum totius Orientis fertilissimum. Invicem ad hanc exhauriendam, Ctesiphon juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc caput est regnorum. „ *Hist. Nat.*, lib. VI, sect. XXX. Seleucia, a Seleuco Nicatore condita, seu juxta veterem Cochen ampliata, ad canalem seu fossam Nahr Malka qua Tigris Euphrati jungitur, non tam vicinitate Ctesiphontis exhausta fuit, quam Romanorum irruptione subsecutisque deprædationibus deleta est: eam primo Trajanus imperator anno 116 victor ingressus esse videtur, atque postea legatis jussit incendio destruere; dein circa annum 165, sub Marco Aurelio ac Lucio Vero, Cassius urbem, occisis incolis, ita penitus destruxit ut eam quadraginta post annis Septimius Severus solo æquatam et fere vacuam invenerit. Ctesiphon vero, quæ prius non nisi hibernacula Parthorum exstitit, etsi ter Arsacidarum tempore a Romanis capta, alteri civitati diu superfuit, atque per Sasanidas. præsertim seculo IV sub Sapore II, novo aucta est splendore. Ab Orientalibus porro plerumque *Madain* vocata est, quamquam hoc nomine summa plurium urbium significatur, in quibus Sasanidicæ dynastiæ reges ad utramque Tigridis ripam sedem suam identidem habebant, quarumque præcipuæ Ctesiphon erant ac Beh-Ardaschir, loco Seleuciæ ab Ardeschiro exstructa. Cfr. Ritter, X, 69 sq., 121 sq., 163 sqq.; item Nöldeke, *Geschichte der Perser*, etc., 16. — Seleucia permansit sedes Catholicorum sive primatum Orientis, donec seculo VIII condito Bagdado, huc illi transmigrarunt. Cfr. *Bibl. Orient.* t. III, p. II, p. 622-626; Lequien, *Oriens Christ.*, II, col. 1093 sq.; Lamy, *Concilium Seleuciæ et Ctesiphonti habitum*, col. 22; Barhebræi *Chron. eccl.* (supra, p. 47). Regio in qua civitatis illæ, Seleucia et Ctesiphon, sitæ erant, vocabatur *Beth-Armaje*. Vide not. seq. — (1) *Beth-Armaje*, uti a scriba nostro, vel *Beth-Aramaje*, ut plerumque alibi scribitur, nomen est regionis, quam exponit P. Smith per *Assyriam*. Non recte, nec jure innixus Assemano cujus indicat *Bibl. Orient.*, I, 354 et 358; neutro enim indicato loco Assemanus pro voce syriaca Beth-Aramaje latine Assyriam ponit,

ܪ̈ܕܢ. ܘܥܠ ܒܪܝܫܐ ܠܩܪܝܬܐ ܚܕܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܐܒܕ. ܘܐܬܦܢܝ
ܬܡܢ ܠܓܒܪܐ ܚܕ ܪܝܫ ܐܬܪܐ: ܡܪܐ ܩ̈ܢܝܢܐ ܣܓܝ̈ܐܐ. ܕܫܡܗ
ܗܘܐ ܠܩܢܐ ܠܗ ܘܠܟܠܗ ܒܝܬܗ. ܘܡܛܠܬܗ ܣܓܝ̈ܐܐ ܒ̈ܢܝ
ܓܢܣܐ ܘܒ̈ܢܝ ܐܬܪܐ ܘܬܘ̈ܬܒܐ ܕܠܗ ܐܬܩܪܒܘ ܠܕܚܠܬ
ܐܠܗܐ. ܘܒܟܠܗܘܢ ܩܘܪ̈ܝܐ ܕܠܗ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܠܥܠ ܡܢ ܣܠܝܩ
ܘܩܛܝܣܦܘܢ ܘܒܫܪܟܐ ܕܩܘܪ̈ܝܐ ܕܪ̈ܕܢ. ܒܢܐ ܥܕ̈ܬܐ
ܘܕ̈ܝܪܬܐ ܠܡܗܝܡ̈ܢܐ ܕܬܡܢ. ܕܗ̈ܘܝ ܐܝܟ ܕܡܫܬܠܡܐ:
ܬܠܬܡܐܐ ܘܫܬܝܢ ܘܚܡܫ. ܘܗܐ ܡܬܡܫܟ ܕܘܟܪܢܗ ܒܟܠܗܘܢ

plene constituit.

Radan (1), et ingressus est initio in vicum quemdam qui dicitur Abad (2), et convertit illic virum quemdam loci principem, possessorem rerum multarum, cujus nomen erat Laqna (3), ipsum totamque familiam ejus. Et propter ipsum multi consanguinei, populares et advenæ accesserunt ad verum Dei cultum. Et in omnibus oppidis ejus quæ erant supra Seleuciam et Ctesiphontem, necnon in reliquis oppidis regionis Radan ædificavit ecclesias et monasteria fidelibus inibi existentibus: quæ fuerunt, uti traditur, trecentæ et sexaginta quinque. Et ecce perpetuatur memoria ejus in omnibus illis usque

sed priori *Assyriorum*, posteriori *Aramæorum* vocabulum habet. At illa quoque laxior est translatio. Nam *Beth-Aramaje* (sive *Aramæa*) non Assyriam proprie dictam, longe magis ad boream sitam, sed fere Babyloniam vel hodiernum *Irak Arabi* designat, eam nempe regionem quæ diœcesin patriarchæ Seleuciensis aliquando efformavit, unaque regiones Tirhan atque Radan seu Gokhai complexa est. Persæ *Suristan* eam appellabant, quod maximam partem illius incolæ Syri essent sive Aramæi. Cfr. *Bibl. Orient.*, II, 458; Hoffmann, op. cit., 259; Nöldeke, op. cit., 15. — (1) *Radan* regio erat ad septentrionem Bagdadi, inter *Dijalah* (Gynden) et *Adhem* (Physcum), duos in Tigridem ab oriente affluentes amnes, ad austrum montium Hamrin seu Hemrin (Hoffmann, p. 71). Occurrit sequiori tempore Radan urbs in Babylonia, episcopalis, ad patriarchalem provinciam spectans. *Bibl. Orient.*, III, II, 772; Lequien, *Oriens Christ.*, II, 1175 sq. — (2) *Abad*, quod nomen persica lingua *structuram* et *urbem* significat, locus is esse potuit de quo Assemanus *Bibl. Orient.*, III, II, 706: " Abad, ait, locus in Bagdadensium civitate, ubi ecclesia S. Simeonis Barsabaæ, archiepiscopi Seleuciensis et martyris: sedes patriarcharum Nestorianorum, dicta Sabaæ, alias *Dorta*, arabibus *Dar-el-Rum*, hoc est, ædes Romæorum. " — (3) *Laqna*. Supra, p. 49, a Mari Salomonis vocatur *Helcana*.

ܒܕܡܟܐ ܠܗܝܡܢܘܬܐ : ܘܗܝ ܥܕܬܐ ܕܒܢܐ ܠܪ̈ܕܢܝܐ[1] ܒܕܝܠܗ ܐܠܗܐ. ܘܥܒܕ ܠܗܘܢ ܩܫܝܫܐ ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ. ܢܩܦ ܠܗ ܚܕ ܡܢ ܒܢܘ̈ܗܝ ܕܗܘ ܠܩܢܐ ܫܡܗ ܗܘܐ. ܥܡ ܐܚܪ̈ܢܐ ܣܓܝ̈ܐܐ.

ܘܢܚܬܘ ܠܗܘܢ ܠܣ̇ܠܝܩ ܡܕܝܢܬܐ ܕܝܬܒܐ ܥܠ ܕܩܠܬ. ܡܛܠ ܕܠܝܬ ܗܘܐ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܒܗ ܒܐܬܪܐ. ܐܦܠܐ ܐܫܬܟܚ ܐܢܫ ܕܢܩܒܠ ܐܢܘܢ ܒܒܝܬܗ ܡܛܠ ܐܠܗܐ. ܐܠܐ ܐܓܪܘ ܗܘ ܛܘܒܢܐ ܘܕܥܡܗ ܒܝܬܐ ܘܝܬܒܘ ܗܘܘ ܒܗ. ܘܐܢܫ̈ܐ ܣܠܝܩ : ܐܢܫ̈ܐ ܒܝ̈ܫܐ ܕܣܓܘܕܬܐ ܗܘܘ. ܘܥܒܪ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܒܟܠܗ ܣܠܝܩ : ܘܐܢܫ ܠܐ ܐܬܬܠܡܕ ܠܗ. ܘܚܙܐ ܐܢܘܢ : ܕܒܡܕܡ ܐܚܪܝܢ ܠܐ ܥܢܝܢ : ܐܠܐ ܒܡܐܟܠܐ ܘܒܡܫܬܝܐ ܘܒܪܘܝܘܬܐ. ܘܥܕܠܐ ܢܦܩ ܗܘܐ ܚܡܪܐ ܕܝܘܡ ܩܕܡܐ : ܡܩܕܡܝܢ ܗܘܘ ܘܫܬܝܢ ܠܝܘܡܐ ܐܚܪܢܐ. ܘܠܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܐܬܪܐ ܕܢܡܠܠ ܥܡܗܘܢ ܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ. ܡܛܠ ܕܒܟܠ ܥܕܢ ܪ̈ܘܝܐ ܡܫܬܟܚܝܢ ܗܘܘ. ܘܟܕ ܚܙܐ ܕܐܢܫ ܠܐ ܐܬܬܠܡܕ ܠܗ. ܟܬܒ

[1] *ita legitur in codd. nostris; quæ est alucinatio scribæ, nam procul dubio legendum est* ܠܪ̈ܕܢܝܐ

hodie. Et postquam confirmavit Radanenses in religione, eisque constituit presbyteros et diaconos, adhæsit ei unus ex filiis istius cui Laqna nomen erat, cum aliis multis.

19. Et descenderunt ipsi in Seleuciam, civitatem sitam ad Tigridem. Atqui non existebat christianismus in illa regione, nec inventus est ullus qui exciperet eos in domum propter Deum; verum conduxerunt beatus et socii ejus domum et manserunt in ea. Homines autem Seleuciæ homines perversi erant ac idololatræ; transiitque Mar Mares per totam Seleuciam, at nemo conversus est. Animadvertit autem eos in nulla alia re occupari nisi in cibo et potu et ebrietatibus; et priusquam effusum esset vinum diei præcedentis, jam in antecessum bibebant in diem sequentem. Defuit ergo illi occasio loquendi ad ipsos verbum Dei, eo quod perpetuo ebrii invenirentur. Quumque videret nullum converti posse, scripsit epistolam, quam

In urbe Seleucia, ubi omnes incolæ comessationibus dediti erant,

ܐܓܪܬܐ ܘܫܕܪ ܠܘܬ ܫܠܝ̈ܚܐ ܚܒܪ̈ܘܗܝ܂ ܠܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܢܗܪ̈ܝܢ
ܠܡܕܝܢܬܐ ܐܘܪܗܝ܂ ܘܟܬܒ ܗܟܢܐ܆ ܕܐܪܥܐ ܗܕܐ ܕܫܕܪܬܘܢܝ
ܠܗ̇܂ ܐܪܥܐ ܗ̄ܝ ܕܒܝܫܬܐ ܘܡܠܝܐ ܟܘ̈ܒܐ܂ ܘܥܡܘ̈ܪܝܗ̇ ܪܡܝܢ
ܐܢܘܢ ܘܩܫܝܢ܂ ܘܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܐܦܠܘܚ ܘܐܙܪܘܥ ܐܢܘܢ܂
ܘܗܫܐ ܐܝܟ ܕܦܩܕܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܝ܂ ܐܬܐ ܠܘܬܟܘܢ܂ ܐܘ ܐܙܠ ܠܝ
ܠܐܬܪܐ ܐܚܪܢܐ܂ ܘܫܠܝ̈ܚܐ ܐܬܡܠܟܘ ܡܫܟܚܬܐ܂ ܘܫܩܠܘ
ܪܥܝܢܐ ܬܪܝܨܐ܂ ܘܐܬܒܛܠܘ ܠܗܘܢ ܥܠ ܚܝ̈ܘܗܝ ܕܒܢ̈ܝ
ܡܕܝܢܬܐ ܕܠܐ ܢܐܒܕܘܢ܂ ܘܟܬܒܘ ܐܓܪܬܐ ܠܘܬ ܩܕܝܫܐ
ܡܪܝ ܡܐܪܝ܂ ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ̇ ܗܟܢܐ܂ ܕܠܐ ܫܠܝܛ ܠܟ ܕܬܐܬܐ
ܠܟܐ܂ ܐܘ ܕܬܐܙܠ ܠܐܬܪܐ ܐܚܪܢܐ܂ ܥܕܡܐ ܕܬܣܩ ܠܪܘܡܐ
ܕܗܢܘܢ ܛܘܪ̈ܐ ܘܪܝܫ ܪ̈ܡܬܐ܂ ܘܬܟܒܘܫ ܘܬܦܠܘܚ
ܘܬܙܪܘܥ ܐܢܘܢ܂ ܘܬܝܬܐ ܦܐܪ̈ܐ ܠܡܠܠܬܐ܂ ܘܟܕ ܚܙܐ
ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ܂ ܕܠܝܬ ܠܗ ܦܘܪܣܐ ܕܢܐܙܠ ܠܕܘܟ܆
ܐܬܚܫܒ ܗܘܐ ܒܪܥܝܢܗ ܕܡܢܐ ܢܥܒܕ܂ ܒܗ̇ ܕܝܢ ܒܣܠܝܩ
ܬܠܬܐ ܡܫܬܘ̈ܝܐ ܐܝܬ ܗܘܘ܂ ܚܕ ܕܣܒ̈ܐ ܘܚܕ ܕܥܠܝ̈ܡܐ ܘܚܕ
ܕܬܠܝ̈ܬܐ܂ ܗܟܢܐ ܓܝܪ ܓܒܘ ܠܡܫܪ̈ܝܗܘܢ܂ ܘܐܬܚܫܒ ܗܘܐ

misit ad apostolos collegas suos in regionem Mesopotamiæ, in urbem Edessæ, scripsitque in hunc modum : “ Terra ista ad quam me “ misistis, terra est mala et plena spinis, atque ejus incolæ elati “ sunt et obdurati; neque possum ego eis laborem et semina- “ tionem tribuere. Nunc igitur, prout judicabitis, veniam ad vos, “ vel recedam ad regionem aliam. „ Apostoli autem inter se habita deliberatione consuluerunt, ceperuntque sententiam rectam: nempe curæ fuit ipsis salus incolarum urbis, ne perirent. Scripserunt epistolam ad sanctum Mar Marim, in qua sic habebatur : “ Non licet “ tibi huc venire, neque alium in locum concedere, priusquam ascen- “ deris in altitudinem illorum montium et summitatis collium, ad ea “ comprimenda, aranda, seminanda, ita ut fructus ad proventum “ adduxeris. „ Quumque vidisset beatus Mar Mares nullum modum sibi suppetere alio secedendi, cogitavit in mente sua quidnam ageret. Erant autem Seleuciæ tria convivia, unum senum, aliud adolescen-

ܠܛܠܝܐ. ܕܢܦܩܐ ܠܗ ܡܘܡܠܐ ܒܡܫܪܝܐ ܕܗܘܐ. ܕܐܢ ܡܫܟܚܐ ܡܢ ܗܪܟܐ ܨܐܕ ܐܢܐ ܢܦܫܬܗܘܢ. ܘܐܙܠ ܠܘܬܗܘܢ ܘܐܣܡܟܘܗ، ܠܬܚܬ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܡܛܠ ܕܐܡܪܝܢ ܗܘܘ. ܕܓܒܪܐ ܗܘ ܐܟܣܢܝܐ. ܘܟܠܝܘܡ ܥܡܗܘܢ ܒܙܡܪܐ ܘܒܚܕܘܬܐ ܡܬܗܦܟ ܗܘܐ.

ܘܡܛܠ ܙܒܢܐ ܐܬܟܪܗ ܗܘܐ ܩܫܝܫ ܦܘܫܪܐ. ܘܦܩܕ ܗܘܐ ܥܠ ܒܝܬܗ ܡܢ ܕܕܝܠܗ ܗܝ ܝܪܬܘܬܐ. ܘܐܦ ܡܐܢܝ ܡܩܒܪܬܐ ܬܩܢܘ ܗܘܘ ܠܗ. ܘܡܕܝܢܬܐ ܟܠܗ ܠܣܘܥܪܢܗ ܐܬܟܢܫܬ ܗܘܬ. ܘܟܕ ܢܦܩܐ ܗܘܬ ܐܟܢܫܬܐ ܕܣܥܪܐ ܗܘܬ ܠܗ: ܐܦ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܥܐܠ ܘܣܥܪ ܗܘܐ ܠܗ. ܘܟܕ ܢܦܠ ܠܗ ܛܒ ܒܟܘܪܗܢܐ ܗܢܐ: ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܐܣܝܡ ܐܢܐ ܐܝܕܝ ܥܠܝܟ: ܒܫܡܗ ܕܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ. ܘܡܬܚܠܡ ܐܢܬ. ܘܓܒܪܐ ܗܘ ܠܐ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܕܢܡܠܠ. ܡܛܠ ܕܠܡܡܬ ܩܪܝܒ ܗܘܐ. ܘܩܡ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، : ܘܣܡ ܥܠܘܗ، ܐܝܕܗ. ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܘܒܗ ܒܫܥܬܐ ܚܠܡ ܗܘ ܓܒܪܐ

tium, tertium denique puerorum; sic enim ordinaverant sua convivia. Jam vero sibi proposuerat beatus ut immitteret se adversarium in convivium senum, *ut, si fieri possit, exinde vener,* aiebat, *eorum animas.* Itaque ivit ad eos, eumque accumbere fecerunt infra omnes, quippe qui dicerent eum esse hominem peregrinum. Et quotidie cum ipsis in cantu et gaudio familiariter agebat.

20. Ast paulo post ægrotavit senior (1) convivii, et disposuit domui suæ, cujusnam foret ipsius hereditas; atque omnia sepulturæ necessaria paraverant illi. Porro universa civitas ad eum visitandum convenerat. Quumque exiret turba quæ eum visitabat, etiam beatus Mar Mares ingressus est et visitavit eum. Quumque vehementer jam lapsus esset infirmitate ista, dixit illi beatus Mar Mares : *Ponam manum meam super te in nomine Dei veri, et convalesces.* Et vir ille non poterat loqui, eo quod morti esset proximus. Et surrexit Mar Mares et posuit manum

post sanatum præsidem convivii

(1) ܩܫܝܫܐ *senior* seu *præses.*

ܒܪܘܚܐ ܕܐܬܦܬܚ ܫܡܝܐ. ܘܚܙܐ ܕܢܚܬ ܓܒܪܐ ܒܕܡܘܬܗ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ: ܘܐܚܕܗ ܒܐܝܕܗ ܘܐܩܝܡܗ. ܘܡܢ ܫܥܬܗ ܐܬܚܠܡ ܓܒܪܐ ܗܘ. ܘܩܡ ܡܢ ܥܪܣܗ. ܗܝܕܝܢ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܡܠܠ ܥܡܗ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܗܘܝ ܟܪܣܛܝܢܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܓܒܪܐ ܗܘ. ܘܡܢܐ ܗܝ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ: ܐܠܗܐ ܚܕܬܐ ܡܥܠ ܐܢܬ ܠܥܠܡܐ. ܘܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܐܡܪ ܠܗ. ܐܠܗܐ ܠܘ ܚܕܬܐ ܗܘ: ܡܛܠ ܕܡܢ ܒܪܫܝܬ ܐܝܬܘܗܝ، ܘܠܥܠܡ ܩܐ̈ܡ. ܘܗܘ ܥܒܕ ܫܡܝܐ ܘܐܪܥܐ ܘܝܡ̈ܡܐ ܘܟܠ ܕܐܝܬ ܒܗܘܢ. ܘܠܐ ܡܬܬܚܡ ܘܠܐ ܡܬܕܪܟ. ܘܒܪܐ ܕܡܢܗ ܝܠܝܕ ܡܢ ܟܝܢܗ. ܕܡܘܠܕܗ ܠܐ ܡܬܒܥܐ. ܘܠܐ ܡܬܒܨܝܐ ܡܢ ܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܨܡܚܐ ܗܘ ܓܝܪ ܕܐܠܗܘܬܗ. ܘܫܕܪܗ ܠܥܠܡܐ ܕܢܪܥܘܗܝ ܠܐܒܘܗܝ، ܒܐܝܕܗ. ܘܒܚܕܐ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ: ܕܡܠܠܬ ܒܢܒ̈ܝܐ ܦܘܪܩܢܐ ܕܠܥܠܡ. ܘܬܠܬܐ ܩܢܘܡ̈ܐ ܫܪܝܪ̈ܐ ܕܫܘܝܢ ܒܟܠܡܕܡ. ܘܐܚܝܕܝܢ ܟܠ ܕܡܬܚܙܐ ܘܟܠ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ. ܘܡܨܝܢ ܥܠ ܟܠ ܘܕܝܢܝܢ ܠܟܠ. ܗܢܐ ܗܘ ܗܟܝܠ ܦܘܪܩܢܗܘܢ ܕܟܪ̈ܣܛܝܢܐ. ܘܒܫܡܗ ܗܢܐ

super eum in nomine Domini Jesu Christi. Et illa ipsa hora vidit vir ille ægrotus cœlum apertum, et vidit descendentem virum in similitudine beati Mar Maris, qui ipsum prehendit manu sua et erexit. Atque illico convaluit vir ille atque e lecto suo surrexit. Tum beatus Mar Mares locutus est cum eo et dixit illi : *Sis christianus.* Dixit ei vir ille : *Et quid est christianismus ? Deum novum inducis tu in mundum.* Et Mar Mares dixit illi : *Deus non novus est, quippe qui a principio est et in æternum manet, atque Ipse fecit cœlum et terram et maria et omnia quæ in eis sunt; ast percipi et comprehendi haud potest. Et Filius ex Eo natus est de ejus substantia, cujus generatio investigari nequit, quamque scrutari non valent homines ; est enim splendor divinitatis ejus : quem misit in mundum ut eum reconciliaret Patri suo per semetipsum. Et uno Spiritu sancto, qui locutus est per prophetas, fit redemptio æterna. Hinc tres personæ sunt veræ, in omnibus æquales, tenentes omnia visibilia et omnia invisibilia; quæ cuncta possunt et cuncta judicant. Talis est igitur redemptio christianorum, et in nomine Ejus*

ܥܒܕܝܢ ܟܠܡܕܡ ܘܡܚܠܡܝܢ ܟܪ̈ܝܗܐ. ܘܡܦܩܝܢ ܪ̈ܘܚܐ ܒܝ̈ܫܬܐ ܡܢ ܒܢ̈ܝܢܫܐ. ܗܝܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ ܓܒܪܐ ܗܘ ܠܛܘܒܢܐ. ܐܠܗܐ ܐܢܬܬܐ ܢܣܒ : ܘܗܘܐ ܠܗ ܡܢܗ ܒܪܐ. ܘܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܐܡܪ ܠܗ. ܡܘܠܕܗ ܩܕܡܝܐ ܕܒܪ ܐܠܗܐ ܠܘ ܡܢ ܐܢܬܬܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ : ܐܠܐ ܝܠܝܕ ܡܢ ܟܝܢܗ ܕܐܒܐ : ܚܝܠܐ ܘܚܟܡܬܐ. ܐܠܗܐ ܗܘ ܫܪܝܪܐ. ܒܪܐ ܕܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܫܪܝܪ ܐܠܗܐ. ܘܗܝܡܢ ܗܝܕܝܢ ܪܫ ܦܘܚܪܐ ܠܡ̈ܠܘܗܝ، ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،. ܘܐܠܦܗ ܠܗ ܘܠܒܢ̈ܝ ܒܝܬܗ. ܘܐܥܡܕ ܐܢܘܢ ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܘܩܡ ܗܘ ܓܒܪܐ ܘܐܙܠ ܗܘܐ ܠܦܘܚܪܗ. ܘܗܘܐ ܬܡܢ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܝܡ.

ܘܡܢ ܒܬܪ ܩܠܝܠ ܙܒܢ : ܐܬܟܪܗ ܐܦ ܪܫ ܕܪܥܐ ܕܒܝܡܐ ܠܡܘܬܐ ܐܝܟ ܚܒܪܗ. ܘܒܗ ܒܕܡܘܬܐ ܐܙܠ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܠܡܣܥܪܗ ܥܡ ܗܠܝܢ ܕܡܣܥܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،. ܐܣܝܡ ܐܝܕܝ، ܥܠܝܟ : ܒܫܡ ܐܠܗܐ ܕܝܠܝ ܘܡܬܚܠܡ ܐܢܬ. ܘܓܒܪܐ ܗܘ ܠܐ ܐܫܟܚ ܕܢܡܠܠ ܥܡܗ. ܡܛܠ ܕܠܡܘܬܐ

operamur omnia et curamus infirmos, et ejicimus spiritus malos ex hominibus. Tunc dixit vir ille beato : *Deusne accepit uxorem, habuitque ex ea filium ?* Et Mar Mares dixit illi : *Generatio prima Filii Dei non fuit ex muliere, verum natus est e substantia Patris, virtus et sapientia : est Deus verus, filius Dei sicut verus Deus.* Et credidit tunc præses convivii verbis beati Mar Maris ; isque docuit eum et domesticos ejus, et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Surrexitque vir ille et venit ad convivium suum, fuitque illic sicut antea.

21. Iterum vero post parum temporis, ægrotavit quoque primus post præsidem (1) usque ad mortem sicut socius ejus, et in eadem specie ivit beatus Mar Mares ad visitandum eum una cum eis qui eum visitabant. Dixit illi Mar Mares : *Imponam manum meam super te in nomine Dei mei, et convalesces.* Et vir ille non poterat loqui cum illo,

et ejus primum assessorem

(1) Ita interpretatus sum ܪܫ ܕܪܥܐ *caput brachii* (i. e. assessorum primus).

ܩܪܝܒ ܗܘܐ. ܒܪܡ ܕܝܢ ܒܥܝ̈ܢܘܗܝ، ܚܪ ܘܚܙܐ ܐܦ ܗܘ ܕܐܬܦܬܚܬ ܫܡܝܐ܆ ܘܢܚܬ ܓܒܪܐ ܒܕܡܘܬܗ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܘܐܚܕܗ ܒܐܝܕܗ ܘܐܩܝܡܗ. ܘܐܬܬܠܡܕ ܗܘ ܘܒܢܝ ܒܝܬܗ܆ ܘܐܙܠ ܠܡܫܬܘܬܗ. ܘܣܡܟ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܡ ܠܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ܆ ܘܐܦ ܗܘ ܐܙܠ ܗܘܐ ܘܣܡܟ ܒܕܘܟܬܗ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܡ. ܘܐܡܪܘ ܠܚܕ̈ܕܐ ܗܢܘܢ ܒܢܝ̈ܢܫܐ ܕܐܬܬܠܡܕܘ܆ ܗܢܐ ܓܒܪܐ ܐܠܗܐ ܗܘ. ܘܐܡܪ ܗܘ ܪܝܫ ܣܡܟܐ ܠܟܠܗ ܣܡܟܐ. ܐܚܝ̈ ܫܡܥܘܢܝ܆ ܐܢܐ ܟܕ ܐܬܟܪܗܬ ܚܙܝܬ ܒܚܙܘܢܐ ܕܐܬܦܬܚܬ ܫܡܝܐ. ܘܢܚܬ ܓܒܪܐ ܒܕܡܘܬܗ ܕܗܢܐ ܘܐܩܝܡܢܝ ܡܢ ܥܪܣܐ ܕܟܘܪܗܢܝ. ܘܐܡܪ ܪܝܫ ܣܡܟܐ ܠܬܪܝܢ ܕܪܫܐ. ܡܛܠ ܕܒܐܝܕܗ ܐܬܦܨܝܢ ܡܢ ܥܪܣܐ ܕܟܘܪܗܢܐ܆ ܗܫܐ ܐܬܪܐ ܕܣܡܟܐ ܠܐ ܝܐܐ ܠܗ. ܡܛܠ ܕܬܚܬܝܐ ܗܘ، ܕܐܢ ܕܝܢ ܡܥܠܝܢܢ ܠܗ، ܠܘܬܢ ܪܓܙܝܢ ܥܠܝܢ ܒܢܝ ܣܠܝܩ܆ ܡܛܠ ܕܐܟܣܢܝܐ ܗܘ. ܡܟܝܠ ܢܣܒ ܚܕ ܛܠܝܐ ܘܢܪܡܐ ܠܗ ܒܣܕܝܐ ܒܝܬ ܠܝ ܠܟ. ܘܥܒܕܘ ܐܝܟ ܕܐܡܪܘ.

eo quod esset morti proximus. Verum coram oculis suis intuitus est, et vidit etiam ipse apertum cœlum et descendentem virum in similitudine beati Mar Maris, qui ipsum manu sua accipiebat et erigebat. Et conversus est ipse et domestici ejus. Porro ivit ad convivium suum et reclinavit sicut prius beatus Mar Mares. Atque etiam ille ibat, et reclinavit in loco suo sicut prius. Dixeruntque ad invicem homines illi ad fidem conversi : *Vir iste deus est.* Dixitque præses convivii ad convivium : *Fratres mei, audite me : ego, quum infirmus essem, vidi in visione cœlum apertum, et virum inde descendentem, similem huic, qui me e lecto infirmitatis meæ erexit.* Dixitque præses convivii ad vicepræsidem : *Quandoquidem e lecto infirmitatis convaluimus per illum, jam accubitionis locus non convenit ipsi, quippe quod inferior sit locus ille; at, si introduxerimus eum ad nos, irascentur Seleucienses, quia peregrinus est. Igitur accipiamus quemdam puerum, qui sternat illi pulvinar inter me et te.* Et fecerunt prout dixerant.

ܘܡܢ ܒܬܪ ܙܒܢܐ ܩܠܝܠ : ܡܛܝܗ̇ ܬܫܡܫܬܐ ܕܢܫܡܫ ܗܘܐ ܒܝܢܬܗܘܢ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܗܢܘܢ ܕܐܬܬܠܡܕܘ. ܬܫܡܫܬܟ ܗܝ : ܗܫܐ ܗܟܝܠ ܗܘܐ ܐܢܬ ܠܠܚܡܐ ܘܠܚܡܪܐ. ܥܝܕܐ ܐܝܬ[1] ܒܣܠܝܩ ܕܡܢ ܕܥܒܕ ܬܫܡܫܬܐ ܠܚܡܐ ܘܚܡܪܐ ܐܦ ܒ̈ܣܡܐ ܘܙܡܪ̈ܐ ܗܘ ܡܝܬܐ ܡܢ ܒܝܬܗ. ܗܫܐ ܗܒ ܐܢܬ ܠܚܡܐ ܘܚܡܪܐ. ܘܚܢܢ ܡܩܪܒܝܢ ܙܡܪ̈ܐ ܘܒܣ̈ܡܐ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܡܪܝ ܡܪܝ. ܐܘܕܥܘܢܢܝ ܡܢ ܩܕܡ ܙܒܢܐ. ܘܐܢܐ ܥܒܕ ܐܢܐ ܟܠ ܕܦܩܕܝܬܘܢ ܠܝ. ܘܟܬܒ ܐܓܪܬܐ ܠܫܠܝ̈ܚܐ ܚܒܪ̈ܘܗܝ. ܘܫܕܪ ܠܗܘܢ ܠܐܘܪܗܝ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܟܬܒ ܠܗܘܢ ܗܟܢܐ. ܐܡܬܝ ܕܐܘܕܥܬ ܠܟܘܢ ܡܢ ܩܕܡ. ܕܗܘܐ ܐܪܥܐ ܕܫܕܪܬܘܢܢܝ ܥܠܝܗ̇ : ܐܪܥܐ ܗܝ ܡܠܝܐ ܟܘ̈ܒܐ ܘܬܪܒ̈ܠܐ. ܘܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܪ̈ܓܠܝ ܕܢܕܘܫܢ ܒܗ̇. ܘܐܦ ܛܘܪ̈ܝܗ̇ ܘܪ̈ܡܬܗ̇ ܕܐܬܟܒܫ ܒܗ̇ ܠܐ ܡܬܟܒܫܝܢ ܠܝ. ܘܐܢܬܘܢ ܫܠܚܬܘܢ ܠܝ. ܕܠܐ ܫܠܝܛ ܠܟ

[1] S. *pro* ܐܡܪܝܢ ܠܗ ... ܥܝܕܐ ܐܝܬ *habet hoc loco* ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܬܫܡܫܬܟ ܗܝ. ܗܫܐ ܗܟܝܠ ܗܘܐ ܐܢܬ ܠܠܚܡܐ ܘܠܚܡܪܐ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ. ܥܝܕܐ ܐܝܬ *id est :* dixerunt ei : " Ministerium tuum est. Igitur nunc cura tu panem et vinum. „ Dixerunt ei : " Mos est... „

22. At vero post aliquod tempus pervenit ad ipsum ordo ministerii, ut ministraret ipse inter eos. Dixerunt illi qui conversi fuerant : *Ministerium tuum est. Igitur nunc cura tu panem et vinum; mos est Seleuciæ ut ille qui vices ministerii agit, panem et vinum, necnon aromata ac cantores adducat e domo sua. Nunc da tu panem et vinum, et nos dabimus cantores et aromata.* Dixit illis Mar Mares : *Vos certiorem me faciatis ante tempus, et ego faciam omne quod mihi præscribitis.* Atque scripsit epistolam ad coapostolos suos eamque transmisit in Edessam urbem, et scripsit eis sic : " Quando nuntiavi vobis olim " agrum super quem me misistis, esse agrum plenum spinis et tribu- " lis, quem non possunt pedes mei conculcare, pariter illius montes et " colles mihi minime subigi, vos mihi ita renuntiastis : Non licet tibi

occasione convivii a se instrucli

ܕܬܐܬܐ ܠܟܐ. ܘܐܦܠܐ ܕܬܐܙܠ ܠܐܬܪ. ܥܕܡܐ ܕܬܟܒܘܫ ܠܛܘܪ̈ܐ ܘܪ̈ܡܬܐ ܕܐܝܬ ܒܗ. ܘܬܙܪܘܥ ܒܗ ܙܪܥܐ ܕܚܝ̈ܐ. ܘܬܥܒܕ ܡܢ ܦܐܪ̈ܐ ܕܥܠܠܬܐ ܠܫܡܝܐ. ܘܟܕ ܚܙܝܬ ܕܠܝܬ ܠܝ ܦܘܪܣܐ ܡܢ ܕܐܟܒܘܫ ܗܟܢܐ. ܐܙܠܬ ܘܐܣܬܡܟܬ ܠܝ ܒܡܫܪܘܬܐ ܕܣ̈ܒܐ ܘܐܫܬܘܬܦܬ ܥܡܗܘܢ ܒܡܐܟܠܐ ܘܒܡܫܬܝܬܐ ܘܒܙܡܪܐ ܐܝܟܘܬܗܘܢ. ܘܒܚܝܠܗ ܕܐܠܗܐ ܘܒܝܕ ܨܠܘ̈ܬܟܘܢ ܬܠܡܕܬ ܡܢܗܘܢ ܬܪܝܢ ܩܫܝ̈ܫܐ ܕܡܫܪܘܬܐ. ܘܗܐ ܡܛܬܢܝ ܦܠܚܘܬܐ ܐܦ ܠܝ ܠܡܥܒܕ ܐܝܟ ܥܝܕܐ ܕܝܠܗܘܢ. ܗܫܐ ܫܕܪܘ ܠܝ ܡܢ ܕܗܒܐ ܕܝܠܟܘܢ ܘܙܡܪ̈ܐ ܦܪ̈ܝܫܐ ܕܡܙܡܪܝܢ ܫܦܝܪ ܠܚܕܐ. ܘܡܫ̈ܚܐ ܛܒ̈ܐ ܕܐܝܟܢ ܐܝܟܘܬܗܘܢ. ܡܛܠ ܕܗܪܟܐ ܡܕܡ ܠܝܬ ܠܝ. ܘܟܕ ܫܡܥܘ ܫܠܝ̈ܚܐ ܠܒܝ̈ܫܝ ܢܘܗܪܐ ܚܕܝܘ. ܘܫܕܪܘ ܠܗ ܕܗܒܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܘܗܪ̈ܘܡܐ ܛܒ̈ܐ. ܘܬܦ̈ܐ ܘܟܢܪ̈ܐ ܘܨܠܨ̈ܠܐ ܘܟܠ ܙܢܝ ܙܡܪܐ. ܕܒܣܠܝܩ ܠܝܬ ܗܘܐ ܐܝܟܘܬܗܘܢ. ܘܐܬܘ ܠܘܬ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܪܝ ܠܒܒܠ.

" huc venire, neque etiam alio recedere, prius quam subegeris montes
" et colles qui sunt in eo, et seminaveris in eo semen vitæ miserisque
" e fructibus proventuum ad cœlum. Videns porro mihi nullum sup-
" petere modum quo id obtinerem, ivi et reclinavi in convivio senum,
" et commercium habui cum eis in cibo, potu ac cantu, eos imitans :
" atque per virtutem Dei et per preces vestras converti ex eis duos
" convivii seniores.—Et ecce ad me pertigerunt vices epulas struendi,
" ut et ego juxta eorum morem omnia præparem. Quapropter, mit-
" tite mihi de auro vestro, necnon de cantoribus præstantibus qui
" optime cantant, ac unguenta præcipua, ut faciam sicut ipsi; hic enim
" nihil possideo. „ Quum autem hæc audierunt apostoli luciferi, gavisi sunt, miseruntque illi aurum, sicut dixerat illis; et aromata bona, et tympana et citharas et cymbala et omnia instrumenta symphoniæ, ita ut Seleuciæ non essent similia. Et venerunt ad beatum Mar Marim in Babylonia.

ܘܟܕ ܡܛܐ ܝܘܡܐ ܕܢܫܡܫ. ܥܒܕ ܦܬܘܪܐ ܪܒܬܐ ܕܐܢܫ ܐܟܘܬܗ̇ ܠܐ ܥܒܕ ܒܣܠܝܩ. ܘܟܕ ܐܟܠܘ ܘܐܫܬܝܘ ܟܠܗ ܦܘܫܪܐ. ܦܩܕ ܕܢܥܠܘܢ ܙܡܪ̈ܐ. ܘܥܠܘ ܙܡܪ̈ܐ ܗܢܘܢ ܘܙܝܥܘ ܩ̈ܠܐ ܒܙܡܪܐ ܕܐܬܬܙܝܥܘ ܦܘܫܪ̈ܐ ܬܠܬܝܗܘܢ. ܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܥܠܘܗܝ ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ. ܕܗܢܐ ܓܒܪܐ ܐܠܗܐ ܗܘ. ܡܛܠ ܕܒܟܠܗܝܢ ܨܒܘ̈ܬܗ ܦܪܝܫ. ܘܩܪܒܘ ܟܠܗܘܢ ܠܘܬ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܘܐܡܪܝܢ ܠܗ. ܒܥܝܢ ܡܢܟ ܕܢܗܘܘܢ ܗܠܝܢ ܙܡܪ̈ܐ ܗܪܟܐ ܘܠܐܬܪ̈ܘܬܗܘܢ ܠܐ ܢܗܦܟܘܢ. ܘܐܡܬܝ ܕܡܛܝܐ ܠܟ ܦܘܠܚܢܐ ܠܡܦܠܚ: ܢܫܬܒܩ ܠܟ ܦܘܠܚܢܐ ܒܐܓܪܐ ܕܙܡܪ̈ܐ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܗܘ ܩܕܝܫܐ. ܐܢܐ ܐܓܪܐ ܕܙܡܪ̈ܐ ܠܐ ܐܟܠܢܐ. ܐܠܐ ܐܢ ܨܒܝܬܘܢ: ܡܠܬܐ ܚܕܐ ܐܝܬ ܠܝ ܕܐܡܪ ܠܟܘܢ. ܘܫܡܥܘܢܝ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܐܡܿܪ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܗܘܘ ܟܪ̈ܣܛܝܢܐ. ܘܙܡܪ̈ܐ ܗܠܝܢ ܫܒܝܩܝܢ ܠܟܘܢ. ܬܘܒ ܘܐܦ ܗܢܘܢ ܫܐܠܘܗܝ، ܘܐܡܪܝܢ ܠܗ ܡܢܘ ܗܢܐ ܗ̇ܝ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܫܡܐ ܗܢܐ ܕܡܢ ܡܬܘܡ ܠܐ ܫܡܝܥ ܠܢ. ܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܗܝܡܢܘ ܒܐܠܗܐ ܐܚܝܕ ܟܠ. ܗܘ ܕܥܒܕ ܫܡܝܐ ܘܐܪܥܐ ܘܠܝܬ ܐܠܗܐ ܠܒܪ ܡܢܗ.

23. Quum vero advenisset dies in quo ministraret, apposuit mensam magnam, ita ut nemo talem fecerit in Seleucia. Quumque manducassent et bibissent per totum convivium, jussit ut intrarent cantores; et ingressi sunt cantores illi, et moverunt voces, adeo ut iis tria convivia resultarent. Dicebant de sancto Mar Mari : *Iste vir deus est, nam in cunctis negotiis suis excellit.* Et accesserunt omnes ad beatum Mar Marim et dixerunt illi : *Rogamus te ut maneant isti cantores hic, nec ad regiones suas revertantur. Et quum redierint tibi vices ministrandi, condonabitur tibi ministerium in mercedem cantorum.* Dixit illis sanctus : *Ego mercedem cantorum non comedo; verum, si velitis, unum verbum est mihi quod vobis dicam, et audite me.* Dixerunt illi : *Dic.* Dixit illis : *Fiatis christiani, et cantores illi relinquentur vobis.* Iterum autem illi interrogaverunt eum et dixerunt illi : *Quid est christianismus? Nomen istud unquam non est auditum a nobis.* Dixit illis : *Credite in Deum omnipotentem, qui fecit cœlum et*

verum Deum annuntiat.

ܘܒܒܪܗ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚ̄: ܗܘ ܕܢܚܬ ܡܢ ܫܡܝܐ ܘܠܒܫ ܦܓܪܐ
ܕܒܢ̈ܝܢܫܐ. ܘܐܦܢܝ ܐܢܘܢ ܠܘܬܗ. ܘܗܝܡܢܘ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ
ܗܿܘ ܕܗܿܘ ܝܗܒ ܒܐܝ̈ܕܝܢ ܚܝ̈ܠܐ: ܘܐܬܐܣܝܘ ܗܠܝܢ ܪ̈ܫܝ
ܡܘܫ̈ܟܒܝܗܘܢ. ܘܫܪܝ ܕܢܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܗܠܝܢ ܓܝܪ ܕܠܗܘܢ
ܣܓܕܝܬܘܢ ܗܫܐ ܘܫܒܩܝܬܘܢ ܣܓܕܬܗ ܕܒܪܘܝܟܘܢ: ܠܐ
ܗܘܘ ܐܠܗ̈ܐ ܐܝܟܢܐ ܕܡܣܒܪܝܬܘܢ. ܐܠܐ ܬܘܒܘ ܡܢ ܛܥܝܘܬܐ
ܗܕܐ ܘܗܝܡܢܘ ܒܚܕ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ. ܘܢܘܪܐ ܓܝܪ ܗܕܐ
ܕܡܢܟܘܢ ܡܬܦܠܚܐ: ܚܕܐ ܡܢ ܒܪ̈ܝܬܗ ܐܝܬܝܗ̇ ܕܐܠܗܐ
ܘܐܝܬܝܗ̇ ܦܡ ܫܬܝܩܬܐ ܘܪܚܝܩܐ ܡܢ ܐܠܗܘܬܐ. ܗܢܘܢ ܕܝܢ
ܫܐܠܘܗܝ. ܕܐܝܟܘ ܐܠܗܟ ܕܝܠܟ. ܗܘ ܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܐܠܗܝ
ܕܝܠܝ ܠܐ ܡܬܚܙܝܢܐ ܗܘ. ܘܥܡܪ ܒܢܘܗܪܐ ܒܡܪ̈ܘܡܐ. ܘܟܠ
ܕܨ̇ܒܐ ܥܒܕ. ܗܢܘܢ ܓܝܪ ܥܢܘ ܘܐܡܪܘ. ܕܐܦ ܐܠܗܐ ܕܝܠܢ
ܗܕܐ ܢܘܪܐ ܐܝܬܝܗ̇. ܘܢܗܪܐ ܘܡܘܩܕܐ ܘܚܙܝܐ ܠܢ. ܘܐܦ
ܚܢܢ ܚܙܝܢ ܠܗ̇. ܠܗܘ ܕܝܢ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ ܠܐ ܡܬܛܦܝܣܝܢ
ܠܡܦܠܚ. ܗܘ ܕܝܢ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ, ܡܐܪܝ, ܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܕܐܢܐ
ܒܚܝܠܗ ܕܐܠܗܝ, ܠܐ ܡܬܚܙܝܢܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܐܩܛܘܠ ܠܗܕܐ

terram, et præter quem non est Deus; et in Filium ejus Jesum Christum, qui descendit e cælo et induit corpus humanum et convertit homines ad se; et credite in Spiritum sanctum, eumdem illum qui dedit in manibus nostris virtutes, ita ut sanarentur principes conviviorum vestrorum. Et cœpit dicere illis: *Illi enim quos vos adoratis nunc, relinquentes adorationem Factoris vestri, non sunt dii, sicut putatis. Quare convertimini ab errore illo, et credite in unum Deum verum. Ignis autem ille qui a vobis colitur, una est ex creaturis Dei, et quidem muta ac omnino distans a divinitate.* Illi autem rogaverunt eum: *Ubinam est Deus tuus?* Ille vero dixit illis: *Deus meus est invisibilis, et habitat in splendore in excelsis; et omnia quæ vult, facit.* Illi ergo responderunt et dixerunt: *Imo deus noster est ignis iste, et lucet et urit et videt nos, atque nos etiam eum videmus. Illi autem invisibili servire omnino nolumus.* At beatus Mar Mares dixit illis: *Ego per virtutem Dei mei invisibilis possum occidere illum deum vestrum, et ille non potest me*

ܐܠܗܘܬܗܘܢ ܗܘ، ܠܐ ܡܫܟܚܐ ܕܬܗܪ. ܕܡܢ ܗܪܟܐ ܬܬܕܥܘܢ
ܕܠܘ ܐܠܗܐ ܗܘ. ܟܕ ܡܢ ܒܪܢܫܐ ܚܫܘܫܐ ܡܝܬܐ ܠܐ ܢܗܘܐ
ܠܟܘܢ ܚܠܦܗ ܣܒܪܐ. ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܩܘܡ ܐܢܬ ܘܪܓܘܡ ܐܢܬ ܠܗ
ܒܟܐܦܐ ܘܢܦܩ[1] ܐܢܬ ܒܗ ܥܦܪܐ ܘܡܝܐ: ܕܬܕܥܟ ܠܗ ܐܝܟ
ܡܐ ܕܐܦ ܚܢܢ ܡܫܟܚܝܢ ܗܘ ܗܕܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܐܝܬ ܚܝܠܐ
ܒܐܠܗܟ ܝܬܝܪ ܡܢܗ. ܒܚܘܪܐ ܗܢܐ. ܒܘܚܢܐ ܕܗܢܘ ܘܥܘܠ ܠܓܘ
ܫܠܗܒܝܬܗ. ܘܐܢ ܩܛܠ ܠܗ ܬܩܛܠܝܘܗܝ: ܘܐܢܬ ܕܝܢ ܠܐ ܬܬܝܩܕ.
ܡܬܝܕܥܐ ܕܪܒ ܐܠܗܟ ܡܢܗ. ܘܚܝܠܗ ܡܢ ܚܝܠܗ.

ܘܐܬܬܟܝܠ ܩܕܝܫܐ ܙܪܝܙܐ ܥܠ ܡܪܗ ܠܒܥܘܬܗܘܢ
ܗܕܐ. ܘܠܒܬܪ ܝܘܡܐ ܟܕ ܐܘܩܕܘ ܐܬܘܢܐ ܕܝܠܗܘܢ ܕܗܘܐ
ܫܠܗܒܝܬܐ ܪܒܬܐ: ܐܬܟܢܫܘ ܟܠܗܘܢ ܠܬܡܢ ܘܒܥܘ ܕܢܥܘܠ
ܠܗ. ܘܡܢܗܘܢ ܒܙܘܥܬܐ ܘܡܢܗܘܢ ܚܫܝܫܘܬܐ ܡܡܠܠܝܢ
ܗܘܘ ܥܡܗ. ܚܬܡ ܕܝܢ ܩܕܝܫܐ ܢܦܫܗ ܒܪܘܫܡܐ ܦܪܘܩܝܐ. ܘܠܗ
ܐܦ ܠܢܘܪܐ ܪܫܡ ܒܨܠܝܒܐ. ܘܥܠ ܠܓܘܗ ܘܦܩ ܕܠܐ ܢܟܝ.

[1] *Loco vocis* ܢܦܝܢ *quæ, si omnino ad linguam syriacam pertineat,* fucandi, pingendi *sensum faceret, puto legendum esse* ܢܦܩܝܢ

lædere : ut istinc sciatis eum non esse deum. Quandoquidem per hominem passibilem sit moriturus, non sit vobis in eo fiducia. Dicunt illi : *Consurges tu et projicies in eum lapides, effundesque in eum pulverem et aquam, ut extinguas eum, sicut etiam nos idem possumus. Si vero sit in Deo tuo virtus major isto, præbe consuetam illius probationem, ingrediendo intra flammam ejus; et si quidem ipsum interfeceris, tu vero adustus non fueris, manifestum erit Deum tuum esse eo majorem, ejusque virtutem illius virtutem superare.*

24. Sanctus vero strenuus, Domino suo confisus, huic istorum petitioni assensus est. Postridie ergo quum incendissent fornacem ipsorum, ita ut esset flamma ingens, illic congregati sunt omnes, et petierunt ut intraret in eam. Atque alii eum territabant, alii vero commiserationem erga illum exprimebant. Sanctus autem sese signavit redemptionis signo, atque pariter super ignem signavit cru-

In fidei testimonium bis per ignem transit illæsus, et sanat duos cæcos et filiam præ-

ܡܢܗܘܢ ܕܝܢ ܙܕܩܘ ܠܚܝܠܐ ܐܠܗܝܐ. ܘܡܢܗܘܢ ܐܡܪܘ. ܕܠܐ ܒܦܐܝܬ ܐܬܬܣܝܡܬ ܢܘܪܐ. ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ ܩܕܝܫܐ ܥܠ ܦܠܓܘܬܗܘܢ ܕܢܥܘܠ ܠܗ ܠܡܚܪ ܠܢܘܪܐ ܬܘܒ ܕܗܢܐ ܦܘܫܩܐ. ܗܘ ܕܝܢ ܐܬܦܠܓܘ: ܕܢܫܡܥܘܢ ܨܒܝܢܗܘܢ ܒܝܘܡܐ ܕܠܡܚܪ. ܘܐܘܩܕܘܗ̇ ܠܢܘܪܐ ܚܝܠܬܢܐܝܬ. ܘܐܘܩܕܘ ܗܘܘ ܒܢܟܠ ܒܢܟܝܠܘܬ. ܘܢܩܦ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܣܛܢܐ ܗܘ ܕܡܢ ܒܪܫܝܬ ܩܛܘܠ ܐܢܫܐ ܗܘ: ܒܥܠܕܒܒܐ ܥܬܝܩܐ. ܘܒܗ̇ ܕܝ ܒܗ̇ ܕܡܘܬܐ ܬܘܒ: ܒܐܬܐ ܕܙܩܝܦܐ ܥܠ ܘܥܠ، ܡܕܥܟ ܠܗ̇. ܘܒܥܘ ܡܢܗ ܕܠܐ ܢܕܥܟܝܗ̇. ܐܠܐ ܢܫܒܩܝܗ̇ ܥܕܡܐ ܕܬܕܥܟ. ܘܥܒܕ ܗܟܢܐ ܥܕܡܐ ܕܓܡܪܬ ܘܐܬܕܥܟܬ. ܘܢܦܩ ܡܢܗ̇ ܕܠܐ ܢܟܝܢ. ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܟܕ ܚܙܘ ܚܝܠܐ ܐܠܗܝܐ. ܗܝܡܢܘ ܒܐܠܗܐ ܘܩܒܠܘ ܪܘܫܡܐ ܕܚܝ̈ܐ. ܘܒܨܦܪܐ ܕܠܡܚܪ ܢܦܩ ܡܠܟܐ ܕܢܬܒ ܒܕܘܟܬܐ ܕܡܛܝܒܐ ܗܘܬ ܠܗ. ܘܐܬܟܢܫܘ ܠܘܬܗ ܥܡܐ ܣܓܝܐܐ. ܘܫܪܝܘ ܡܢܗܘܢ ܐܟܠܝܢ ܩܪ̈ܨܘܗܝ، ܕܩܕܝܫܐ. ܘܡܢܗܘܢ ܡܫܒܚܝܢ

fecti vexatam a dæmone.

cem. Et ingressus est in eum et exiit absque læsione. Quidam ergo recte agnoverunt virtutem divinam; alii contra dicebant: *Non apte impositus est ignis.* Sanctus vero ob divisionem inter illos, spopondit se postridie, ut istam solveret dubitationem, iterum ingressurum. Itaque consensit ille ut eorum voluntati obsecundaret die insequenti. Porro incenderunt ignem vehementer; nam et incenderunt fraudulenter, et adhærebat illis satanas, qui est homicida ab initio, hostis antiquus. Atque eodem rursus modo fretus signo crucis ingressus est, cœpitque ignem extinguere; at rogaverunt eum ut eum non extingueret, sed relinqueret donec interiret. Et fecit sic, donec defecisset et extingueretur; ipse vero exiit illæsus. Isti ergo quum vidissent virtutem divinam, crediderunt in Deum et acceperunt signaculum vitæ (1). Postridie autem mane exiit rex in loco sibi præparato sessurus, convenitqne ad eum populus numerosus. Tum vero quidam accusare sanctum, alii vero eum laudare. Et respondit rex et

(1) I. e. baptisma, quod sæpe hoc nomine venit in libris Nestorianorum liturgicis.

ܗܘܘ ܠܗ. ܘܒܥܐ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪ ܠܐܟ̈ܠܝ ܩܪ̈ܨܐ. ܡܢܐ ܨܒܝܢܬܘܢ : ܐܡܪܝܢ ܠܗ. ܕܐܢܬ ܬܫܠܡ ܐܢܬ ܠܗ ܠܢ ܕܢܩܛܠܝܘܗܝ. ܐܘ ܛܪܕ ܐܢܬ ܠܗ ܡܢ ܐܬܪܢ. ܘܐܢ ܗܟܢ ܠܐ ܥܒܕ ܐܢܬ : ܚܢܢ ܟܠ ܡܫܡ̈ܫܢܐ ܕܐܠܗ̈ܝܟ ܘܐܠܗ̈ܐ ܕܐܒܗ̈ܝܟ : ܡܫܢܝܢ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ. ܘܟܕ ܚܙܐ ܡܠܟܐ ܕܣܘܓܐܐ ܕܥܡܐ ܥܡ ܟܘܡܪ̈ܐ ܐܫܬܩܘܗܝ. ܥܠ ܐܢܘܢ ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ ܠܐ ܥܒܕ ܐܢܐ ܐܠܐ ܟܠ ܕܐܡܪܬܘܢ ܠܝ. ܘܫܪܐ ܐܢܘܢ ܡܢ ܩܕܡܘܗܝ. ܘܠܛܘܒܢܐ ܘܐܠܝܢ ܕܥܡܗ : ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܡܠܟܐ. ܐܢܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܐܚ̈ܝ : ܕܐܢ̈ܫܝ ܣܠܝܩ ܐܢ̈ܫܐ ܐܢܘܢ ܒܝ̈ܫܐ ܘܡܪ̈ܝܚܐ. ܘܝܬܝܪܐܝܬ ܦܠܚ̈ܝܢ ܠܦܬܟ̈ܪܐ ܕܬܢ. ܘܐܢܗܘ ܕܣܘܓܐܐ ܕܬܕܡܪ̈ܬܐ ܠܐ ܚܙܝܢ. ܠܐ ܒܥܓܠ ܡܫܬܡܥܝܢ ܠܝ. ܐܠܐ ܦܘܩܘ ܗܫܐ ܐܚ̈ܝ : ܘܚܘܘ ܐܢܘܢ ܚܝܠܗ ܕܝܫܘܥ ܗܘ ܕܡܟܪܙ ܐܢܬ. ܘܒܗ ܫܥܬܗ ܕܢܦܩ ܛܘܒܢܐ ܡܢ ܩܕܡ ܡܠܟܐ. ܦܓܥܘ ܒܗ ܬܪܝܢ ܣܡܝ̈ܐ ܘܩܪܒ ܠܒܒ̈ܬܐ ܕܥܝܢ̈ܝܗܘܢ ܘܐܡܪ. ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ ܢܨܪܝܐ ܢܬܩܢ ܒܒ̈ܬܐ ܕܥܝ̈ܢܝܟܘܢ. ܘܥܡ ܡܠܬܐ ܚܘܠܡܢܐ ܩܒܠܘ ܣܡܝ̈ܐ ܗܢܘܢ ܘܗܝܡܢܘ ܒܗ. ܘܐܦ ܣܘܓܐܐ ܕܐܚܪ̈ܢܐ ܐܬܪܟܢܘ ܒܬܪܗ.

dixit accusatoribus : *Quid vultis?* Dixerunt ei : *Ut tu eum nobis tradas occidendum, vel certe regione expellas. Quod si hoc non feceris, nos omnes, cultores deorum tuorum et deorum patrum tuorum, recedimus ex urbe.* Quumque vidisset rex multitudinem populi cum sacrificulis esse, sedavit illos dicendo : *Nil faciam nisi quod dicitis mihi,* et dimisit eos a se. Beato vero ac sociis ejus dixit rex : *Equidem scio, fratres mei, homines Seleuciæ esse homines malos et pervicaces, atque altaribus idolorum quæ ibi existunt, in primis addictos ; nec, nisi multitudinem miraculorum viderint, cito obedient mihi. Sed exite nunc, fratres mei, et ostendite illis virtutem Jesu quem tu prædicas.* Porro eodem momento quo exiit beatus e regis præsentia, obviaverunt ei duo cæci, et tetigit pupillas oculorum eorum dicens : *In nomine Jesu Nazareni restituantur pupillæ oculorum vestrorum !* Et cum verbo valetudinem acceperunt cæci illi et crediderunt in eum; atque etiam multi alii propensi sunt

ܘܡܢܗܘܢ ܗܘܬ ܒܪܬܗ ܕܗܘܦܪܟܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܒܡܕܝܢܬܐ. ܗܝ ܕܡܢ ܢܘܓܪܐ ܡܫܢܩ ܗܘܐ ܠܗ̇ ܣܛܢܐ. ܟܕ ܫܡܥ ܛܘܒܢܐ ܡܛܠܬܗ̇ ܡܢ ܐܢܫܝܢ ܕܐܬܝܢ ܗܘܘ ܠܘܬܗ. ܐܙܠ ܥܡܗܘܢ. ܘܒܐܘܪܓܢܘܢ ܕܠܫܢܗ̇ ܕܛܠܝܬܐ ܩܥܐ ܗܘܐ ܫܐܕܐ ܗܘ ܘܐܡܪ. ܟܕ ܫܡܥܝܢ ܗܘܘ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝܢܫܐ ܕܬܡܢ. ܐܘܗ̇ ܥܒܕܘܗ̈ܝ ܕܡܫܝܚܐ. ܗܐ ܛܪܝܕܝܢ ܚܢܢ ܡܢܟܘܢ ܡܢ ܟܠ ܕܘܟ. ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܘܡܢ ܛܘܪܐ ܘܡܢ ܪ̈ܡܬܐ. ܘܡܢ ܚܘܪܒܐ ܡܚܪܒ، ܡܢ ܥܡܘܪܐ. ܟܕ ܕܝܢ ܐܡܪ ܗܠܝܢ ܘܕܐܟܘܬܗܝܢ: ܫܕܝܗ̇ ܠܛܠܝܬܐ. ܘܩܪܒ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ، ܘܨܠܝ. ܘܐܩܝܡܗ̇ ܠܛܠܝܬܐ ܠܐܒܘܗ̇ ܟܕ ܚܠܝܡܐ ܘܡܘܕܝܐ. ܚܙ̈ܝܘܗܝ ܕܝܢ ܕܬܕܡܘܪܬܐ ܗܝ، ܢܦܠܘ ܥܠ ܪ̈ܓܠܘܗܝ، ܕܛܘܒܢܐ ܘܣܓܕܘ ܠܗ.

ܘܟܕܡܐ ܠܫܢܬܐ ܚܕܐ ܠܐܐ ܗܘܐ ܛܘܒܢܐ ܒܬܕܡܘܪܬܐ ܒܣܠܝܩ ܒܐܬܘܬܐ ܘܒܬܕܡܪ̈ܬܐ. ܘܡܢ ܒܬܪܟܢ ܒܥܐ ܡܢܗܘܢ ܕܘܟܬܐ ܕܢܒܢܐ ܠܗܘܢ ܒܝܬ ܨܠܘܬܐ ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܗܢܘܢ

ad ipsum : quos inter filia præfecti (1) civitatis jam diuturno tempore vexata a satana. Quum audisset de ea beatus ab eis qui veniebant ad eum, ivit cum ipsis. Et per organum linguæ puellæ clamabat dæmon iste et dixit, audientibus omnibus hominibus illic præsentibus : *Heu, vos, servi Christi! Ecce pellimur a vobis undique, e civitatibus, et e montibus ac collibus, atque e solitudine incolis destituta!* Quum vero hæc et similia dixisset, allisit puellam. Et accessit beatus Mar Mares et oravit, restituitque puellam patri ejus sanam et gratias agentem. Spectatores autem miraculi illius ceciderunt ad pedes beati et adoraverunt eum.

In Ecclesia plene constituenda dum

25. Porro per annum integrum laboravit beatus mirabiliter in Seleucia per signa et prodigia. Et post hæc petiit ab eis locum ut exstrueret pro eis oratorium Deo vivo. Ipsi vero quæsierunt et dixerunt

(1) In textu ܗܘܦܪܟܐ est vox græca ὕπαρχος, *procurator, præfectus,* qui, ut ait Suidas, " ὁ ὑποτεταγμένος ἑτέρῳ, ὁ μὴ ὢν αὐτοκράτωρ, " *alteri subjectus est et summam non habet potestatem.* Nec mirum si Seleuciæ, quæ veluti respublica græca tum erat, ista appellatio fuerit in usu.

ܕܝܢ ܒܗ ܘܐܡܪܘ ܠܗ. ܟܠ ܐܝܟܐ ܕܨܒܐ ܐܢܬ ܐܡܿܪ. ܘܚܢܢ
ܝܗܒܝܢ ܠܟ. ܐܡܿܪ ܠܗܘܢ ܛܘܒܢܐ. ܗܒܘ ܠܝ ܒܝܬ ܦܬܟܪ̈ܐ ܗܢܐ
ܕܠܒܪ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܘܣܒܘ ܠܟܘܢ ܛܝܡ̈ܗ. ܒܝܬ ܦܬܟܪ̈ܐ
ܕܝܢ ܗܘ ܕܡܠܟܐ ܐܦܪܗܛ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ. ܘܟܘܡܪ̈ܐ
ܣܓܝ̈ܐܐ ܩܝܡܝܢ ܗܘܘ ܬܡܢ. ܘܢܦܩܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܚܠܦܝܗܘܢ
ܢܦܩܐ ܗܘܬ ܥܠ[1] ܟܘܡܪ̈ܐ ܟܕ ܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܕܗܢܘܢ
ܦܬܟܪ̈ܐ ܐܟܠܝܢ ܘܫܬܝܢ. ܘܐܙܠ ܛܘܒܢܐ ܥܡ ܡܠܟܐ ܘܠܒܝܬ
ܦܬܟܪ̈ܐ ܟܠܗ. ܘܟܢܐ ܡܪܝ، ܡܪܝ، ܘܐܡܪ ܠܟܘܡܪ̈ܐ ܐܘ
ܒܗܬ̈ܬܐ ܘܕܓ̈ܠܐ. ܐܡܬܝ، ܐܟܠܘ ܢܨ̈ܒܐ ܗܠܝܢ ܕܐܢܬܘܢ
ܩܪܝܬܘܢ ܠܗܘܢ ܐܠܗ̈ܐ. ܠܐ ܓܝܪ ܒܗܬܬܘܢ ܘܠܐ ܣܦܩ
ܠܟܘܢ. ܟܕ ܐܢܬܘܢ ܐܟܠܝܢ ܘܫܬܝܢ ܟܠ ܡܕܡ ܕܡܬܬܣܝܡ
ܠܗܠܝܢ ܐܠܐ ܐܡܪܝܬܘܢ[2] ܕܐܠܗ̈ܐ ܐܢܘܢ ܗܠܝܢ. ܠܐ ܗܘܘ
ܓܝܪ ܐܠܗ̈ܐ ܐܝܟ ܡܠܬܟܘܢ. ܐܠܐ ܓܠܝ̈ܦܐ ܐܢܘܢ ܕܩܝܣܐ
ܘܕܢܚܫܐ ܘܫܐܕ̈ܐ ܡܡܠܠܝܢ ܒܗܘܢ. ܗܝܕܝܢ ܐܬܚܡܬܘ ܟܘܡܪ̈ܐ
ܗܢܘܢ ܘܐܡܪܘ ܠܛܘܒܢܐ. ܐܢܗܘ ܕܗܠܝܢ ܚܪ̈ܫܐ ܐܢܘܢ ܐܝܟ
ܕܐܡܪܬ. ܥܠ ܫܡܫܐ ܕܝܢܐ ܪܒܐ ܡܢܘ ܐܝܬ ܠܟ ܕܬܐܡܪ.

[1] S. ܘܥܠ — [2] S. ܕܐܡܪܝܬܘܢ

ei : *Ubicumque cupias dic et nos dabimus tibi.* Dixit illis beatus : *Date mihi templum idolorum extra civitatem, et accipite vobis pretium ejus.* Porro fanum istud erat regis Aphrahatis, et sacerdotes plurimi stabant illic. Et impensa magna propter eos fiebat, scilicet propter sacerdotes qui asserebant idola ista manducare et bibere. Et profectus est beatus cum rege, et ad fanum idolorum simul ascenderunt. Tum Mar Mares, sacerdotes alloquens, dixit : *O pudefacti et mendaces! Ecquando manducant statuæ istæ quas vos vocatis vobis deos ? Nam non erubescitis nec sufficit vobis, quod ipsi quidquid ipsis apponitur, edatis et bibatis, sed dicitis hæc deos esse. Ast nequaquam dii sunt, prout asseritis, sed sculptilia ligni et æris, per quæ dæmones loquuntur.* Ad hæc in furorem versi sunt sacerdotes illi et dixerunt beato : *Si ista sunt incantamenta, ut tu dicis, de sole, judice magno, quid est quod*

annuente rege Aphrahate laborat S. Mares,

ܐܡܪ ܠܗܘܢ ܛܘܒܢܐ. ܫܡܫܐ ܬܘܒ ܒܪܝܬܗ ܗܘ ܕܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܘܠܡܢܗܪܘ ܠܒܪܝܬܐ ܕܒܪܐ ܐܠܗܐ ܐܬܬܣܝܡ ܘܠܡܦܪܫ ܒܝܬ ܐܝܡܡܐ ܠܠܠܝܐ. ܡܕܝܢ ܒܠܠܝܐ ܠܐܝܟܐ ܥܪܩ ܐܢܗܘ ܕܐܠܗܐ ܗܘ. ܘܡܢ ܒܬܪ ܡܠܐ ܣܓܝܐܬܐ: ܦܩܕ ܡܠܟܐ ܘܝܗܒܘܗܝ ܠܒܝܬ ܦܬܟܪܐ ܠܛܘܒܢܐ. ܘܠܦܬܟܪܐ ܝܗܒ ܐܢܘܢ ܡܠܟܐ ܡܘܗܒܬ ܠܛܘܒܢܐ. ܘܢܣܒ ܐܢܘܢ ܘܕܩܢ ܐܢܘܢ ܐܝܟ ܚܠܐ. ܘܠܚܠܗܘܢ ܫܕܝܗܝ ܒܕܩܠܬ. ܘܒܝܬܗ ܠܗܝܟܠܐ ܗܘ ܕܦܬܟܪܐ. ܘܒܢܝܗܝ ܒܪ ܕܪܥ ܥܕܬܐ ܙܥܘܪܬܐ. ܘܐܩܝܡ ܒܗ̇ ܩܫܝܫܐ ܘܡܫܡܫܢܐ. ܘܐܦ ܬܘܒ ܒܗ̇ ܒܗ̇ ܒܕܘܟܬܐ ܐܣܟܘܠܐ. ܘܐܩܝܡ ܠܚܕ ܡܢ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܒܡܠܦܢܐ.
ܘܟܕ ܚܙܘ ܦܠܚܝ ܒܠܘܬܐ ܕܒܡܕܝܢܬܐ ܘܒܩܘܪܝܐ ܕܚܕܪܝܗ̇: ܥܙܘ ܕܘܩܦܠܐ ܕܛܥܝܘܬܗܘܢ ܡܬܒܙܚܝܢ. ܐܬܟܢܫܘ ܟܠܗܘܢ ܘܥܒܪܘ ܠܗܘܢ ܠܩܛܝܣܦܘܢ ܠܘܬ ܡܠܟܐ ܐܪܛܒܢ

dicere audeas? Dixit illis beatus : *Sol pariter creatura est Dei vivi, et ad illuminandam creaturam quam condidit Deus positus est, et ad discernendum inter diem et noctem. Igitur in nocte quonam fugit si Deus sit?* Jam vero post plura verba, jussit rex ut templum idolorum beato concederent, atque idola pariter rex beato dono dedit. Is ea accepit et comminuit tanquam pulverem, eorumque pulverem in Tigridem projecit; templum vero istud idolorum demolitus est, atque illud iterum in parvam ecclesiam ædificavit, in qua constituit presbyteros et diaconos. Pariter erexit in eodem loco scholas, constituitque unum e discipulis suis inter magistros.

apud Artabanum regem Persidis accusatur,

26. Quumque vidissent cultores altarium idolorum (1) in civitate et in oppidis vicinis fœda sua dogmata passim contemptui exponi, convenerunt omnes et transierunt in Ctesiphon ad regem Artaban (2)

(1) Vox ܒܠܘܬܐ pluries hoc sensu occurrit apud Bickell, *Carmina Nisibena.* Item supra, num. 24. — (2) Plures Parthorum reges nomine Artaban historia memorat, inter quos Artabanum III qui obiit tempore Claudii imperatoris circa annum 44, cujusque gesta quædam refert V. Duruy, *Hist. des Romains,* IV, 304, 366, 428. Post hunc Vardan et Gotarzes pro regno decertarunt; vicit ille, Seleu-

ܗܘ ܕܒܩܛܝܣܦܘܢ ܘܒܓܘܟܝ ܡܡܠܟ ܗܘܐ. ܡܛܠ ܕܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܩܫܐ ܗܘܐ ܡܠܟܐ ܗܘ. ܘܩܥܝܢ ܗܘܘ ܘܐܡܪܝܢ ܩܕܡܘܗܝ، ܟܕ ܒܟܝܢ. ܕܓܒܪܐ ܚܕ ܚܪܫܐ ܐܬܐ ܘܚܒܠ ܐܢܘܢ ܠܐܠܗ̈ܐ ܕܝܠܢ. ܘܚܕ ܐܠܗܐ ܡܟܪܙ. ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܡܠܦ ܐܝܬܘܗܝ، ܒܫܡܝܐ ܘܠܐ ܡܬܚܙܐ. ܘܗܫܐ ܡܪܢ، ܡܠܟܐ ܐܠܐ ܐܢ ܕܐܢܬ ܠܐ ܢܛܪ ܐܢܬ ܕܢܦܫܟ ܘܠܬܘܕܝܬܐ ܗܕܐ ܕܐܒ̈ܗܝܟ. ܘܐܦ ܠܐ ܒܡܠܠ ܡܠܠ ܡܬܒܛܠܐ. ܡܛܠ ܕܡܠܟܐ ܐܦܪܗܛ ܗܘ ܥܪܝܣ ܠܒܐ: ܒܪ ܫܥܬܗ ܗܝܡܢ ܒܗ. ܘܠܢ ܛܪܕ ܡܢ ܒܝܬܗ. ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܫܡܥ ܡܠܟܐ ܐܪܛܒܢ: ܫܕܪ ܒܬܪܗ ܕܛܘܒܢܐ ܘܐܥܒܪܗ، ܡܢ ܗܘ ܓܒܐ ܕܣܠܝܩ ܠܐܘܟܐ ܕܡܠܟܐ ܐܪܛܒܢ ܝܬܒ ܗܘܐ. ܘܟܕ ܥܠ ܩܕܡܘܗܝ، ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ. ܡܢܘ ܪܘܒܐ ܗܢܐ ܘܦܠܓܘܬܐ ܕܐܪܡܝܬ ܒܐܬܪܢ. ܘܐܠܗ̈ܐ ܢܘܟܪ̈ܝܐ

qui in Ctesiphon et Gowkhai (1) regnabat, quia, ut dicebant, valde durus erat rex ille; et clamabant et dicebant coram eo plorantes: *Vir quidam incantator venit et delevit deos nostros, et unum Deum prædicat, qui, uti docet, est in cœlo et non videtur. Et nunc, domine rex, nisi tu curam geras tui ipsius, et erga confessionem istam patrum tuorum, profecto sensim sine sensu delebitur; eo quod rex Aphrahates, corde vitiosus, illico credidit in eum et nos expulit e domo sua.* Quumque hæc audisset rex Artaban, accersivit beatum eumque transire fecit ex littore Seleuciæ ad eum locum ubi rex Artaban residebat. Quumque ingressus esset ad eum, dixit illi rex: *Quidnam tumultus iste et divisio*

ciam post obsidionem septem annorum expugnavit, at mox interfectus periit. Rediit Gotarzes et Mehardatem a Claudio adjutum devicit. Deinde circa annum 50 vel 51 successit ei Vologeses I, alio nomine Arsaces, qui annos haud minus triginta, ad Vespasiani usque tempora, regna tenuit. — Quisnam fuerit *Artaban* de quo Actorum scriptor, definiri nequit. — (1) *Gowkhai*, quum hic una cum Ctesiphonte censeatur, ad Beth-Aramæorum regionem pertinuisse videtur. Eamdem urbem, quam *Gaucha* pronuntiat, autumat Assemanus, *Bibl. Orient.*, III, II, p. 747, at nullo nixus fundamento, fuisse episcopalem Beth-Garmææ; eumque sequitur Payne Smith in *Thes.* sub hac voce.

ܡܟܪܙ ܐܢܬ ܒܥܡܢ. ܐܝܟ ܗܟܢ ܕܣܘܥܪ̈ܢܐ ܗܠܝܢ ܣܗ̈ܕܝܢ. ܗܫܐ ܐܢܗܘ ܕܫܒܩܬ ܕܚܠܬܟ ܘܒܐܠܗ̈ܐ ܗܠܝܢ ܡܘܕܐ ܐܢܬ: ܐܝܩܪ̈ܐ ܪ̈ܘܪܒܐ ܬܩܒܠ ܡܢܝ. ܐܢܕܝܢ ܠܐ ܬܬܛܦܝܣ. ܗܕܡ ܗܕܡ ܬܬܦܣܩ ܐܢܬ ܘܟܠ ܕܡܘܕܐ ܒܐܠܗܟ. ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ. ܐܠܗܐ ܗܘ ܕܠܗ ܦܠܚ ܐܢܐ ܡܠܟܐ. ܗܘ ܡܫܘܙܒ ܠܝ ܡܢ ܫܢ̈ܕܝܟ. ܡܛܠ ܕܗܘܝܘ ܡܫܟܚ ܕܢܚܐ ܘܢܘܒܕ. ܘܟܠ ܟܐܒ̈ܝܢ ܘܟܘܪ̈ܗܢܝܢ ܗܘ ܡܐܣܐ. ܓܪ̈ܒܐ ܡܕܟܐ. ܘܣܡ̈ܝܐ ܡܦܬܚ. ܕܝ̈ܘܐ ܡܦܩ. ܘܟܠܡܕܡ ܒܐܝܕܗ ܩܐܡ. ܥܢܐ ܡܠܟܐ ܘܐܡܪ ܠܐܬܠܝܛܐ ܠܐ ܙܘܥܐ. ܐܢܗܘ ܕܗܠܝܢ ܡܫܟܚ ܐܢܬ ܠܡܥܒܕ: ܫܦܝܪ̈ܢ ܡܠ̈ܝܟ ܒܣܘܥܪ̈ܢܐ. ܓܡܘܪ ܡܠܦܢܘܬܟ ܠܘܬܢ ܒܥܒ̈ܕܐ. ܚܕܐ ܚܬܐ ܐܝܬ ܠܝ: ܚܒܝܒܐ ܠܝ ܛܒ ܣܓܝܐ. ܐܢܗܘ ܕܠܗ̇ ܡܫܟܚ ܐܢܬ ܕܬܐܣܐ: ܦܠܓܘܬܐ ܐܬܠ ܠܟ ܒܡܠܟܘܬܝ. ܗܝܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ ܛܘܒܢܐ. ܐܢ ܗܘ ܕܬܗܝܡܢ ܒܗ ܡܟܐ ܕܚܘܠܡܢܐ ܡܩܒܠܐ ܚܬܟ: ܗܘܝܐ ܒܥܘܬܟ. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ ܒܗ.

ܗܝܕܝܢ ܐܬܛܦܝܣ ܛܘܒܢܐ ܠܡܐܙܠ ܠܘܬ ܚܬܗ ܕܡܠܟܐ. ܗܝܕܝܢ ܦܩܕ ܡܠܟܐ ܠܐܘܪܛܝܩܘܛܐ ܥܡ ܐܘܪܛܝܩܛܐ.

quam induxisti in regionem nostram, eo quod deos peregrinos prædicas tu in populo nostro, quemadmodum factis istis testantur? Nunc si relinquas religionem tuam et deos istos profitearis, honores magnos recipies a me; sin vero non acquiescas, membratim dissecaberis tu et omnes qui profitentur deum tuum. Dixit illi beatus : *Deus cui ego servio, rex, ipse eripiet me e tormentis tuis, quia Ipse potest vivificare et perdere, et omnes dolores et infirmitates Ipse sanat : leprosos mundat, cæcos illuminat, dæmones pellit, et omnia in manu ejus stant.* Respondit rex et dixit athletæ intrepido : *Si ista facere potes, proba verba tua factis; perfice doctrinam tuam apud nos per opera. Habeo sororem unicam mihi valde caram : si tu eam sanare potes, dimidium dabo tibi in regno meo.* Tum dixit illi beatus : *Si modo credas in Eum, ubi sanitatem receperit soror tua, fiet petitio tua.* Dixit illi rex : *Credam in eum.*

et post sanatum

27. Tum consensit beatus ut sororem regis adiret; jussitque rex

ܕܢܘܒܠܘܗܝ، ܠܛܘܒܢܐ ܠܐܬܪܐ ܕܐܚܬܗ̇ ܗܘܬ ܬܡܢ. ܘܟܕ ܐܬܐ ܛܘܒܢܐ ܘܡܛܐ ܠܢܗܪܐ ܚܕ ܕܡܬܩܪܐ ܙܒܐ ܡܨܥܝܐ : ܠܐ ܐܫܟܚ ܕܢܥܒܪ. ܡܛܠ ܕܡܥܒܪܬܐ ܒܥܒܪܐ ܐܚܪܢܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܗܘܬ. ܘܫܡܥ ܗܘܐ ܩܠܐ ܕܡܡܠܠ ܗܘܐ ܒܡܥܒܪܬܐ. ܘܩܪܝܗ، ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܘܐܡܪ ܠܗ. ܐܥܒܪ ܠܝ ܗܕܐ ܡܥܒܪܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܓܒܪܐ ܗܘ ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܐܥܒܪ ܠܟ. ܥܢܐ ܩܕܝܫܐ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܡܛܠ ܡܢܐ ܕܬܥܒܪܢܝ ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܬ. ܐܡܪ ܠܗ ܓܒܪܐ ܗܘ. ܡܛܠ ܕܐܝ̈ܕܝ، ܘܪ̈ܓܠܝ ܡܬܡ̈ܫܢ ܘܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܐܠܒܘܟ ܒܗܘܢ ܠܐ ܠܡ̈ܩܐ ܘܠܐ

militibus cum strategis, ut deducerent beatum illuc ubi erat soror ipsius. Quum autem profectus esset beatus et pervenisset ad flumen quoddam quod vocatur Zabas medius (1), non potuit transire, eo quod linter in altero littore erat; et audivit vocem quæ loquebatur in lintre. Et clamavit Mar Mares et dixit illi : *Transmitte mihi hanc lintrem.* Dixit ei vir iste : *Non possum ego transmittere te.* Respondit sanctus et dixit illi : *Quare me transmittere non potes?* Dixit ei vir ille : *Quia manus meæ et pedes mei contabuerunt, et non possum arripere cum eis neque remos neque lintrem.* Dixit sanctus ad virum illum :

in itinere Dosthium portitorem,

(1) *Zab medius* quodnam flumen designet, satis exploratum non est. Verum a binis Assyriæ profluentibus (de quibus supra, p. 68, not. 1) certe distingui debet. Quumque quærendus videatur infra Seleuciam versus Dorqoni, convenire potest cum cognomine Tigridis affluente quem juxta oppidum *en-Nomania* memorat Ritter, X, 233, aut cum una alterave e duabus fossis sive fluentibus, arabica appellatione *Zawabi* dictis, Tigridem Euphratenque in regione Babylonica jungentibus. Hinc tota illa regio Mesopotamica inter Seleuciam et Wasit interjacens *al-Zawabi* audit; apud auctorem vero nostrum postea *Zabe* et *Schafle* vocatur, quamquam Assemanus, *Bibl. Orient.* III, II, pp. 711 et 787, unam tantum regionem *Zabe* agnoscit, nempe Adiabenicam, inter Caprum et Lycum sitam, quam, uti ait, Syri *Zabe*, Arabes *Zuabiam (al-Zawabi)* appellant. Ast in hoc falsus est, prout vel ex eo liquet quod testatur ipse ibidem, p. 788, nimirum episcopatum Zabarum in provincia patriarchali fuisse conjunctum Naamaniæ (*el-Nomania* de quo supra, in loco ubi hodie *Tell-Naaman*) Niloque, quæ tamen oppida ingenti spatio a Zabis Assyriæ distabant. Hæc enim ipse recte ponit in *Irak-Arabi* seu Babylonia, imo Naamaniam, Amrum secutus, cum Zuabia confundit. Cfr. notata ap. Hoffmann, pp. 68 et 84; ac Nöldeke, op. cit., p. 501.

ܡܥܒܪܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܩܕܝܫܐ ܠܓܒܪܐ ܗܘ ܡܢ ܫܡܟ. ܐܡܪ ܠܗ
ܕܘܣܬܝ، ܫܡܝ. ܘܐܡܪ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ، ܡܪܐܝ، ܠܐܘܢܣܝܡܘܣ ܩܫܝܫܐ
ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܥܡܗ. ܐܡܪ ܠܓܒܪܐ ܗܘ. ܕܐܡܪ ܠܟ ܡܪܐܝ،
ܬܠܡܝܕܗ ܕܐܕܝ، ܫܠܝܚܐ. ܒܫܡܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܢܨܪܝܐ ܩܘܡ
ܥܠ ܪ̈ܓܠܝܟ. ܘܐܚܘܕ ܒܐܝ̈ܕܝܟ ܠܡ̈ܩܐ. ܘܐܥܒܪ ܡܥܒܪܬܐ
ܗܝ. ܘܟܕ ܡܠܬܐ ܗܕܐ ܡܢ ܦܘܡܗ ܕܡܪܝ، ܡܪܐܝ، ܠܕܘܣܬܝ،
ܐܫܬܠܚܬ : ܒܗܝ ܫܥܬܐ ܓܒܪܐ ܗܘ ܐܬܚܠܡ. ܘܐܥܒܪ
ܡܥܒܪܬܐ ܗܝ. ܘܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܪܐܝ، ܘܟܠ ܕܥܡܗ ܥܒܪܘ.
ܘܠܕܘܣܬܝ، ܬܘܒ ܟܘܪܗܢܐ ܐܚܪܢܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ. ܡܦܩܗ
ܓܝܪ ܐܚܝܕ ܗܘܐ. ܘܟܕ ܚܙܐ ܗܘܐ ܕܘܣܬܝ، ܕܒܗ ܡܠܬܐ
ܫܘܠܡܢܐ ܩܒܠ : ܐܡܪ ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ : ܡܪܝ، ܝܕܥ ܐܢܐ ܕܐܠܗܐ
ܐܢܬ. ܡܛܠ ܕܒܝܕ ܡܠܬܐ ܕܚܝܠܟ ܫܕܪܬ ܠܝ ܫܘܠܡܢܐ
ܠܐܝ̈ܕܝ، ܘܠܪ̈ܓܠܝ. ܗܫܐ ܒܟܘܪܗܢܐ ܐܚܪܢܐ ܐܝܬ ܠܝ. ܡܦܩܝ ܓܝܪ
ܐܚܝܕ ܗܘ. ܐܡܪ ܠܗ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ، ܡܪܐܝ، ܠܕܘܣܬܝ،. ܗܘ̈ܐ ܐܢܬ
ܟܪܣܛܝܢܐ ܘܡܘܕܐ ܐܢܬ ܒܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ. ܥܢܐ ܕܘܣܬܝ،
ܘܐܡܪ ܠܗ. ܘܡܢܐ ܗܝ، ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ. ܚܙܐ ܐܢܐ ܕܐܠܗܐ

Quodnam est nomen tuum? Dixit illi : *Dosthius est nomen meum.* Et dixit sanctus Mar Mares Onesimo presbytero qui erat cum ipso : *Dic viro illi : dicit tibi Mares, discipulus Adæi apostoli : in nomine Jesu Christi Nazareni surge super pedes tuos, et sume manibus tuis remos, et transmitte lintrem hanc.* Quumque hoc præceptum ex ore Mar Maris ad Dosthi transmissum esset, eadem hora vir ille convaluit; et traduxit lintrem, et beatus Mar Mares et omnes qui eum comitabantur sese trajecerunt. At Dosthio et alia infirmitas erat; nam ejus podex occlusus erat. Quum ergo vidisset Dosthius se per verbum accepisse sanitatem, dixit sancto : *Domine mi, scio te deum esse, quandoquidem per verbum potentiæ tuæ immisisti mihi valetudinem manibus meis et pedibus. Ast alia infirmitate adhuc laboro; podex enim meus occlusus est.* Dixitque sanctus Mar Mares Dosthio : *Fias tu christianus, et confitearis Deum verum.* Respondit Dosthius et dixit illi : *Et quid est christianismus? Video a te deum novum edoceri in mundo. Et ego credebam te deum esse et*

ܣܕܬܐ ܡܠܦ ܐܢܬ ܒܥܠܡܐ. ܘܐܢܐ ܣܒܪܬ ܥܠܝܟ ܕܐܠܗܐ ܐܢܬ ܘܢܚܬܬ ܕܬܚܙܐ ܠܒܢ̈ܝܢܫܐ. ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܘܐܡܪ ܠܗ ܠܕܘܣܬܝ. ܚܣ ܕܐܢܐ ܐܝܬܝ ܐܠܗܐ. ܠܐ ܓܝܪ ܐܝܬܝ ܐܠܗܐ. ܐܠܐ ܫܠܝܚܐ ܐܢܐ ܕܫܠܝ̈ܚܘܗܝ. ܐܡܪ ܠܗ ܕܘܣܬܝ, ܠܛܘܒܢܐ ܐܘܕܥܢܝ ܡܢܐ ܗܝ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܗܕܐ ܗܝ, ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܒܚܕ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ : ܐܝܬܘܬܐ ܕܟܣܝܐ ܠܗ. ܘܠܐ ܡܬܒܨܝܐ ܡܢ ܒܪ̈ܝܬܐ. ܘܐܒܗܘܬܗ ܠܐ ܡܬܕܪܟܐ ܡܢ ܓܒܝܠܬܗ. ܘܡܪܘܬܗ ܠܐ ܡܬܥܒܕܐ. ܘܒܚܕ ܒܪܐ ܝܚܝܕܝܐ ܕܡܢܗ : ܕܡܘܠܕܗ ܠܐ ܡܬܒܨܐ ܡܢ ܒܢ̈ܝܢܫܐ. ܗܘ ܕܨܒܐ ܕܢܠܒܫ ܦܓܪܐ ܕܒܢ̈ܝܢܫܐ. ܘܐܚܝܗ ܠܥܠܡܐ ܒܝܕ ܪ̈ܚܡܐ ܕܫܠܘܚܗ. ܘܒܚܕ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܕܫܘܡܠܝܐ ܕܐܠܗܘܬܐ : ܘܠܐ ܬܚܫܘܒ ܒܢܦܫܟ ܕܬܢܝܢ ܬܠܬܐ ܫܡ̈ܗܝܢ : ܬܠܬܐ ܐܠܗ̈ܝܢ ܦܠܓܝܢ ܡܢ ܚܕ̈ܕܐ. ܐܠܐ ܐܒܐ ܐܝܬܘܗܝ, ܒܩܢܘܡܗ. ܘܒܪܐ ܬܘܒ ܕܡܢܗ ܐܝܬܘܗܝ, ܒܩܢܘܡܗ. ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܡܢ ܐܒܐ ܢܦܩ ܐܝܬܘܗܝ, ܒܩܢܘܡܗ. ܐܠܗܘܬܐ ܚܕܐ ܗܝ. ܐ̱ܢ ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ : ܗܟܢ ܗܝܡܢ. ܘܟܕ ܐܡܪ ܠܗ

descendisse ut videres homines. Respondit beatus et dixit Dosthio : *Absit ut ego sim Deus; non enim sum Deus, sed apostolus sum apostolorum ejus.* Dixit Dosthius beato : *Indica mihi quid sit christianismus.* Dixit illi : *Hoc est christianismus, quod credimus in unum Deum verum, cujus essentia in se abscondita est et inscrutabilis a facturis ejus, cujusque paternitas haud comprehenditur a plasmate ejus; cujus dominatio non facta est; — et in unum Filium unigenitum qui ex ipso est, cujus generatio investigari nequit ab hominibus, qui voluit induere corpus hominum, et vivificavit mundum per viscera Illius qui misit eum ; — et in unum Spiritum sanctum, deitatis complementum. Nec cogita apud temetipsum eo quod repetimus tria nomina, nos tres deos dividere ab invicem : sed Pater subsistit in hypostasi sua, Filius pariter qui ex Ipso est in hypostasi sua; et Spiritus sanctus, qui ex Patre procedit, subsistit in hypostasi sua; divinitas una est. Si credas tu, ita crede.* Quumque hæc dixisset Dosthio, respondit Dosthius et dixit illi : *Credo.* Tum vocavit bea-

ܩܠܡ ܠܕܘܣܬܝ: ܛܠܝܐ ܕܕܘܣܬܝ، ܘܐܡܪ ܠܗ ܕܡܫܡܫܝܢ ܐܝܟܐ. ܗܝܕܡ ܩܪܐ ܠܦܘܟܐ ܠܛܠܝܐ ܚܕ ܘܐܡܪ ܠܗ. ܐܝܬܐ ܠܝ ܩܠܝܠ ܡܝܐ ܒܟܣܐ ܐܝܟ ܓܡܐ ܚܕܐ: ܘܐܝܬܝ، ܠܗ. ܘܐܪܡܝ ܒܗ ܡܢ ܗܘ ܡܫܚܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܥܡܗ. ܘܩܡ ܘܨܠܝ. ܘܒܥܐ ܗܘܐ ܡܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܘܗܟܢ ܐܡܪ ܗܘܐ ܒܨܠܘܬܗ. ܐܝܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܐܢܬ ܕܐܣܝܬ ܟܘܪܗܢܐ ܘܟܐܒܐ ܥܛܠܐ ܘܕܟܝܬ ܓܪܒܐ ܘܦܬܚܬ ܥܘܝܪܐ. ܘܫܪܝܬ ܠܫܢܐ ܕܦܩܐܐ ܘܐܩܝܡܬ ܚܓܝܪܐ ܘܗܠܟܘ ܐܝܟ ܐܝܠܐ. ܘܫܕܪܬ ܬܪܥܣܪ ܘܫܒܥܝܢ ܫܠܝܚܝܟ ܠܥܠܡܐ. ܘܐܦ ܗܫܐ ܡܪܝܐ ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟ ܕܬܫܡܥܢܝ. ܘܢܬܦܬܚ ܡܦܩܗ ܕܒܪܢܫܐ ܗܢܐ. ܘܟܕ ܫܠܡ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܨܠܘܬܗ: ܝܗܒ ܠܗ ܠܕܘܣܬܝ، ܡܫܚܐ ܘܡܝܐ. ܘܐܫܬܝ، ܡܢܗܘܢ ܘܐܬܐܣܝ.

ܘܫܩܠ ܡܢ ܬܡܢ ܘܐܬܐ ܗܘܐ ܥܡ ܗܢܘܢ ܕܥܡܗ ܠܗ، ܠܕܘܟܬܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܕܘܪܐ ܕܩܘܢܝ: ܐܫܬܕܪܘ. ܗܝ ܕܥܠ ܫܡܗ ܕܩܘܢܝ

tus puerum quemdam et dixit ei : *Affer mihi paululum aquæ in calice, circiter unum haustum.* Et attulit ipsi. Et projecit in eum (calicem) ex oleo quod secum habebat, et surrexit et oravit, et petiit a Domino Jesu Christo; et sic dixit in oratione sua : *Utique, Domine noster Jesu Christe, tu es qui sanasti infirmitates et morbos difficiles et purificasti leprosos, et aperuisti cæcos, et solvisti linguas mutorum, et erexisti claudos, ita ut cervorum instar incederent, atque misisti Duodecim et Septuaginta, apostolos tuos, in mundum : nunc quoque, Domine, peto a te ut me exaudias et aperiatur podex hominis istius.* Quumque complesset beatus Mar Mares orationem suam, dedit Dosthio oleum et aquam ; et bibit ex eis et sanatus est.

sororem Artabani regis,

28. Et profectus est inde et venit cum iis qui cum ipso ad locum qui vocatur Dorqoni (1) missi erant, qui locus sub nomine Qoni ædi-

(1) ܕܘܪܐ ܕܩܘܢܝ *Dora d'Qoni* sic quoque legitur in Ebedjesu Sobensis Collectione canonum synodicorum (apud Maii *Script. vet. nova coll.*, X, 296, b, et Assemani *Bibl. Orient.* III, I, 343, a); infra in actis ܕܘܪܩܘܢܝ *Dorqoni* scribitur; alibi vero passim venit sub nomine ܕܝܪܐ ܕܩܘܢܝ *Daira d'Qoni* sive

ܐܬܒܢܝܬ. ܘܩܕܡ ܕܠܬܡܢ ܢܥܘܠ. ܒܪܟ ܥܠ ܒܘܪܟܘܗܝ ܒܨܠܘܬܐ ܩܕܡ ܐܠܗܐ
ܘܗܟܢܐ ܐܡܪ. ܡܪܝ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܠܟ ܡܬܟܫܦ ܐܢܐ ܘܡܒܥܐ
ܐܢܐ. ܗܒ ܠܝ ܡܪܝ، ܕܒܚܝܠܐ ܕܡܢܟ: ܐܢܗܪ ܠܐܬܪܐ ܗܢܐ
ܚܫܘܟܬܐ: ܘܗܢܘܢ ܡܪܝ، ܕܥܕܡܟܝܠ ܠܐ ܝܕܥܘܢܟ: ܗܒ ܠܗܘܢ
ܡܪܝ، ܕܢܕܥܘܢܟ ܕܐܢܬ ܐܢܬ ܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ ܒܠܚܘܕܝܟ: ܕܨܒܐ
ܐܢܬ ܕܟܠܗܘܢ ܒܢܝܢܫܐ ܢܬܦܢܘܢ ܠܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܟ. ܘܡܚܕܐ
ܩܠܐ ܐܫܬܡܥ ܠܗ ܕܐܡܪ: ܕܐܝܟ ܒܥܘܬܟ ܗܟܢܐ ܢܗܘܐ
ܠܟ. ܡܛܝܒ ܐܢܐ ܓܝܪ ܕܒܡܨܥܝܘܬܟ ܣܓܝܐܐ ܐܩܪܒ ܠܘܬ
ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ. ܘܩܡ ܗܘ ܡܢ ܨܠܘܬܗ ܘܐܙܠ ܠܘܬ ܗܘܢ

ficatus fuerat. Porro priusquam illuc ingrederetur, genu flexit in oratione coram Deo et sic dixit : *Domine Jesu Christe, tibi supplico et a te rogo. Da mihi, Domine, ut per virtutem quæ ex te est, illuminem regionem istam caliginosam. Iis, Domine, qui te adhuc non noverunt, da, Domine, ut te agnoscant et sciant te solum esse Deum verum. Quippe tu vis ut omnes homines convertantur ad agnitionem veritatis tuæ.* Et statim audita est vox ab eo, dicens : *Juxta petitionem tuam, sic fiet tibi. Paratus enim sum ut per mediationem tuam multos adjungam ad agnitionem veritatis.* Et illico surrexit ex oratione sua, et perrexit ad

Qoniam nomine sanat.

cœnobii Cunensis, arabice *Dur-Qoni :* quod et per *Darcuni*, *Dorcena*, *Dorkena*, *Dairkuni* etc., exhibitum reperies. Locus in quo cœnobium, vocabatur *Beth Daraja*, *Badraja*, *Badaraja* vel (juxta cod. L. *Chronici eccl. Barhebræi*, ed. Abbeloos et Lamy, col. 19) etiam *Badrana*. — Illic Mar Mares, juxta auctorem nostrum, sepultus fuit ibique per plura secula Catholici Seleucienses tumulari solebant. Schola vero et cœnobium istius loci, Mar Mari nuncupata, crebro apud Syros celebrantur. — Situm Badarajæ non procul ab ecclesia Cucharum ܥܕܬܐ ܕܟܘܟܐ prope Seleuciam fuisse, ex pontificali Nestorianorum colligitur, ubi post consecrationem Catholici in dicta Cucharum ecclesia peractam, hæc præscribuntur (*Bibl. Orient.* III, II, 677 et Denzinger, *Ritus Orientalium*, II, 257) : " Deinde in cœnobium Koni, quod est sancti Maris apostoli, descendunt. Cœnobitæ autem usque ad Tigrim obviam ei procedunt, tribusque vicibus coram eo exclamant : *Benedic, Domine.* Quibus ille benedicit, inchoatque cantus Apostolorum et Occursus, a ripa Tigris usque ad mansionem Apostoli (Maris); sternuntque coram eo strata, ne humum pedibus conculcet. Peractisque sacramentis, pacem precantur et salutem dicunt. Mox cœnobium S. Gabrielis in Charsa petunt ... inde in naves descendunt et Bagdadum redeunt ad sedem patriarchalem. "

ܥܡ ܗܘܢ ܕܥܡܗ ܡܢ ܡܠܟܐ ܐܫܬܕܪܘ. ܘܡܚܕܐ ܡܚܘܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܠܩܘܢܝ ܥܠ ܐܣܝܐ ܡܗܝܪܐ ⁝ ܕܡܢ ܓܒ ܐܚܘܗ̇ ܠܗ̇ ܡܫܬܕܪ. ܘܛܘܒܢܐ ܕܚܙܝܗ̇ ܠܩܘܢܝ ܡܫܚܗ̇ ܒܡܫܚܐ ܕܨܠܘܬܐ ⁝ ܥܪܩ ܡܢܗ̇ ܟܠ ܟܘܪܗܢܐ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ̇. ܘܐܬܡܠܝܬ ܚܕܘܬܐ ܒܚܙܬܗ ܕܛܘܒܢܐ. ܘܟܠܗܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܠܘܬܗ̇ ܥܡܪܝܢ ܗܘܘ ⁝ ܚܕܝܢ ܗܘܘ ܕܫܘܝܘ ܕܢܥܘܠ ܠܘܬܗܘܢ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܪܝ، ܘܢܐܣܐ ܡܚܘܬ̈ܗܘܢ.

ܗܝ ܕܝܢ ܩܘܢܝ ⁝ ܟܕ ܐܪܓܫܬ ܒܚܘܠܡܢܐ ܕܦܓܪܗ̇ ܕܩܒܠܬ. ܒܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ ܐܓܪܬܐ ܠܐܚܘܗ̇ ܟܬܒܬ. ܪܫܡܬ ܕܝܢ ܗܟܢܐ. ܕܚܕ ܡܢ ܫܠ̈ܝܛܢܐ ܕܡܢ ܓܒ ܪܒܘܬܟ ܐܫܬܕܪ ⁝ ܐܬܕܟܝܘ ܠܗܘܢ ܟܐܒ̈ܐ ܘܡܘܡ̈ܬܐ ܕܦܓܪܝ. ܘܐܝܬܝ ܗܫܐ ܡܚܪܪܐ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܡܘܡ̈ܐ ܕܡܛܢܦܐ ܗܘܝܬ ܒܗܘܢ ܢܝܕܐ ܗܘܝܬ ܘܡܬܒܗܬܢܐ. ܡܦܝܣܐ ܐܢܐ ܗܟܝܠ ܕܟܠ ܕܒܠܒܟ ܐܝܬ ܠܝ ܬܟܬܘܒ ܘܬܘܕܥܢܝ. ܟܕ ܕܝܢ ܡܛܬ ܐܓܪܬܐ ܠܘܬ ܐܪܛܚܫܝܫܬ ܡܠܟܐ ⁝ ܡܠܟܗ̇

Qoniam cum eis qui cum ipso a rege missi fuerant. Statimque annuntiaverunt Qoniæ de medico perito qui ex parte fratris ejus ei mittebatur. Beatus vero simul ac vidit Qoniam, unxit eam oleo orationis, fugitque ab ea omnis infirmitas qua laborabat, et repleta est gaudio in visione beati; et omnes qui apud eam degebant gavisi sunt quod meruissent ut ingrederetur ad ipsos beatus Mar Mares, et sanaret labes ipsorum.

Hæc ad Christum convertitur.

29. Ipsa autem Qonia ut animadvertit valetudinem corporis sui quam receperat, cum gaudio magno epistolam fratri suo scripsit. Hæc autem significavit : " Unus ex potentibus a Majestate tua missus est. " Purgati sunt omnes morbi et maculæ corporis mei, et existo nunc " libera ab omnibus maculis, quibus adhuc fœda (1) eram, et eru- " bescebam. Suadeo ergo ego, ut omne quod in corde tuo est mihi " rescribas et significes. „ Quando autem pervenit epistola ad Arta-

(1) ܢܝܕܐ proprie est participium verbi ܢܘܕ et juxta hanc lectionem vertendum foret : " quibus adhuc *agitabar, commovebar;* verum contextui magis congruere videtur ܢܕܐ, participium verbi ܢܕ, ܢܕܕ, quodque idem significat ac ܢܕܝܕܐ *fœda, abominabilis.*

ܒܚܕܘܬܐ ܪܒܬܐ. ܘܫܠܚ ܠܗ ܗܟܢܐ. ܡܛܠ ܕܐܬܚܠܡܬܝ ܡܚܠܬܝ،
ܘܐܣܝܘܬܐ ܕܟܐܒ̈ܝܟܝ ܫܩܠܬܝ.، ܐܢܬܝ، ܥܡ ܗܘ ܓܒܪܐ ܕܐܠܗܐ
ܡܬܐܬܝܬܐ ܠܘܬܝ، ܒܥܓܠ. ܕܐܫܠܡ ܫܘܘܕܝ̈ ܕܠܘܬܗ ܒܥܒܕܐ
ܐܓܡܘܪ. ܕܢܬܝܩܪ ܗܢܐ ܡܢܝ ܘܡܢ ܟܠܗܘܢ ܒܢ̈ܝ ܦܠܛܝܢ ܕܝܠܝ.
ܟܕ ܕܝܢ ܡܩܒܠܢܘܬܐ ܗܕܐ ܩܒܠܬ ܩܘܢܝ: ܛܝܒܬ ܪ̈ܟܫܐ ܠܡܛܥܢܗ
ܠܩܕܝܫܐ. ܠܗ ܘܠܟܠܗܘܢ ܕܐܝܬ ܥܡܗ. ܘܡܛܝܒܐ ܗܘܬ
ܕܠܨܦܪܗ ܕܒܬܪ ܢܘܡܐ ܡܫܡܠܝܐ ܬܐܙܠ ܠܘܬ ܐܚܘܗ̇.
ܟܕ ܗܝܠ ܒܗܘ ܠܠܝܐ ܐܬܚܙܝ ܠܗ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܠܩܕܝܫܐ
ܒܚܙܘܐ ܘܗܟܢ ܐܡܪ ܠܗ. ܠܐ ܬܫܒܘܩ ܠܩܘܢܝ ܘܠܟܠ ܕܥܡܗ̇
ܕܢܦܩܘܢ ܡܢ ܐܬܪܐ ܗܢܐ. ܡܛܠ ܕܐܬܪܐ ܗܢܐ ܥܬܝܕ
ܕܢܬܪܘܪܒ ܘܢܬܢܨܚ. ܘܬܗܘܐ ܡܕܝܢܬܐ ܪܒܬܐ ܒܐܢܫܘܬܐ.
ܘܢܬܪܘܪܒ ܒܗ̇ ܫܡܝ ܩܕܝܫܐ. ܗܐ ܠܡ ܦܩܕܬܟ ܘܙܗܪܬܟ.
ܟܕ ܕܝܢ ܐܬܬܥܝܪ ܡܢ ܚܙܘܐ ܐܠܗܝܐ: ܐܙܠ ܠܘܬ ܩܘܢܝ
ܘܐܘܕܥܗ̇ ܐܝܠܝܢ ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܩܒܠ. ܘܝܬܝܪܐܝܬ ܗܠܝܢ:
ܕܗ̇ܝ ܩܘܢܝ ܡܢ ܗܪܟܐ ܠܐ ܬܦܩ. ܫܡܥܬ ܕܝܢ ܦܘܩܕܢܗ
ܕܡܪܝܐ ܕܒܐܝ̈ܕܝ، ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ.، ܘܠܐ ܐܙܠܬ.

banum regem, excepit eam cum gaudio magno, et misit ad eam sic : " Quandoquidem valetudine donata es et curationem dolorum tuo- " rum recepisti, tu cum hoc viro Dei iter ad me instituas, ut promissa " mea ad ipsum opere perficiam atque honoretur hic a me et ab " omnibus filiis palatii mei. „ Quando autem invitationem istam recepit Qonia, præparavit equos ad vehendum sanctum omnesque comites ejus. Jam ergo in eo erat ut postridie mane iter institueret ad fratrem suum, quando eadem nocte apparuit Dominus noster Jesus sancto per visionem, sic eum alloquens : *Ne sinas Qoniam aut quemquam illorum qui cum illa sunt, loco hoc exire; destinatus enim est locus iste ut magnificetur et illustretur, evadatque ingens hominum civitas, in qua magnificabitur nomen meum sanctum. Ecce ergo imperavi tibi et admonui te.* Igitur ut evigilavit e visione divina, perrexit ad Qoniam eique manifestavit ea quæ a Deo acceperat, et maxime id ne Qonia illinc abiret. Hæc vero audito jussu Domini per apostolum Mar

ܩܒܠܬ ܕܝܢ ܡܥܡܘܕܝܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܗܝ، ܘܟܠ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܥܡܗ ܒܗ ܒܗܿܘ ܕܘܟܬܐ ܕܥܡܝܪܝܢ ܗܘܘ ܒܗ. ܗܝܕܝܢ ܒܥܬ ܘܐܡܪܬ ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ ܡܢܐ ܨܒܐ ܐܢܬ ܕܐܥܒܕ ܠܘܬܟ ܚܠܦ ܟܠܗܝܢ ܛܒ̈ܬܐ ܕܝܗܒܬ ܠܝ. ܗܘ ܕܝܢ ܐܡܪ ܠܗ. ܒܢܝ ܠܝ ܕܘܟܬܐ ܚܕܐ ܒܝܬ ܨܠܘܬܐ ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ. ܘܟܕ ܢܚܬ ܩܠܝܠ ܠܬܚܬ ܡܢ ܕܘܟܬܐ ܕܥܡܝܪܐ ܗܘܬ ܒܗ ܩܘܢܝ. ܐܫܟܚ ܥܠ ܣܦܪ ܝܡܐ ܕܘܟܬܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܒܝܬ ܐܣܬܪܐ ܦܬܟܪܬܐ. ܗܝ ܕܗܝ، ܩܘܢܝ ܥܡ ܗܢܘܢ ܕܥܡܗ̇ ܠܗ̇ ܕܒܚܝܢ ܗܘܘ. ܘܨܒܐ ܕܬܬܒܢܐ ܬܡܢ ܗܝܟܠܐ ܠܐܠܗܐ ܡܪܝܡܐ. ܡܛܠ ܚܕܐ ܘܬܪ̈ܬܝܢ ܘܬܠܬ. ܚܕܐ ܡܢ ܕܠܚܒܠܗ ܦܬܟܪܐ ܢܥܩܘܪ. ܘܕܬܪ̈ܬܝܢ: ܕܠܝܡܐ ܡܢ ܕܘܟܬܗ ܢܥܢܐ. ܘܕܬܠܬ ܕܝܢ: ܡܛܠ ܕܩܒܠ ܓܠܝܢܐ: ܕܐܬܟܢܫܘܬܐ ܕܒܢܝܢܫܐ ܬܡܢ ܬܬܗܘܐ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܥܬܝܕܝܢ ܒܢ̈ܝܢܫܐ ܬܡܢ

Marim transmisso, minime profecta est. Recepit autem baptisma sanctum ipsa et universi qui erant cum ea in eodem loco ibidem commorantes. Tum sanctum ita est affata : *Quid vis ut faciam in tui gratiam pro omnibus bonis quæ in me contulisti?* Ille vero dixit ad eam : *Ædificate mihi aliquem locum in oratorium Deo vivo.* Quumque descendisset parum infra locum in quo morabatur Qonia, invenit ad littus maris (1) locum qui vocatur domus Estheræ (2) idoli, ejusdem nimirum cui Qonia et qui cum illa commorabantur sacrificabant. Voluit ergo illic erigi templum Deo altissimo, propter unum et duo et tria momenta : primum quidem ut idolium subverteretur ; secundum, ut mare e loco suo averteret; tertium denique, quia revelationem acceperat fore ut hominum multitudo illic esset congreganda, ac porro ut ubi habitaturi erant homines ibi ipse quoque eis templum

(1) " Mare Syris nominatur quæcumque aquarum congregatio ", ait cl. Bickell, *S. Ephræmi Syri carmina Nisibena*, p. 72 ; hic autem stagnum quoddam aut palus designatur, quibus ob inundationes fluviorum hæc Mesopotamiæ pars abundat. — (2) *Esthera* nomen est quo Aramæi, teste Barbahlul (ap. Payne Smith sub hac voce), Astarten designabant, Græcis Aphroditen, Venerem Romanis, et quacum Assyriorum deam Ishtar convenire putat G. Rawlinson, *The five great monarchies*, II, p. 25 (4ª ed.); idemque, *Herodotus* I, 658 sqq. et II, 542 (4ª ed.).

ܒܢܬ ܗܝܟܠܬܐ ܠܗܘܢ. ܡܢܐ ܕܝܢ܀ ܐܝܟ ܨܒܝܢܗ ܗܟܢ ܐܬܥܒܕ. ܩܕܡܐܝܬ ܕܝܢ܀ ܣܬܪ ܠܒܝܬ ܦܬܟܪܐ. ܘܦܩܕ ܠܝܡܐ ܕܢܦܢܐ ܡܢ ܗܢܐ ܓܒܐ ܢܚܕܪ ܠܗܘ. ܗܕܐ ܕܒܚܙܬܐ ܠܗ̇ ܚܙܝܢ܀ ܘܠܐ ܡܢ ܫܡܥܐ ܕܐܢܫܐ ܩܒܠܢܝܗ̇. ܗܝܕܝܢ ܐܦܝܣ ܛܘܒܢܐ ܘܗܝܟܠܐ ܠܐܠܗܐ ܒܢܘ ܠܗ. ܒܩܪܝܒܘܬܐ ܕܕܩܠܬ܀ ܐܝܟܢܐ ܕܗܘܐ ܨܒܐ. ܘܡܛܠ ܬܠܝܠܘܬܐ ܘܪܛܝܒܘܬܐ ܕܕܘܟܬܐ܀ ܒܥܡܐܝܬ ܐܬܒܢܝܬ܀ ܘܥܕܡܐ ܠܝܘܡܢܐ ܕܘܟܪܢܗ ܒܗ̇ ܡܬܥܒܕ. ܘܡܛܠܗܢܐ܀ ܥܕܬܐ ܕܕܘܪܩܘܢܝ܀ ܥܡ ܥܕܬܐ ܕܟܘ̈ܟܐ ܡܬܚܫܒܐ. ܡܛܠ ܕܗܘ ܩܕܝܫܐ ܒܢܗ̇.

ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܐܘܢܓܠܗ ܠܣܠܝܩ ܥܕܬܐ ܗܕܐ ܠܘܩܕܡ ܒܐܬܪܐ ܕܟܘ̈ܟܐ. ܬܘܒ ܥܒܪ ܠܐܬܪܐ ܕܙܐ̈ܒܐ ܘܬܠܡܕ ܠܣܓܝ̈ܐܐ. ܘܥܠ ܠܩܪܝܬܐ ܚܕܐ ܕܥܠ ܓܢܒ ܕܩܠܬ. ܘܬܠܡܕ ܠܓܒܪܐ ܚܕ

erigeret. Quid autem? Juxta voluntatem ejus, sic factum est. Primum enim demolitus est idolium, et jussit mari ut ex hoc latere ad alterum sese averteret; idque nos oculis nostris conspeximus, nec ex auditu hominis percepimus. Tum suasit beatus ut templum Deo ædificarent prope Tigridem, sicut ille volebat: sed propter humorem et humiditatem loci ægre ædificari potuit; et usque hodie ejus memoria in eo celebratur. Et idcirco ecclesia Dorqoni cum ecclesia Khuke [Cucarum] (1) recensetur, quia sanctus ille eam ædificavit.

30. Dein vero, postquam evangelizavit Seleuciam, ecclesiam hanc primo [exstruxit] in regione Cucarum, atque iterum transiit in regionem Zabarum (2), et convertit multos. Et ingressus est vicum quemdam ad ripam Tigridis. Et convertit virum quemdam, illius vici dominum, **Ædificata ecclesia Dorqoni et ecclesia Cucarum,**

(1) ܥܕܬܐ ܕܟܘ̈ܟܐ *Ecclesia d'Khoke* sive *Cucarum* nomen habet a ܟܘܟܐ seu ܟܘ̈ܟܐ *Khoka, Coche;* hæcque, uti scribit Assemanus, *Bibl. Orient.*, III, II, 739, erat " urbs Babyloniæ antiquissima, cui a Seleuco Nicatore instauratæ nomen *Seleuciæ* impositum: eadem enim ac Seleucia est, vel saltem Seleuciæ suburbium. Ibi sedes patriarchæ Nestorianorum, qui olim archiepiscopus Seleuciæ et Ctesiphontis dicebatur. In Pontificali ecclesia patriarchalis appellatur *ecclesia Cochensis in Mahuza.*" Cfr. ibid., p. 623. — (2) Sermo est de regione Zabarum Babylonica, non Assyriaca, prout e narratione sequenti colligitur.

ܡܪܗ̇ ܕܡܕܝܢܬܐ ܗܘ̣ ܕܫܡܗ ܘܪܬܢ. ܗܢܐ ܕܡܕܝܢܬܐ ܗܝ ܥܠ
ܫܡܗ ܡܬܩܪܝܐ ܘܪܬܢ ܩܪܕ. ܘܐܬܬܠܡܕܘ ܒܝܬܗ ܘܩܪ̈ܝܒܘܗܝ،
ܘܬܬܒ̈ܢܘܗܝ ⁖ ܘܣܓ̈ܝܐܐ ܡܢ ܝܗܘ̈ܕܝܐ. ܘܒܢܐ ܒܗ̇ ܥܕ̈ܬܐ.
ܘܐܩܝܡ ܒܗܝܢ ܩܫ̈ܝܫܐ ܘܡܫܡܫ̈ܢܐ. ܘܢܚܬ ܠܐܬܪܐ ܟܠܗ
ܕܡܬܩܪܐ ܫܦܠܝܐ. ܘܒܬܪ ܫ̈ܢܝܐ ܣܓܝ̈ܐܬܐ ܕܐܬܟܪܟ ܒܝܬ
ܐܪ̈ܡܝܐ. ܘܠܣܓ̈ܝܐܐ ܡܢ ܝܗܘ̈ܕܝܐ ܘܡܢ ܚܢ̈ܦܐ ܩܪܒ
ܠܗܝܡܢܘܬܗ ܕܡܫܝܚ̄ ⁖ ܘܡܢ ܬܡܢ ܐܬܟܪܟ ܠܐܬܪܐ ܕܟܫܟܪ.

Kaschkhara vero jam ante Seleuciam ad Christum a Mar Mari conversa.

nomine Varthan, ex cujus nomine vicus ille appellabatur Varthan-Qerd (1); et conversi sunt domus ejus, et propinqui ejus et hospites, necnon multi ex Judæis. Et erexit ibi ecclesias, in quibus constituit presbyteros ac diaconos; descenditque in universam regionem quæ dicitur Schafle (2). Demum post annos multos quibus circuivit inter Aramæos, quum Judæos plurimos atque Gentiles adduxisset ad fidem Christi, illinc profectus regionem Kaschkhar (3) perlustravit. Jam

(1) *Varthan Qerd* locus est nobis aliunde incompertus. — (2) Regio ܫܦܠܝܐ *Schafeli* paulo infra ܫܦܠܐ *Schafala* scribitur, incerto hærente scriba. Nec ipsum hoc nomen loci aliunde notum est; quamquam etymologice apprime congruit regioni depressæ et humili quæ infra Seleuciam in Mesopotamia usque ad Bassoram extenditur, atque supra, p. 107, *al-Zawabi* audit. — (3) De Kaschkhara urbe hæc habet Assemanus, *Bibl. Orient.*, I, 555 : " ܟܫܟܪ *Cascar* malunt Syri antiquiores; ܓܪܓܪ *Gargar*, seu ܟܪܟܪ *Carcar*, vel ܟܪܟܐ *Carcha* recentiores. In Pontificali Chaldæorum episcopus Cascarensis primus diœceseos patriarchalis episcopus et patriarchæ ipsius post obitum vicarius appellatur in hæc verba : " Tunc (postquam scilicet patriarcha diem suum obiit) mittunt ad episcopum " Cascar, si in vivis est : ipse enim princeps est episcoporum magnæ patriar- " chalis provinciæ, et dexteram patriarchæ tenet, et custos illius sedis post ejus " obitum. „ Idem textus recitatur ibid. II, 459 et III, II, 668. Porro ibid. III, II, 734 sq. : " Cascara urbs in Chaldæa seu Babylonia, cujus in territorio Vaseta condita, teste Abulpheda : " Vasetæ fundamenta Hagiagius (Hedschadsch) inter " Cupham et Basram in territorio Cascaræ anno Hegiræ 84 jecit, perfecitque " anno 86. „ Atque juxta Edrisi (ap. Ritter, X, 191) urbs ad occidentem fluminis (*Schat el-Hai*) erat *Kaschkar;* altera, orientalis, *Wasit* vocitabatur. Wasit nomen suum, quod *medium* significat, a situ mutuatur; qui quidem medius erat inter Tigridem Euphratenque, pariterque inter Bassoram et Cupham. Hodie palustribus undique circumdatus est locus ubi exstat oppidum *Wasit el-Hai,* quod in ipso Kaschkaræ ac Vasetæ territorio exstructum conjicere licet.

ܒܫܘܪܝܐ ܗܟܝܠ ܕܡܐܬܝܬܗ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܕܠܒܝܬ ܐܪ̈ܡܝܐ. ܟܕ ܚܙܐ ܠܣܠܝܩ ܕܠܝܬ ܒܗ̇ ܬܪܥܐ ܚܕ ܠܡܥܠ ܥܠ ܒܢܝ̈ܢܗ̇ ܠܡܠܦܘܬܗܘܢ ܝܘܠܦܢܐ ܕܕܚܠܬ ܐܠܗܐ: ܢܚܬܐܝܬ ܠܟܫܟܪ ܩܕܡ. ܘܐܢ̈ܫܐ ܗܘܘ ܚܟܝ̈ܡܐ ܘܒܨܘ̈ܝܐ. ܘܟܕ ܫܡܥܘ ܡܢܗ ܡܠܬܐ ܕܫܪܪܐ ܐܬܩܒܠܬ ܠܘܬܗܘܢ. ܘܚܦܝܛܐܝܬ ܩܒܠܘܗ̇. ܐܦ ܓܝܪ ܒܟܠ ܝܘܠܦܢ ܝܬܝܪ ܡܢ ܫܪܟܐ ܕܐܢ̈ܫܐ: ܐܢ̈ܫ ܐܬܪܐ ܗܢܐ ܚܪܝܦܝܢ ܗܘܘ. ܘܒܒܘܚܢܐ[1] ܬܪܝܨܐ ܕܐܢܝܢ ܟܠܡܕܡ. ܢܩܦܘ، ܗܟܝܠ ܣܓܝ̈ܐܐ ܘܐܡܪܝܢ ܠܗ. ܕܬܠܡܕ ܠܟܫܟܪ ܡܕܝܢܬܐ. ܐܝܟܐ ܕܡܫܬܓܕ ܗܘܐ ܫܐܕܐ ܚܕ ܒܐܬܪܐ ܗ̇ܘ ܒܕܡܘܬܐ ܕܢܫܪܐ. ܘܩܝܡܐ ܗܘܬ ܩܝܡܬܐ ܚܕܐ ܘܛܠܝܐ ܦܬܟܪܐ ܚܕ ܕܡܬܩܪܐ ܢܫܪ. ܘܟܕ ܒܬܕܡܪ̈ܬܐ ܕܣܥܪ ܗܘܐ

[1] K. *et* S. ܘܒܒܘܚܢ̈ܐ

vero initio adventus sui in regionem Aramæorum beatus Mar Mares, videns Seleuciæ nullam esse opportunitatem ingrediendi ad incolas ejus, ut doceret eos doctrinam religionis, prius in Kaschkar descenderat. Homines enim illic erant sapientes et investigatores. Qui quum audissent ab eo verbum veritatis, receptum fuit apud ipsos, et quidem ardenter receperunt illud; nam in omni disciplina plus ceteris homines regionis istius acuti habentur, atque æqua investigatione omnia librant. Itaque adhæserunt ei multi, dicentes : Evangeliza Kaschkaram urbem, ubi adorabatur dæmon aliquis, in regione illa, sub specie aquilæ. Nempe erecta erat statua quædam, seu adolescens quoddam idolum, quod appellatur Nischar (1). Quumque per prodi-

(1) Si hunc locum, satis obscurum, bene verti, ܢܫܪ *Nischar* idolum erat illa ipsa statua aquilæ figuram referens, quæ a Kaschkaritis colebatur; quamquam vox ܩܝܡܬܐ quam per *statuam* vertimus, etiam *columnam* aut *postem* significare potest : atque ita sensus foret ibi fuisse columnam cui idolum Nischar esset impositum. Utrum autem Nischar referri possit ad *Nisroch*, Assyriorum deum, cujus in templo IV Reg. XIX, 37 et Isaiæ XXXVII, 38, Sennacherib legitur fuisse a filiis interfectus, an vero potius ad recentiorum Yezidorum Melek-Taos (de quo apud Badger, *The Nestorians and their rituals*, I, 122 sqq.; Martin, *La Chal-*

ܠܣܓܝܐܐ ܬܠܡܕ. ܘܐܦ ܟܘܡܪܐ ܕܦܬܟܪܐ ܗܘ ܐܬܬܠܡܕ. ܘܥܡܕ. ܘܡܛܠ ܟܘܡܪܐ ܗܘ ܗܘ̇ ܣܓܝܐ̇ ܕܡܕܝܢܬܐ ܐܬܩܪܒܘ ܠܕܚܠܬ ܐܠܗܐ. ܘܒܢܐ ܬܡܢ ܥܕܬܐ. ܘܐܦ ܟܠܗ̇ ܐܬܪܐ ܕܟܫܟܪ ܐܬܟܪܟ ܘܬܠܡܕ. ܘܒܢܐ ܥܕ̈ܬܐ ܘܐܩܝܡ ܒܗܘܢ ܟܗ̈ܢܐ. ܘܫܪܪ ܐܢܘܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܕܚܠܬ ܐܠܗܐ. ܬܠܡܝܕܘܬܐ ܗܟܝܠ ܕܟܫܟܪ: ܩܕܡܬ ܠܬܠܡܝܕܘܬܐ ܕܣܠܝܩ ܘܕܒܝܬ ܐܪ̈ܡܝܐ. ܘܡܛܠ ܗܕܐ ܡܫܬܠܡܐ: ܕܟܘܪܣܝܐ ܕܐܬܪܐ ܗܢܐ: ܩܕܝܡ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܟܘܪ̈ܣܘܬܐ: ܘܡܛܠ ܩܕܝܡܘܬܗ ܕܬܠܡܝܕܘܬܐ. ܡܢ ܟܫܟܪ ܠܘܘܗܝ ܬܠܡܝ̈ܕܐ ܠܛܘܒܢܐ ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܠܣܠܝܩ. ܘܡܢ ܕܬܠܡܕ ܐܝܟ ܢܚܬ ܠܐܬܪܐ ܕܩܘܢܝ. ܘܠܙܒ̈ܐ ܘܠܫ̈ܦܠܐ ܟܠܗ.

gia quæ patravit ibi multos convertisset atque etiam sacrificulus idoli istius conversus esset et baptizatus, ac propter sacrificulum istum multi cives appositi essent ad verum Dei cultum, tum ædificavit illic ecclesiam. Universam quoque regionem Kaschkaræ perlustravit et convertit; erexitque ecclesias, constituit in eis sacerdotes et confirmavit eos in doctrina religionis. Conversio igitur Kaschkaræ præcessit conversionem Seleuciæ et Aramææ; atque idcirco memoriæ proditum est cathedram istius regionis omnibus cathedris esse antiquiorem. Ob eam conversionis prioritatem ex Kaschkara discipuli beatum Mar Marim in Seleuciam comitati sunt. Quumque ibi evangelizasset, descendit ad regionem Qoni et ad Zabas et in universam Schafala.

dée, 39, sermo est) equidem in medio relinquo. Satis priori analogiæ favet etymologia, quandoquidem in linguis semiticis plerisque (hebr., arab., syriaca, coptica, chaldæa) nomen aquilæ a radice *naschar* repetitur. Nec omitti debet in ruinis Ninives inventam fuisse figuram genii vel dei, scilicet corpus humanum alis ac capite falconis seu aquilæ instructum. De quo cfr. Layard, *Nineveh and its remains*, ed. 1882, p. 47 ; G. Rawlinson, *Ancient monarchies*, II, 30 et Kaulen, *Assyrien und Babylonien*, pp. 52 sq. — Alii tamen, v. g. Oppert, *Expédition en Mésopotamie*, II, 339, nomen *Nisroch* referunt ad radicem *Scharag*, latine *conjungere*, ita ut deus ille, fere ut Græcorum Ὑμήν, *Hymen*, matrimonio esset præpositus. Neque hoc idolo nostro *juveni* repugnaret ; saltem si hujus nomen hoc loco mutilum exhiberi ponamus.

ܘܡܢ ܕܬܠܡܕ ܠܗܠܝܢ ܟܠܗܘܢ ܐܬܪ̈ܘܬܐ. ܘܒܢܐ ܒܗܘܢ ܥܕ̈ܬܐ ܘܐܩܝܡ ܒܗܘܢ ܩܫܝ̈ܫܐ ܘܡܫܡܫ̈ܢܐ. ܢܚܬ ܠܐܬܪܐ ܕܡܝܫܢ. ܘܣܓܝܐܐ ܐܘܠ̈ܨܢܐ ܘܥܡ̈ܠܐ ܗܘܘ ܠܗ ܬܡܢ. ܘܟܕ ܥܡ̈ܠܐ ܣܓܝ̈ܐܐ ܒܡܣܝܒܪܢܘܬܐ ܣܒܠ: ܘܐܘܬܪܐ ܙܥܘܪܐ ܥܒܕ. ܒܕܕ̈ܠܝܠܐ ܠܚܘܕ ܐܬܦܢܝܘ ܡܢܗܘܢ ܠܕܚܠܬ ܐܠܗܐ. ܒܠ ܕܗܠܝܢ ܒܢܝ̈ܢܫ ܘܗܕܝܘܛܝܢ ܘܥܠܡܢܝ̈ܝܢ ܐܢܫ̈ܐ ܐܬܪܐ ܗܘ. ܘܗܟܢ ܥܪ̈ܝܣܝܢ ܒܦܘܠܚܢ ܦܬܟܪ̈ܐ. ܘܠܥܒܕܐ ܕܡܠܦܢܘܬܐ: ܝܬܝܪ ܡܢ ܫܪܟܐ ܕܐܚܪ̈ܢܐ ܚܝܠܝܢ ܗܘܘ. ܘܟܕ ܚܙܐ ܕܬܡܢ ܡܕܡ ܠܐ ܡܘܬܪ. ܫܒܩ ܠܕܢܝܐܝܠ ܬܠܡܝܕܗ ܐܝܟ ܕܢܣܥܘܪ ܘܢܫܪܪ ܠܙ̈ܥܘܪܐ ܕܬܠܡܕ ܬܡܢ. ܘܗܘ ܩܕܝܫܐ ܥܡ ܐܢܣܝܡܘܣ ܩܫܝܫܐ ܕܐܬܐ

31. Postquam vero omnes illas regiones evangelizasset, et ædificasset in eis ecclesias et instituisset in eis presbyteros et diaconos, profectus est ad regionem Maischan (1), ubi tribulationes multas atque labores perpessus est. Quumque labores plurimos pro Christo exanclasset, profectum fecit exiguum ; quandoquidem non nisi pauci ex ipsis veram religionem amplexi sunt. Quippe homines regionis istius erant valde feri, stupidi et mundani, in cultum idolorum prorsus effreni, adeoque plus quam reliqui ceterorum impediti ab auditu doctrinæ. Videns ergo se illic nihil proficere, reliquit Danielem, discipulum suum, ut inviseret et confirmaret paucos quos ibi converterat; ipse vero sanctus cum Onesimo presbytero qui una cum ipso Edessa

Mar Mares pervenit in Susianam et Persidem, jam ante a mercatoribus indigenis partim christianismo initiatas,

(1) ܡܝܫܢ *Maischan*, Μεσήνη, regio est inferiori Tigridis cursui contigua, ad sinum Persicum sese extendens. Assemanus, *Bibl. Orient.*, III, II, 430, eo nomine intelligi vult totum illum tractum qui infra Seleuciam ad mare usque producitur; et sane ex Actis S. Georgii (Giwargis) ap. Hoffmann, op. cit., 115, constat Mesenæ regione Kaschkharam quoque fuisse contentam. Hic autem regio arctiorum limitum designatur, satis conveniens illi quam describit Nöldeke, op. cit., pp. 13 et 14, aiens *Maischan* seu *Meschan*, arabice *Maisan*, fuisse seculo III statum quemdam parvum in regione Basræ ad Tigridem inferiorem, cujus locus præcipuus fuit *oppidum Spasines*, Σπασίνου Χάραξ (inscript. Palmyr. anni 151, p. C.) vel simpliciter ܟܪܟܐ seu Χάραξ (inscript. Palmyr. anni 193), atque ab eo statu distinctum fuisse statum Kaschkharæ, magis ad septentrionem in palustribus Wasiti situm. Cfr. Ritter, X, 121 et 181; item *Zeitschrift der deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, tom. XXVIII, p. 101.

ܥܡܗ ܡܢ ܐܘܪܗܝ. ܘܦܦܐ ܘܐܝܘܒ ܘܡܠܟܝܫܘܥ ܘܫܪܟܐ
ܕܬܠܡܝܕܐ ܕܢܦܩܘ ܠܗ. ܣܛܐ ܠܗ ܠܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܗܘܙܝܐ ܘܕܒܝܬ
ܦܪܣܝܐ. ܒܒܝܬ ܗܘܙܝܐ ܕܝܢ ܒܙܒܢܐ ܗܢܘܢ : ܠܘ ܣܓܝ ܐܝܬ ܗܘܘ
ܡܕܝܢܬܐ ܘܩܘܪܝܐ. ܐܠܐ ܐܢ ܒܠܚܘܕ ܫܘܫ ܘܫܘܫܛܪܐ ܥܡ
ܩܘܪܝܐ ܙܥܘܪܬܐ. ܟܪܟܐ ܕܝܢ ܘܒܝܬ ܠܦܛ ܠܐ ܥܕܟܝܠ ܐܬܒܢܝ

venerat, et Papa et Jobo et Malkjesu ceterisque discipulis, qui exierant ad ipsum, deflexit in regionem Beth-Huzaje (1) et Beth-Parsaje (2). In Beth-Huzaje autem illis temporibus non erant multæ civitates et oppida, sed tantum Schusch (3) et Schuschthera (4) cum oppidis parvis: Karkha enim et Beth-Lapat nondum ædificata erant;

(1) ܒܝܬ ܗܘܙܝܐ *Beth Huzaje* sive *Huzitis*, nomen est Syrum regionis quam Arabes *Ahwaz* vocant, et fere Chuzistano hodierno respondet. Olim ab Hebræis (Dan. VIII, 2) dicebatur *Elam;* a Græcis antiquis (Æschylo et Herodoto) *Cissia;* a posterioribus (Strabone) *Susis* et *Susiana.* Hoc vero territorium hos terminos habebat: ad septentrionem, Assyriam et Mediam; ad ortum, Persidem proprie dictam et Parætacenen; ad meridiem, mare Erythræum; ad occasum, Tigridem fluvium. Cfr. Assemani, *Bibl. Orient.*, III, II, pp. 420 et 768; Ritter, *Erdkunde*, IX, 227; G. Rawlinson, *Ancient Monarchies* (4ª ed.), I, 26 et *Herodotus* (4ª ed.), I, 591; item Barbier de Meynard, *Dict. géogr. de la Perse* etc., *extrait de Yaqout*, p. 57, V° *Ahwaz*. A Susianis tamen populis scriptores antiqui sæpe discernunt Elymæos seu Elamitas, inter sinum Persicum ad meridiem et Mediam ad boream. Vide *Bibl. Orient.* III, II, 420 et 744. — (2) ܒܝܬ ܦܪܣܝܐ *(Beth Parsaje), Persis* seu *Persia* Latinis, Græcis Πέρσις, Hebræis *Paras*, in inscriptionibus Darii Hystaspis cuneiformibus *Parsa*, hodiernum territorium *Fars* seu *Farsistan* complectebatur, ac præterea Carmaniam regionem, quæ provincia nunc *Kerman* vocatur. Ad occidentem habebat Susianam, ad septentrionem Mediam magnam, ad orientem 'Myciam, ad meridiem mare. Vide *Ancient monarchies*, III, 85 sq. — (3) ܫܘܫ *Schusch*, quæ arabice *Sus*, hebraice (Esther I, 2; Dan. VIII, 2) *Schuschan*, græce Σοῦσα, latine *Susa* vocatur, vetus Persarum regia civitas, ubi Nestorianorum ac Mohammedanorum traditio Danielis prophetæ tumulum ponit, inde a tempore Hulagu Khan, seculo XIII, penitus evanuisse videtur. Situs ruinarum in tabulis geographicis indicatur in ea vallis parte qua fluvii *Kerkha* (Choaspes) et *Dizful* non nisi quindecim kilometris ab invicem distant. Cfr. Barbier de Meynard, *Dict. géographique de la Perse* etc., *extrait de Yaqout*, p. 327; Assemani, *Bibl. Orient.* III, II, 781; Ritter, IX, 316; E. Reclus, *Asie Antérieure* p. 292. — (4) ܫܘܫܬܪܐ *Schuschthera*, apud Assemanum in *Bibl. Orient.* semel (nempe I, 354) scribitur ܫܘܫܛܪ *Schuschter*, et ab Arabibus (v. g. a Yaqut

ܗܘܐ܂ ܐܠܐ ܠܘܬ ܕܘܟܬܐ ܕܟܪܟܐ ܩܪܝܬܐ ܗܘܬ ܕܡܬܩܪܝܐ
ܪܕܢ܂ ܘܟܕ ܐܬܒܢܝܬ ܟܪܟܐ ܥܠ ܫܡܗ ܐܬܒܢܝܬ ܟܪܟܐ ܕܪܕܢ܂
ܐܝܟ ܕܗܫܐ ܕܠܕܢ ܩܪܝܢ ܠܗ܂ ܘܒܝܠܦܛ ܩܪܝܬܐ ܕܫܡܗ ܗܘܐ
ܒܝܠܒܕ܂ ܘܟܕ ܐܬܒܢܝܬ ܒܝܬ ܠܦܛ ܥܠ ܫܡܗ ܐܬܩܪܝܬ܂ ܘܗܠܝܢ
ܗܘܝ ܡܕܝܢܬܐ ܕܬܓܪܐ ܗܘܙܝܐ ܥܡܪܝܢ ܗܘܘ ܒܗܝܢ܂ ܐܝܟ
ܕܐܦ ܗܫܐ܂ ܐܦ ܒܝܬ ܦܪܣܝܐ܃ ܬܓܪܐ ܐܝܬ ܗܘܘ܂ ܘܡܢ

verum apud locum Karkhæ vicus erat qui appellabatur Redan; atque ubi ædificatum est oppidum (Karkha), istud juxta illius nomen ædificatum est tanquam oppidum (Karkha) d'Redan, quod quidem nunc d'Ledan (1) vocant. Item Bi-Lapat vicus, cujus nomen erat Bilabad quum ædificatus est, ex illius nomine dictus est Beth-Lapat (2). Et hæ igitur civitates in quibus mercatores Huzæi habitabant, sicut etiam hodie. Etiam apud Persas mercatores erant, et ex utraque regione

(Barbier de Meynard, op. cit., p. 135) *Tuster* audit. Adhuc hodie superest, estque Khuzistani post *Dizful* urbs præcipua, ad flumen *Karun* seu Pasitigridem quod in *Schat-el-Arab* influit, sita. Vide *Bibl. Orient.* III, II, 781; Ritter, IX, 178 sqq.; E. Reclus, *Asie Antérieure*, 295 sq. — (1) ܟܪܟܐ ܕܠܕܢ *Kharkha d'Ledan* seu *oppidum Ledan* aliquando sic pleniori appellatione (v. g. *Bibl. Orient.* I, 3, 354; *Acta Mart.*, I, 113; Barhebræi *Chron. eccl.* II, 41), alias vero simpliciter *Ledan* (puta *Bibl. Orient.* I, 190; II, 459) scripta reperitur. Nomen vero *Redan* seu *Karkha d'Redan* hoc tantum loco offendi. — Hæc urbs Sasanidarum tempore dicta fuit *Eran-Churra-Schapur*; hodieque ejus rudera sub nomine *Iwan-i-Kerkh* se reperisse putat H. Rawlinson, haud procul a Susæ ruinis ad septentrionem. Vide Ritter, IX, 317, et Nöldeke, p. 58. — (2) ܒܝܬ ܠܦܛ *Beth-Lapat* seu *Beth Lapet.* Juxta scriptorem Arabem *al-Tabari* (ed. Nöldeke, p. 41) hoc oppidum ædificatum fuit a Sapore I, Ardeschiri filio; atque a viro quodam Belo, qui illi erigendo præfuit, *Bil-Abadh* seu *Bel-Abadh*, i. e. " Structura Beli " dicta fuerit. Verum *Beth-Lapat* aramaica prorsus est appellatio, quam contractam vel deformatam exhibent *Bilapat* et *Bilabad.* — Perperam Assemanus, *Bibl. Orient.* III, II, 748 et 760, necnon Ritter, X, 173, Beth-Lapat confundunt cum civitate Ahwaz. Est enim Beth-Lapat idem oppidum quod *Gondischapur* postea appellatum fuit, quodque a Sapore rege exstructum fuerit vel ampliatum. Atque hæc urbs inter Susam et Schuschtheram fere media sita erat; ab ea enim, ait Abulfeda (*Bibl. Orient.* III, II, 746) ad Toster sunt octo parasangæ, et ad Susam sex parasangæ. Ejus situm H. Rawlinson et De Bode repererunt in ruinis prope Schahabad. Cfr. Ritter, IX, 164, 170 sqq.

ܬܪܝܗܘܢ ܐܬܪܘܬܐ ܡܛܠ ܬܐܓܘܪܬܐ ܐܙܠܘ ܠܡܥܪܒܐ.
ܘܬܡܢ ܐܬܩܪܒܘ ܠܕܚܠܬ ܐܠܗܐ: ܡܢ ܛܘܒܢܐ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ.
ܘܟܕ ܢܚܬܘ ܡܢ ܡܥܪܒܐ ܡܗܝܡܢܐ ܗܢܘܢ ܗܘܙܝܐ ܘܦܪ̈ܣܝܐ:
ܐܬܠܡܕܘ ܠܣܓܝܐܐ ܒܐܬܪ̈ܘܬܐ ܗܢܘܢ. ܘܡܢ ܗܘ ܙܒܢܐ
ܐܬܫܬܐܣܬ ܥܕܬܐ ܒܝܬ ܗܘܙܝܐ ܘܠܦܪܣ. ܘܟܕ ܡܛܐ ܛܘܒܢܐ
ܡܪܝ ܡܐܪܝ ܠܐܬܪܐ ܕܒܝܬ ܗܘܙܝܐ: ܘܚܙܐ ܬܡܢ ܡܗܝܡ̈ܢܐ.
ܘܫܡܥ ܬܘܒ ܬܘܠܡܕܐ ܕܦܪ̈ܣܝܐ: ܚܕܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ
ܐܬܬܣܝܡܬ ܠܗ. ܒܕܐܫܟܚ ܩܠܝܠ ܚܛ̈ܐ ܒܝܬ ܙܝ̈ܢܐ.
ܘܐܬܟܪܟ ܒܐܬܪ̈ܘܬܐ ܗܢܘܢ: ܘܬܠܡܕ ܠܣܓܝܐܐ.
ܘܗܝܕܝܢ ܢܚܬ ܠܐܬܪ̈ܘܬܐ ܬܚܬ̈ܝܬܐ: ܥܕܡܐ ܕܡܚܐ ܪܝܚܐ
ܕܡܪܝ ܬܐܘܡܐ ܫܠܝܚܐ. ܘܬܡܢ ܦܓܥ ܒܥܡܐ ܣܓܝܐܐ ܠܡܢܝܢ.

propter negotiationem pergebant in occidentem; atque illic adjuncti sunt ad cultum Dei a beato Adæo apostolo. Quumque descendissent ab occidente fideles illi Huzitæ et Persæ, converterunt multos in regionibus illis; atque ex illo tempore fundata est ecclesia apud Huzitas et in Perside. Quum autem pervenisset beatus Mar Mares in regionem Huzitarum, et vidisset ibi fideles, et audisset quoque conversionem Persarum, gaudium magnum persensit, eo quod invenisset parum tritici inter zizania. Et circuivit per regiones illas et convertit multos.

porro ad ulteriores regiones

32. Et deinde descendit in regiones inferiores, donec percelleret (nares ejus) odor Mar Thomæ apostoli (1); atque illic populum nume-

(1) Hoc est: donec perciperet odorem Mar Thomæ apostoli, vel (dempta metaphora): donec appropinquaret regionibus a Mar Thoma evangelizatis. Thomas autem juxta Origenem (ap. Eusebium, *Hist. eccl.* III, 1) in orbis distributione Parthiam sortitus est, nimirum populos Parthico imperio subjectos: Medos, Persas, Caramanos, Hyrcanos et Bactros ; juxta alios vero, quorum inter notos antiquior est Ephræm Syrus (ap. Bickell, *Carmina Nisibena*, Carm. XLII, syr. p. 79, lat. 163), in India prædicavit ibique martyrium passus est. Posteriori ætate conficta sunt *Acta Judæ Thomæ* plenius edita syriace et anglice a cl. viro W. Wright in *Apocryphal Acts of the apostles*, Londini, 1871 ; hisce consonat Barhebræus, *Chron. eccl.* II, 3 sqq. — Cfr. de variis hisce traditionibus cl. F. Nève, *L'antiquité chrétienne en Orient*, Lovanii, 1852, pp. 27 sqq.; Nillès, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ, or. et occ.*, tom. I, pp. 296 sq.

ܘܒܐܬܪ̈ܘܬܐ ܗܢܘܢ ܫܒܩ ܐܪܦ ܚܕ ܠܗ ܡܢ ܬܠܡ̈ܝܕܘܗܝ܆ ܕܫܡܗ ܗܘܐ ܐܝܘܒ. ܕܚܠܦܘܗܝ ܢܠܐܐ ܒܗܘܢ. ܘܦܢܐ ܗܘ ܛܘܒܢܐ ܫܠܝܚܐ : ܥܡ ܗܢܘܢ ܕܐܬܠܘܘ ܠܗ : ܘܣܠܩܘ ܠܒܝܬ ܐܪ̈ܡܝܐ. ܘܒܣܠܝܩ ܘܩܛܝܣܦܘܢ. ܘܒܐܬܪ̈ܘܬܐ ܟܠܗܘܢ ܕܡܕܢܚܐ : ܡܬܗܦܟ ܗܘܐ ܘܣܥܪ ܠܬܠܡ̈ܝܕܐ. ܘܡܘܣܦ ܬܠܡ̈ܝܕܐ ܐܚܪ̈ܢܐ ܥܠ ܩܕܡ̈ܝܐ : ܟܕ ܠܝܬ ܒܝܫܐ ܕܡܒܠ : ܐܦܠܐ ܣܛܢܐ ܕܫܢܩ. ܘܚܕܐ ܗܘܐ ܐܡܬܝ، ܕܚܙܐ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܕܡܢ ܡܬܘܡ ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܗܘܘ. ܘܟܠܝܘܡ ܠܐܠܗܐ ܒܥܕܬܗ ܡܫܒܚܝܢ ܗܘܘ. ܗܢܘܢ ܕܒ̈ܢܝܗܘܢ ܒܙܒܢ ܙܒܢ ܠܫܐ̈ܕܐ ܕܒܚܝܢ ܗܘܘ : ܠܐܠܗܐ ܫܪܝܪܐ ܢܦ̈ܫܬܗܘܢ ܐܓܥܠܘ ܗܘܘ. ܫܘ̄ܚ : ܠܟ ܝܫܘܥ ܚܝܠܐ ܕܠܐ ܡܬܙܟܐ. ܕܒܝܕ ܒܘܪ̈ܐ ܘܗܕܝ̈ܘܛܐ : ܡܠܝܬܗ ܠܐܪܥܐ ܕܫܪܪܐ. ܡܢ ܐܡܪ ܠܡܕܢܚܐ ܐܡܐ ܕܚܪܫܘܬܐ ܘܟܠܕܝܘܬܐ : ܕܬܟܘܦ ܒܒܘܪܟܐ ܘܬܣܓܘܕ ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ ܘܫܪܝܪܐ. ܡܢ ܐܡܪ ܠܒܢ̈ܝ ܢܡܪܘܕ ܓܢܒܪܐ ܕܚܠܦ ܡܓܕܠܐ ܘܡܪܘܕܘܬܐ ܕܠܘܩܒܠ ܐܠܗܐ : ܦܐܪ̈ܐ ܕܚܘܒܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ ܢܩܪܒܘܢ ܠܐܠܗܐ : ܘܢܫܬܟܠܘܢܝܗܝ ܠܒܪܘܝܐ ܫܪܝܪܐ. ܗܢܘܢ :

rosum Domino adjunxit. Atque in regionibus illis dimisit et reliquit unum ex discipulis suis, cui nomen erat Job, ut loco ipsius laboraret inter eos. Ipse vero beatus apostolus cum sociis suis reversus est, ascenderuntque in regionem Aramæorum ; Seleuciæ autem et Ctesiphonte cunctisque in regionibus Orientis circumobivit et visitavit discipulos, atque discipulos alios addidit prioribus, quin esset malus qui sperneret aut satanas qui torqueret. Et lætitia affectus est, videns eos qui nunquam Deum cognoverant, nunc quotidie in ecclesia ejus Deum laudare; eos qui filios suos aliquando dæmonibus sacrificaverant, nunc Deo vero animas suas commendare. Gloria tibi, Jesu, potestas insuperabilis, qui per rudes et imperitos implevisti terram veritatis. Quisnam jussit Orientem, matrem maleficii et chaldaismi, incurvare genu et adorare Deum vivum et verum? Quis dixit filiis Nemrod gigantis ut loco turris et rebellionis contra Deum fructus amoris et confessionis redderent Deo, et intelligerent creatorem

a Thoma apostolo Christo adjunctas. Dein in Aramæam reversus, in summa pace,

ܥܕܡܐ ܠܕܢܚܟ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܗܘܝ܆ ܗܠܝܢ ܡܪܝܐ ܥܕܡܐ
ܠܡܬܓܠܝܢܘܬܟ ܒܒܪܝܬܐ ܠܐ ܐܬܚܙܝܘ܂

ܟܕ ܕܝܢ ܫܢܝܐ ܣܓܝܐ̈ܬܐ ܐܬܗܦܟ ܛܘܒܢܐ ܒܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܡܕܢܚܐ܆ ܘܩܕܫ ܥܕ̈ܬܐ ܘܐܣܪ ܐܢܝܢ܂ ܘܣܡ ܬܘܒ ܕܐܝܢܐ ܕܗܘܐ ܡܕܒܪܢܐ ܕܥܕܬܐ ܕܟܘ̈ܟܐ܆ ܗܘ ܢܗܘܐ ܘܐܡܪ ܪܝܫܐ ܕܐܦܝܣܩܘ̈ܦܐ ܕܡܕܢܚܐ܂ ܐܝܟ ܗܝ ܕܝܬܝܪ ܩܕܝܡܐ ܒܬܘܠܡܕܐ ܪܘܚܢܝܐ܂ ܘܒܬܪ ܫܢܝܐ ܣܓܝܐ̈ܬܐ ܕܒܗܝܢ ܒܬܘܠܡܕܐ ܥܢܐ ܗܘܐ܂ ܘܥܡܠܐ ܛܒ̈ܐ ܚܠܦ ܕܚܠܬ ܐܠܗܐ ܥܡܠ ܗܘܐ܂ ܘܡܢ ܒܬܪܟܢ ܢܚܬ ܡܢ ܡܕ̈ܝܢܬܐ ܣܠܝܩ ܘܩܛܝܣܦܘܢ܆ ܕܒܗܝܢ ܒܗܘ ܙܒܢܐ ܥܡܪ ܗܘܐ܂ ܘܐܬܐ ܠܥܕܬܐ ܕܗܘ ܐܫܬܐܣܬ ܒܕܘܪܐ ܕܩܘܢܝ܂ ܘܩܪܐ ܗܘܐ ܠܦܦܐ ܬܠܡܝܕܗ ܩܕܡ ܟܠܗ ܥܕܬܐ܆ ܘܥܒܕܗ ܡܕܒܪܢܐ ܚܠܦܘܗܝ܂ ܘܟܕ ܟܢܝܫܝܢ ܗܘܘ ܘܩܝܡܝܢ ܠܘܬܗ ܙܥܘܪ̈ܐ ܥܡ ܪ̈ܘܪܒܐ܂ ܥܢܐ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ܆ ܡܐܪܝ܆ ܘܐܡܪ

verum? Hæc minime usque ad ortum tuum, Christe; hæc, Domine, minime ante manifestationem tuam in creatura comparuerunt.

postquam ab eo discipulus ejus Papas (?) in ejus locum suffectus est, obdormivit in Dor-Qoni.

33. Quum autem annos plurimos conversatus esset beatus in regionibus Orientis, ecclesias consecrasset easque conjunxisset, statuisset quoque ut ille qui esset ecclesiæ Khukarum (1) rector, præesset episcopis Orientis, quandoquidem illa in doctrina spirituali fuit antiquior; ac post annos multos quibus illic docendo occupatus fuit et labores bonos pro religione exanclavit, post hæc, inquam, descendit ex urbibus Seleucia et Ctesiphonte, in quibus illo tempore morabatur, et venit ad ecclesiam quam ipse fundaverat in Dora d'Qoni, vocavitque discipulum suum Papam (2) coram universa ecclesia, eumque rectorem in sui ipsius locum suffecit. Quumque congregati essent et starent apud ipsum parvi cum magnis, eos allocutus est beatus Mar Mares, dicens: *Juxta*

(1) ܥܕܬܐ ܕܟܘ̈ܟܐ *Ecclesia de Khukhe* vel *Cucharum* (aut *Cochensis*, uti alibi scribitur), jam supra pp. 49 et 111 recensita fuit. Cfr. etiam num. 29 extr. Erat autem ecclesia patriarchalis Nestorianorum in ܟܘܟܐ *Coche*, ut jam notavimus ex Assemani, loc. cit. — (2) Papas, ut jam monui in *Prolegomenis*, non nisi seculo III vergente sedem Seleuciensem occupavit. Vide Barhebræi *Chron. eccl.*, II, 27 sqq.

ܠܟܘܢ. ܐܝܟ ܕܚܙܝܬܘܢ ܒܥܝ̈ܢܝܟܘܢ ܘܐܠܦܬ ܠܟܘܢ. ܐܝܟܢܐ ܐܬܕܒܪܬ ܥܡܟܘܢ ܗܟܢܐ ܐܦ ܐܢܬܘܢ ܐܬܕܒܪܘ. ܘܐܝܟ ܦܘ̈ܩܕܢܐ ܘܢܡ̈ܘܣܐ ܕܣܝܡܝܢ ܗܘܘ ܠܬܠܡܝ̈ܕܐ ܒܐܘܪܫܠܡ: ܘܒܗܘܢ ܐܬܕܒܪܘ ܗܘܘ ܐܦ ܫܠܝ̈ܚܐ ܚܒܪ̈ܝ: ܒܗܘܢ ܐܦ ܐܢܬܘܢ ܐܬܕܒܪܘ. ܠܐ ܬܣܛܘܢ ܡܢܗܘܢ ܠܐ ܠܝܡܝܢܐ ܘܠܐ ܠܣܡܠܐ. ܐܙܕܗܪܘ ܗܟܝܠ ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܐܫܬܠܡܬܘܢ. ܘܒܕܚܠܬܐ ܘܪܬܝܬܐ ܗܘܝܬܘܢ ܩܝܡܝܢ ܒܗ. ܘܒܐܡܝܢܘܬܐ ܒܥܕܢܐ ܕܨܠܘܬܐ ܗܘܝܬܘܢ ܩܝܡܝܢ. ܘܠܐ ܬܗܘܘܢ ܪ̈ܚܡܐ ܠܙܩܘ̈ܦܐ. ܕܠܐ ܬܬܒܥܘܢ ܡܢܗܘܢ ܕܡܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܘܥܢܐ ܗܘܐ ܦܦܐ ܥܡ ܚܒܪ̈ܘܗܝ ܘܐܡܪܘ ܠܗ. ܣܗܕ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܕܫܠܚܟ ܠܘܬܢ: ܘܐܠܦܬܢ ܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ ܕܒܗ ܢܚܐ. ܕܐܝܟܢܐ ܕܫܡܥܢ ܡܢܟ ܗܟܢܐ ܥܒܕܝܢ. ܘܡܢ

quod vidistis oculis vestris et docui vos, quemadmodum conversatus sum vobiscum, ita etiam vos conversamini; et juxta ordinationes et leges quæ positæ fuerunt discipulis in Jerusalem, et in quibus quoque conversati sunt apostoli, collegæ mei, in iis etiam vos conversemini. Ne deflectatis ab eis, neque ad dexteram neque ad sinistram. Attendite ergo ad ministerium quo potiti estis, et in timore ac tremore sitis stabiles in illo; et perpetuo in hora orationis sitis stantes. Et ne sitis socii crucifixorum (Judæorum) *neque ab ipsis sanguinem Domini nostri Jesu Christi exquiratis* (1). Et respondit Papas cum sociis suis et dixerunt illi: *Testis est Christus qui misit te ad nos, ut doceres nos fidem veram per quam salvamur, nos quemadmodum a te audivimus sic facturos.* Et post hæc

(1) Exhortationibus fere eisdem, at prolixioribus, Adæus Edessæ moriturus discipulos suos allocutus est. Vide G. Phillips, *The doctrine of Addai the apostle*, pp. ܟܐ et 39 sqq. Verba ad Judæos pertinentia, in Actis nostris prorsus obscura, ita illic leguntur : ܐܙܕܗܪܘ ܗܟܝܠ ܡܢ ܙܩܘ̈ܦܐ ܘܠܐ ܬܗܘܘܢ ܠܗܘܢ ܪ̈ܚܡܐ: ܕܠܐ ܬܬܒܥܘܢ ܥܡܗܘܢ ܕܡܗ ܕܡܫܝܚܐ ܕܡܠܝܢ ܐܝ̈ܕܝܗܘܢ quæ ita reddenda sunt: Cavete ergo ab iis qui crucifixerunt, ne sitis amici cum ipsis, ne requiratur a vobis, sicut ab ipsis, sanguis Christi cujus eorum manus plenæ sunt.

ܒܬܪ ܗܠܝܢ : ܢܦܩ ܛܘܒܢܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܢܐ : ܘܐܙܠ ܠܚܝܐ ܕܠܥܠܡ. ܘܐܬܬܣܝܡ ܦܓܪܗ ܩܕܝܫܐ ܘܐܬܬܣܝܡ ܒܥܕܬܐ ܕܕܘܪ ܩܘܢܝ. ܩܕܡ ܒܝܬ ܩܘܕܫܐ : ܕܥܕܬܐ ܕܗܘ ܒܢܐ ܘܫܟܠܠ. ܘܕܘܟܪܢܗ ܒܗ ܡܬܥܒܕ ܒܟܠܙܒܢ ܠܥܠܡ. ܐܝܟ ܦܘܩܕܢܗ ܕܦܦܐ ܝܪܬܐ ܕܟܘܪܣܝܗ. ܗܟܢܐ ܐܦ ܗܘ ܡܢ ܒܬܪܗ ܕܝܩܝܪܐ ܘܓܒܝܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ، : ܥܒܕ ܗܘܐ ܟܗܢܐ ܘܡܕܒܪܢܐ ܒܟܠܗ ܐܬܪܐ ܕܡܕܢܚܐ.

ܚܢܢ ܕܝܢ ܚܒܝܒܝ ܢܥܒܕ ܠܗ، ܠܝܘܡܐ ܕܕܘܟܪܢܗ : ܕܗܢܐ ܫܠܝܚܐ ܩܕܝܫܐ ܘܐܬܠܝܛܐ ܕܙܕܝܩܘܬܐ. ܚܢܢ ܕܝܢ ܝܬܝܪ ܡܢ ܟܠܗ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܚܝܒܝܢ ܕܢܗܘܐ ܚܦܝܛܝܢ ܒܐܝܩܪܗ ܕܐܒܘܢ. ܩܕܡ ܡܢ : ܕܬܕܡܪܬܗ ܘܐܬܘܬܗ ܗܘܝܐ ܠܘܬܢ ܝܬܝܪ ܡܢ ܟܠ ܕܘܟ. ܐܚܪܢܐ ܕܦܩܕ ܠܝܡܐ ܘܗܦܟܗ : ܕܠܐ ܢܗܘܐ ܐܟܠ ܡܢ ܗܢܐ ܟܐܦܐ : ܘܐܦ ܗܘ ܕܫܒܩ ܠܢ ܡܫܟܒܢܘܬܐ : ܗܝܟܠܐ ܐܝܢܐ ܕܒܐܝܕܘܗܝ ܩܕܝܫܬܐ ܒܢܐ ܘܫܟܠܠ. ܘܗܘ ܕܝܬܝܪ ܡܥܠܝܐ ܗܝ : ܕܓܪܡܘܗܝ، ܕܩܕܝܫܐ ܗܪܟܐ ܠܘܬܢ ܨܒܐ ܕܢܬܬܣܝܡܘܢ

exivit beatus Mar Mares ex hoc mundo, et abiit ad vitam æternam. Et sepultum est corpus ejus sanctum, et repositum est in ecclesia in Dor-Qoni, coram sanctuario ecclesiæ quam ipse erexit et perfecit; et memoria ejus in ea perpetuo celebratur usque in seculum, juxta præceptum Papæ, heredis ipsius throni. Sic etiam ille post venerabilem et electum Mar Marim faciebat sacerdotes et rectores per universam regionem Orientis.

Scriptoris, nomine confratrum suorum, oratio.

34. Nos autem, dilecti mei, colamus diem commemorationis ejus, illius apostoli sancti et athletæ justitiæ. Nos enim plus quam omnes ab eo conversos oportet esse sollicitos in honoratione patris nostri : primo quidem, quia prodigia et miracula plura hic apud nos patravit quam alibi; tum quia jussu suo mare avertit (1), ne hoc littus absorberet; tum quia reliquit nobis perfugium (2), templum istud quod manibus suis sanctis ædificavit et perfecit; denique, quod præstantius est, quia ossa sua Sanctus hic apud nos voluit ut reponerentur potius quam omni

(1) Vide supra, num. 29. — (2) Proprie *cubile*.

ܬܘܒ ܡܢ ܟܠ ܕܘܟܐ : ܡܒܘܥܐ ܕܥܘܕܪܢܐ. ܢܗܘܐ ܠܢ ܠܡܛܠܬܐ ܝܩܝܪܬܐ ܣܝܡܬܐ ܕܓܪ̈ܡܐ ܕܗܢܐ ܩܕܝܫܐ. ܘܢܣܓܘܕ ܠܐܠܗܐ ܘܢܐܡܪ. ܫܘܒ̄ ܠܟ ܡܪܝ، ܥܠ ܛܝܒܘܬܟ ܕܠܐ ܡܬܡܠܠܐ ܠܥܠܡܝܢ. ܫܘܒ̄ ܠܟ ܡܪܝ، ܕܐܫܘܝܬܢ ܠܢ ܕܓܪ̈ܡܘܗܝ، ܕܗܢܐ ܩܕܝܫܐ ܠܘܬܢ ܢܬܬܣܝܡܘܢ ܐܝܟ ܡܒܘܥܐ ܡܠܝܐ ܛܒ̈ܬܐ. ܕܠܟ ܡܪܝ، ܡܬܟܫܦܝܢ ܒܝܕ ܨܠܘܬܗ. ܫܕܪ ܡܪܝ، ܫܝܢܐ ܘܫܠܡܐ ܠܐܬܪܢ ܗܢܐ ܘܠܟܠܗܘܢ ܥܡܘܪ̈ܘܗܝ. ܐܚܕܪܝܗ ܫܘܪܐ ܚܣܝܢܐ ܘܓܘܣܐ ܕܠܐ ܡܬܙܟܐ : ܚܝܠܐ ܕܡܢ ܠܘܬܟ. ܘܬܗܘܐ ܠܫܡܐ ܘܢܝܫܢ : ܗܢܘ ܕܝܢ : ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܘܒܥܒ̈ܕܐ ܕܙܕܝܩܘܬܐ[1] : ܝܬܝܪ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܐܬܪ̈ܘܬܐ ܘܡܕ̈ܝܢܬܐ ܕܚܕܪ̈ܝܗ،. ܢܬܡܟܟܘܢ ܚܢ̈ܦܐ ܘܥܡ̈ܡܐ ܛܥ̈ܝܐ. ܟܕ ܟܦܝܢ[2] ܒܘܪ̈ܟܐ ܩܕܡ ܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ. ܘܬܬܪܝܡ ܩܪܢܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܫܪܝܪܬܐ ܕܒܗ : ܡܢ ܟܠܗܝܢ ܕܚ̈ܠܬܐ ܕܓܠܝܙܢ. ܘܬܬܡܟܟ ܒܗ ܥܘܠܐ. ܘܬܕܢܚ ܒܗ ܫܪܪܐ. ܘܬܣܓܐ ܒܗ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܫܪܪܐ. ܥܕܡܐ ܠܙܒ̈ܢܐ ܕܥܠܡ̈ܝܢ ܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ.. ܠܟܠܗ ܕܝܢ ܟܢܘܫܝܢ ܟܢܝܫܐ ܒܐܠܗܝܘܬܐ :

[1] S. ܘܒܥܒ̈ܕܘܗ̇ — [2] S. ܟܦܝܢ

alio loco, tanquam fons auxiliorum. Protectio nobis fiat præclarus ossium hujus Sancti thesaurus, et adoremus Deum et dicamus: “ Laus sit tibi, Domine, ob benignitatem tuam in æternum ineffabilem. Laus tibi, Domine, qui dignos nos fecisti, ut ossa illius Sancti apud nos reponerentur veluti fons plenus bonorum, qui Tibi, Domine, supplicamus per intercessionem ejus. Mitte, Domine, quietem et pacem huic nostræ regioni et omnibus habitatoribus ejus. Circumda illam muro forti et refugio invincibili, virtute quæ ex te est; et sit famosa et illustris, nimirum per fidem et justitiæ opera, plus quam omnes regiones et civitates finitimæ! Humilientur ethnici et populi errantes, curvantes genu coram fide vera, et exaltetur cornu fidei veræ, quæ in ea viget, supra omnes religiones falsas! Et deprimatur in hac regione impietas, splendeat in ea veritas, crescat fides vera usque in tempora seculorum. Amen. „ Toti autem cœtui nostro congregato in divinis, qui in

ܕܒܥܘܡܪܐ ܗܢܐ ܩܕܝܫܐ ܪܘܚܢܐܝܬ ܦܠܚ : ܩܕܡ ܡܫܟܢܬܐ
ܕܥܡܘܕ ܢܘܗܪܐ ܐܒܘܢ ܫܠܝܚܐ ܡܪܝ، ܡܐܪܝ،. ܘܡܕܒܪܢܗ
ܘܬܘܟܠܢܗ ܒܡܪܝܐ ܡܫܝܚ : ܐܣܝܘܬܐ ܠܗ̇ ܗܪܟܬ ܒܡܦܪܐ
ܪ̈ܘܚܢܝܐ ܘܐܠܗܝ̈ܐ ܠܦܢܝ̈ ܒܡܘܢܝܬܐ ܐܠܗܝܬܐ. ܘܬܘܒ ܠܟܢܫܐ
ܟܠܗܘܢ ܕܡܗܝ̈ܡܢܐ ܒܟܠ ܛܟܣܝ̈ܗܘܢ ܘܐܣܛܣܝ̈ܗܘܢ
ܘܡܣܩܬܗܘܢ. ܢܬܠ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܠܡܫ̈ܡܫܢܐ
ܠܨܒܝܢܐ ܕܡܪܘܬܗ : ܒܟܠܗ̇ ܢܝܚܬ ܚ̈ܝܝܗܘܢ ܕܥܠ ܐܪܥܐ
ܐܡܝܢ ܀ ܢܥܬܪ ܐܢܘܢ ܒܟܠܗܘܢ ܠܦܘܩܐ ܕܚܫܝܚ ܠܕܘܒܪ̈ܐ
ܕܡܗܝܪܘܬܐ. ܟܕ ܡܒܪܟ ܦܐܪ̈ܐ ܕܟܪ̈ܣܬܗܘܢ ܘܦܐܪ̈ܐ
ܕܐܪ̈ܥܬܗܘܢ. ܘܢܛܪ ܐܢܘܢ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܢܟ̈ܝܢܐ ܟܣ̈ܝܐ
ܘܓܠ̈ܝܐ : ܘܢܫܘܐ ܐܢܘܢ ܠܛܘ̈ܒܐ ܠܐ ܥܒܘܪ̈ܐ ܕܡܠܟܘܬܐ
ܫܡܝܢܝܬܐ : ܕܬܡܢ ܢܬܒܣܡܘܢ ܘܢܬܢܗܪܘܢ ܡܢ ܝܡܝܢܗ
ܕܪܫܝܬܢ ܐܡܝܢ ܀

ܫܠܡܬ ܒܥܘܕܪܢܗ ܕܡܪܢ ܬܫܥܝܬܐ ܕܛܘܒܢܐ ܡܪܝ،
ܡܐܪܝ، ܫܠܝܚܐ ܘܡܠܦܢܗ ܕܡܕܢܚܐ.[1] ܘܠܐܠܗܐ ܫܘ̄ :
ܐܡܝܢܐ : ܐܡܝܢ.

[1] S. ܕܦܢܝܬܐ ܟܠܗ̇ ܡܕܢܚܐ

sancto hoc cœnobio spiritualiter militat coram habitaculo ad instar columnæ igneæ exsurgente patris nostri Mar Maris apostoli, cujusque spes et fiducia in Domino est, ille opituletur, fratribus scilicet omnibus qui in libris spiritualibus ac divinis, in monetam cusis divinam, meditantur, itemque agmini fidelium universorum in cunctis ordinibus suis, statibus ac gradibus. Det Dominus Deus famulis ut possint juxta Ipsius dominationis voluntatem famulari in omni requie vitæ eorum super terram. Amen. Divites eos efficiat omnibus modis qui piis congruunt moribus, benedicens fructibus uteri eorum et fructibus agrorum. Servet eos ab omnibus nocumentis absconditis et apertis; et dignos eos faciat bonis non perituris regni cœlestis, ut illic oblectentur et splendeant a dextris Illius qui primitiæ nostræ vocatur.

Explicit per adjutorium Domini nostri historia beati Mar Maris apostoli, doctoris Orientis; sitque Deo gloria perpetua! Amen.

Postquam prelo jam exierant pleræque hujusce opusculi plagulæ, pervenit ad me aliud Historiæ Mar Maris manuscriptum, quod, rogante Ill. Khayyath, ad exemplar quoddam in Koï, suæ diœceseos oppido, exscribi curavit Gabriel Adamo, Kerkuki (*Carcha de Beth Seluq* de quo supra, p. 74, sermo fuit) in Kurdistano archiepiscopo chaldæo. Putat Ill. Adamo exemplar Koïanum non esse seculo XIII recentius. — Jam novi nostri apographi sequuntur lectiones variantes. Istæ non videbuntur summi momenti critici, atque earum non paucas, præsertim iis in locis ubi ob omissionem verborum sensus perturbatur, oscitantia scribæ moderni ortas esse suspicor.

Notæ numerales singulis variantibus binæ præmittuntur : quarum prior editionis meæ *paginam*, posterior paginæ *lineas* designat.

P. 50, l. 3 ܟܠ ܫܠܛܐ loco ܟܕ ܫܠܛܐ ; l. 4 ܟܕ ܝܕܥ ܒܬܫܡܫܡ

P. 51, l. 9 om. ܕܡ

P. 52, l. 2 ܐܪܕܒܝܠܐ

P. 53, l. 6 ܘܒܬܪܐ ܐܢܐ

P. 55, l. 1 ܚܬܘܢ ; l. 4 ܘܠܐ ܐܫܟܚܘ, om. ܒܗܘܢ

P. 56, l. 1 et 4 ܦܘܠܒܢ̈ܐ loco ܦܘܠܒܢܐ ; l. 14 ܕܬܠܡܝܕܐ

P. 57, l. 1 ܕܒܬܪ ; l. 4 ܒܗ ܕܐܬܟܪ

P. 58, l. 5 ܘܐܬܐ ܐܢܬ ; l. 10 om. ܘܟܠ ܡܢܬܬܐ ܕܡܫܟ̄ܢ

P. 59, l. 8 ܒܐܪܕܫܝܪܐ ; l. 9 ܕܪܒܘܬܐ ; l. 14 ܕܐܬܬܗ

P. 61, l. 2 ܡܦܠܐ loco ܡܢܢ

P. 62, l. 13 ܥܡ ܣܘܥܘܬܐ

P. 63, l. 14 om. ܡܠܟܐ ܕܡ ܕܐܪܒܝܠ

P. 64, l. 1 om. ܕܐܚܝܢܐ

P. 66, l. 1 ܡܬܟܬܫ ܐܢܐ

P. 69, l. 8 ܦܪ̈ܘܢܝܐ ; l. 9 ܕܒܐܬܪܐ

P. 71, l. 4 ܗܡ ܟܠܗܘܢ

P. 72, l. 5 ܠܦܪ̈ܘܢܝܐ , ܡܘܦܩ̈ܝܐ

P. 73, l. 5 ܒܕܬܐ et ܦܪܘܣ

P. 74, l. 12 ܐܬܬܡ loco ܐܬܘܡ

P. 76, l. 1 ܘܡܣܡܘ

P. 76, l. 15 om. ܐܡܪ ܠܗ ܡܠܟܐ ܘܡܢܘ ܗܘܐ ܡܥܝܢܐ ܕܐܡܪܬ

P. 78, l. 13 ܘܠܐ loco ܠܐ; l. 14 ܥܠܬܐ

P. 80, l. 7 ܦܐܪ̈ܝܗ; l. 8 ܡܛܠ ܕܬܬܐ ܗܝ; l. 11 ܐܪܒܥܣ̈ܪܐ, et ܘܡܚܒܒܬ

P. 82, l. 10 ܘܐܣܬܕܪܬ

P. 86, l. 1 ܡܕܝܢܬܐ; l. 2 ܡܠܟܘ̈ܝܢܐ

P. 89, l. 1 ܠܪ̈ܕܢܝܐ *leradanaye;* l. 3 ܕܥܒܗ; l. 8 om. ܗܘܘ

P. 90, l. 5 ܩܕܡ ܐܬܘܢ

P. 91, l. 11 ܐܡ̈ܪ

P. 92, l. 9 om. ܘܒܪܐ ܕܡܢܗ ܡܠܝܟ ܡܢ ܒܢܘܗ ܕܡܫܠܡܗ ܠܐ ܡܬܚܫܒ

P. 93, l. 15 ܠܡܣܒܪܗ loco ܠܘܣܒܪܗ

P. 94, l. 4 ܘܥܠܐ ܒܕܘܟܬܗ

P. 95, l. 3 sicut *S.* cum additis ad lineam 3am notae, post ܠܗ his vocibus : ܗܢܘܢ ܕܐܬܬܟܠܘ; l. 9 ܕܐܝܟ; l. 10 ܫܪܝܬܘܢ (sine ܕ)

P. 96, l. 9 (sine ܕ) ܘܡܪܡ

P. 97, l. 3 ܘܡܪܐ ܗܢܘܢ; l. 6 ܦܪܫ ܗܘ; l. 10 ܐܟܠ ܐܢܐ

P. 98, l. 10 ܕܐܡܟܐ ܗܘ; l. 14 ܡܬܦܠܣܡ ܣܡ

P. 99, l. 2 ܘܒܪ; l. 6 in margine ܒܒܒܕܐ loco ܒܒܢܕܐ; l. 8 ܕܪܒ ܗܘ; l. 12 ܒܝܣܘܬܢܘܬܐ

P. 100, l. 4 ܕܢܘܡܣܐ; l. 10 ܘܗܢܘܢ loco ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܒܪ

P. 102, l. 4 ܠܥܝܢܗ; ܒܚܢܐ loco ܡܚܢܐ

P. 103, l. 2 ܐܡܓܪ loco ܐܡܪ; l. 12 ܕܐܡܪܬܘܢ

P. 104, l. 2 et 3 ܠܡܥܒܪ ܘܐܬܬܗܡܣ; l. 3 ܘܠܠܟܐ; l. 6 ܡܘܗܒܬܐ

P. 105, l. 1 om. ܘܡܠܟܘܒ ; l. 6 ܘܕܬܘܕܝܬܐ

P. 106, l. 16 ܠܐܣܛܪܛܝܓܐ ܡܢ ܐܣܛܪܛܝܓܐ

P. 107, l. 1 ܕܐܬܝܗ ; l. 3 om. ܠܐ ; l. 9 ܠܐ ܡܦ̈ܪܫܝܢ

P. 108, l. 1 ܡܢ ܒܥܘ loco ܡܶܢ ; l. 2 ܘܐܡܪ ܠܗ ; l. 5 om. ܒܐܬ̈ܪܘܢ; l. 9 om. ܘܕܘܟܬܝ

P. 109, l. 6 ܕܡܗܝܡܢܝܢ ; l. 8 ܡܬܚܡܚܡܢܐ loco ܡܬܚܡܕܢܐ

P. 110, l. 9 ܒܟ̇ܐ ܐܢܐ ; l. 14 om. ܐܬܥܕܪ. ܗܘ ܕܟܠ ܥܡܗ̇ ܕܩܘܡ

P. 112, l. 1 ܕܐܬܥܕܪܘ ; l. 8 ܕܦܓܪܗ ; l. 10 ܕܢܦܫ loco ܕܡܢ ܢܦܫ

P. 113, l. 7 ܕܠܦܘܪܐ ; l. 13 ܘܐܬܐ

P. 114, l. 2 ܗܘܘ loco ܗܘܐ ; l. 6 ܡܢ ܕܘܟܬܐ ܚܕܐ ܒܝܬ ܕܡܥܪܬܐ loco ܡܢ ܕܘܟܬܐ ܕܡܥܪܬܐ

P. 115, l. 1 ܕܢܟܝܫܗ ; l. 10 ܠܘܩܕܡ ܒܢܐ ܒܐܬܪܐ

P. 116, l. 2 ܦܪ̈ܕ ; l. 5 ܥܩ̈ܠܐ

P. 117, l. 2 om. ܟܠ

P. 118, l. 6 ܡܛܠ sine ܘ ; l. 10 ܘܥܩ̈ܠܐ

P. 121, l. 2 ܪܕܝ ; l. 3 ܠܗ

P. 123, l. 9 om. ܗܘܘ ; l. 12 ܠܐܪܥܐ ܕܝܗܒܬܐ ܕܥܝ̈ܪܐ

P. 124, l. 2 ܠܡܬܠܒܫܘܬܗ ܒܒܪ̈ܬܐ : ܘܠܐ

P. 125, l. 9 ܘܠܐ loco ܕܠܐ ; l. 9 om. ܥܘܒ ; l. 12 ܕܒܗ

P. 126, l. 3 ܒܝܬ ܩܘܕܫܐ ܕܟܢܘܫܬܐ ; l. 13 ܕܐܢ ܗ̇ܘ

P. 127, l. 9 ܘܒܒ̈ܢܝܗ̇ ; l. 11 ܒܥܝܢ

P. 128, l. 4 ܒܡܘܢܝܛ ; l. 15 ܡܬܠܡܕܢܘܬܗ̇ ܕܩܢܝܬܐ ܟܠܗ̇ ܕܡܕܢܚܐ. ܘܠܐܠܗܐ ܫܘܒܚܐ ܘܥܠܝܢ ܪ̈ܚܡܘܗܝ ܘܚܢܢܗ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ ܀

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM PERSONARUM ATQUE LOCORUM

QUÆ IN ACTIS S. MARIS OCCURRUNT.

Prima nota numeralis paginam, aliæ lineas cujusque paginæ designant.

EPILOGUS CRITICUS.

Quod scripsi in *Prolegomenis*, pag. 45 : " S. Marim ævo apostolico in illis regio-" nibus evangelium prædicasse testimoniis constat idoneis atque perpetuis; „ vereor ne queat in sensum ab eo quem in animo gero, alienum cogi. Profecto nihil aliud in hac re asserere ausim quam Acta S. Maris, nunc in lucem prolata, haudquaquam haberi posse ut sequioris ævi figmentum quoddam, gratuito excogitatum seu antiquioris traditionis fundamento carens: quippe quæ potius, saltem quod historiæ substantiam attinet, innumeris veterum scriptorum ac monumentorum consentiant testimoniis. Atque hæc quidem summatim illic allegata, facile possent in immensum extendi, prout revera alia multa, eaque maximam partem inedita, officiosissime mihi Ill. Khayyath nuper transmisit : quæ tamen omnia, utpote a Nestorianis desumpta, vim argumenti minime augent, nec proinde in medium sunt proferenda; istorum enim de Mar Mari tanquam ævi apostolici in Oriente apostolo, sat explorata habetur sententia atque inconcussa traditio.

Verum enimvero de ipso illius traditionis fonte non liquido constare videtur, utrum ex ecclesia christiana Orientis adhuc unita, quemadmodum e documenti nostri inspectione conjici posse visum est, manaverit, an vero ad posterius ævum pertinere dicendus sit. Dubium in primis movet ac difficultatem facessit quod testimonia de S. Mari non æque reperiantur apud Jacobitas, Nestorianis fide et ritu separatis; nam, uti aliunde notum est ac nuper litteris testatus est mihi Ill. Clem. Jos. David (1), archiepiscopus Syrus Damasci, " nullum penes Jaco-" bitas, quibuscum Syri catholici eumdem habent ritum, S. Maris neque in libris " liturgicis, neque in martyrologio adest vestigium. „ Sunt quidem ex eorum scriptoribus qui illius meminerunt, puta Gregorius Barhebræus, a nobis supra recitatus; ast hic in Chronico suo compilando Nestorianis quoque usus est documentis. Est tamen quod forte haud incongrue Jacobitarum silentio respondeatur, eos videlicet, utpote in Asiæ occidentalis partibus frequentiores, orientalis traditionis facilius esse oblitos. Merito sane conjicit Renaudotus primam inter tres Nestorianorum liturgias, quæ *sanctorum apostolorum* (Adæi et Maris) nomine inscribitur, antiquiorem esse divisione ecclesiarum per Nestorianam hæresin effectam. Atque, ut ille scribit (2) : " *Apostolos sanctos* vocant " Nestoriani Adæum et Marin, quos Orientis apostolos existimant ex antiqua " sua traditione, quam fabulis inquinatam scripto consignavit Maris quidam " filius Salomonis, ex cujus historia epitomen fecit Amrus filius Matthæi, ex qua " habetur successio Catholicorum sive patriarcharum sectæ Nestorianæ, usque " ad seculum decimum tertium. Adæum, ut Orientales scribunt, eumdem esse cum

(1) Doctissimus ille præsul Romæ, anno 1870, edidit librum cui titulus: *Antiqua ecclesiæ syro-chaldaicæ traditio circa Petri apostoli ejusque successorum Romanorum Pontificum divinum primatum.* — (2) *Liturgiarum orientalium collectio,* tom. II, pag. 592 sqq. (ed. Francofurt. 1847).

" Thadæo plerique testantur... Nestoriani dicunt unum fuisse ex septuaginta disci-
" pulis, et a Thoma apostolo missum in Syriam; Marin ejus fuisse discipulum, tum
" alterum quem Agi appellant. Quia igitur illos tanquam ecclesiarum Mesopotamiæ
" fundatores agnoscunt, Ordinem Missæ illis tribuunt, ut Jacobo Hierosolymitana
" Ecclesia liturgiam suam, Marco Alexandrina suam attribuit. Quæ vero de Thadæi
" a Jacobo missione habet Nestorianorum traditio, non tam ad eos ut novæ sectæ
" homines referenda est, quam ad communem ecclesiarum Mesopotamiæ traditio-
" nem. Eadem quippe in historiam suam retulit Eusebius, et in Melchitarum Jaco-
" bitarumque libris leguntur, in illis præsertim apostolorum discipulorumque
" Christi indiculis qui extant in variis codicibus, et vulgo Canonibus apostolo-
" rum et Clementinis constitutionibus præmittuntur vel subjiciuntur. Reperitur
" sane in optimo et vetustissimo codice Mediceo Collectionis canonum Syriacæ,
" Synopsis aliquarum constitutionum quæ Adæo, Mari et Agi adscribuntur, et
" quarum vigebat auctoritas in ecclesia Jacobitica. Unde certo efficitur Nestoria-
" nos non novam et apud se natam opinionem de institutione ecclesiarum in
" Mesopotamia, quo res suas commendarent, promulgasse, sed in orthodoxæ quæ
" illic fuerat, ecclesiæ jura involasse, ut quod illi proprium erat sibi attri-
" buerent. „

Denique operæ pretium videtur hic quædam adnotare de documento antiquissimo, non ita pridem in lucem prolato, quo ecclesiæ Mesopotamicæ primordia sic fere enarrantur ut cum iis maximam partem conveniant quæ Eusebius (1) e tabulario Edesseno se accepisse testatur. Inscribitur illud *Doctrina Addæi apostoli*, atque ab editore (2) demptis quibusdam interpolationibus Labubnæ, regi Abgaro ac ipsi Christo Domino coævi, fetus genuinus putatur, quamquam ab aliis (3) Eusebio (anno 324) posterior habeatur, Moyse tamen Khorenensi (anno 470) prior. Jam vero ibi inter Adæi discipulos varios qui recensentur, Mares non occurrit. Sed potest id inde explicari quod ei, non sicut illis Edessenæ ecclesiæ promovendæ, sed in alias Orientis plagas christianismum prædicandi provincia fuerit demandata. Ceterum R. Lipsii (4) sententia est totam historiam conversionis Abgari VI Ukhama, apostolica ætate Edessæ regis, fundamento carere eamque tempore Abgari VIII Severi bar Manu, qui annis 176-213 regnavit ac christianæ religioni Edessæ nomen dedit, primo fuisse excogitatam.

(1) *Hist. eccl.*, lib. I. cap. 13. — (2) G. Phillips, qui post fragmentum jam a Curetonio in *Ancient syriac documents* prolatum, edidit integrum librum syriace et anglice hoc titulo : *The doctrine of Addai the apostle*, Londini 1876. — (3) *Die edessenische Abgar-Sage, kritisch untersucht, von Richard Adelbert Lipsius* Braunschweig 1880, p. 41. — (4) Op. cit., p. 11.

VITA
S. SABINIANI
MARTYRIS
TRECIS IN GALLIA.
Ex codice Reginæ Sueciæ 80.

Joannes Bollandus in Actis Sanctorum Januarii, ad diem 29, duplicem S. Sabiniani Vitam dedit, unam " ex duobus veteribus MSS. " codicibus, alteram ex *Antiquitatibus Tricassinis* Nicolai Camuzati. Tertiæ Vitæ mentionem facit, quam habuisse se testatur Camuzatus sed consulto omisisse, eamque esse *uberiorem et ampliorem Actorum S. Sariniani historiam sed paraphrastice tantum conscriptam.* Secundam illam, ait Bollandus, *fere expresserunt Viellius et Des-Guerrois, et nonnulla fortassis ex tertia illa a Camuzato citata, adjecere.*

Postmodum tertia sancti Sabiniani Vita, ex codice Reginæ Sueciæ n° 80 transcripta, ad prædecessores transmissa, in scriniis Musei Bollandiani diu latuit. Cum innumeris aliis Actorum apographis alio transportata, in novum Museum Bollandianum rediit. Nos eamdem inter *Analecta Bollandiana* edendam censuimus. Est autem uberior atque amplior Actorum ejusdem sancti Sabiniani periphrasis, ad honorem et pompam composita, et publicæ, uti videtur, recitationi destinata. Ita phrasibus similiter cadentibus ac similiter desinentibus abundat, ut liberioris cujusdam metri formam subinde induat. Seculi X fetum in hac lucubratione fortassis agnoscas.

Secunda illa S. Sabiniani Vita quam Bollandus dedit, in hac tertia magnam partem continetur, servatis sæpe iisdem verbis : unde colligitur aut tertiæ Vitæ auctorem retractasse secundam atque exornasse, aut (si cui hoc magis placet) secundæ Vitæ auctorem breviasse tertiam nostram. Quæ res ut oculis lectorum manifesto appareat, quæ utrique Vitæ communia sunt in verbis (nam series factorum eadem prorsus utrobique manet), distinctis characteribus, minoribus scilicet, impressa dabimus inde a numero septimo. In numeris præcedentibus quamquam res, ut diximus, eædem narrantur, fere nunquam verba conveniunt, nisi in quibusdam locutionibus figuratis quæ in utraque scriptione communem auctorem produnt.

Prologus proxime sequens deest in Vita edita.

[Prologus.] Sanctum [1] et venerabilem triumphum beati Saviniani notificaturus, id gratiæ peto a lectoribus, ne hic attendatur præsumptio aliqua scribentis, sed potius quæ scribuntur, virtus et victoriæ [2] martyris. Neque ob stylum cuiquam sit lectio ad tædium, cum in sensu contineantur [3] plurima documenta virtutum. Ad hoc enim scripturæ leguntur in sancta Ecclesia, ut fideles vel instruanter per præcepta, vel moneantur per exempla, vel nutriantur per ædificationis hortamenta vel alia saluti necessaria. Martyrum siquidem dum referuntur historiæ, nobis commendantur constantia fidei in persecutione, patientia in tribulatione, perseverantia in procinctu cœlestis militiæ. Nos itaque, non tantum auditores historiarum verum etiam imitatores passionum, sequamur, in quantum sequi valemus, eorum vestigia qui mundo mortificati mundi omnis triumphaverunt concupiscentias, et, in se deridentes supplicia sævientium, cœlitus coronati regnant cum Christo in æternum. Passionem itaque beati Saviniani relaturus, priusquam prosequar inexhaustos sudores illius, priusquam edisseram indefessa certamina ejus ad laudem Conditoris. qui potens est suscitare filios Abrahæ de lapidibus ipsis, arbitror esse referendum ubi et ex quo genere nativitatis sumpserit exordium.

1. Fuit igitur oriundus in Samo, civitate tunc temporis plena erroris et idololatriæ; natus de quodam, ut ita dixerim lapide, futurus tamen ex divina gratia filius Abrahæ. Savinus enim, ejus pater, vir nobilis, potens atque dives, ut gentilis adorabat lapides, ideoque similis factus illis penitus insensatus in lapidem duruit [4], tantoque durior in errore, quanto altior in honore. Verumtamen unicum filium suum Savinianum, quem et heredem honoris sperabat futurum et erroris assertorem maximum, tradidit doctoribus litteris imbuendum et studiis liberaliorum artium penitus instruendum. Savinianus itaque, flore primævæ juventutis, cum apprime floreret litteris, utpote acer ingenio, profundus eloquio, acutus in inveniendis, facundus in disserendis, postposita mundi vanitate, negotiis secularibus noluit se implicare:

[1] *cod.* Factum. — [2] *cod.* victorias. — [3] *cod.* contineant. — [4] *cod.* diruit.

quippe cui nec deerat ab ore lectio nec a corde meditatio. Unde factum est ut jam philosophus, cum philosophice deos esse nihil crederet Deumque unum conditorem omnium recte sentiret, hunc totis visceribus desiderabat, hunc totis viribus inquirebat : totum hoc scilicet agente divina providentia, quæ illum sibi vas electionis futurum esse prævidebat. Jam enim operabatur in illo occulta gratia ; jam Pater cœlestis eum ad Filium trahebat ; jam, inquam, ab initio prædestinatum ad vitam virtus divina vocabat ad fidei gratiam. Abjecit itaque Savinianus secularium studiorum volumina, quia in eis non inveniebatur ulla deitatis veritas ; auremque adhibuit prædicationi evangelicæ, atque oculos applicuit codicibus fidei apostolicæ. Jam enim in omnem terram exierat sonus apostolorum et in fines orbis verba eorum. Volvens itaque atque revolvens divina volumina, quia in his quod quærebat redolere sentiebat, fontemque vitæ quem sitiebat ex his decurrere intelligebat, tandem legendo psalterium devenit ad ipsum versiculum : *Asperge me hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor*. Hujus autem versiculi verba sæpe sæpiusque secum retractans, quanto propius [1] inspiciebat, tanto firmius inhærebat ; quia virtus vitæ in verbis latebat. Et sicut piscis dum inescatur hamo capitur, sic Savinianus dum verborum dulcedine pascitur, a sancto Spiritu latenter retinetur. Optat itaque cum propheta hyssopo aspergi atque mundari, optat nimirum se super nivem dealbari ; sed modum hujus mysterii, quem nesciebat, a Domino precibus et lacrimis pluribus expetebat. Sed qui quondam Cornelii, licet gentilis, preces acceptavit et eleemosynas, ipse misericorditer preces Saviniani, licet gentilis, suscepit et lacrimas. Ad instruendum igitur talem tantumque discipulum maxime idoneum cœli transmittunt magistrum [2], Dominus, inquam, angelum. Qui veniens cum multo lumine, lucis nimirum angelus ipse, in habitu magnæ reverentiæ atque auctoritatis, vultu quidem placido, astitit ei. *Dominus Deus*, inquit, *de sede sancta sua tuas, Saviniane, exaudivit lacrimas, qui preces nunquam moratur quæ orationis instantia*

[1] *cod.* proprius. — [2] *cod.* magisterium.

commendantur. Accipe ergo quod rogasti, et incunctanter[1] *perfice quod audieris. Ecce mundaberis, sicut optas, illa scilicet prophetica munditia, cum, aspersus fonte divini baptismatis, ab omni sorde purificaberis; ibique accepta peccatorum tuorum remissione, vives Deo candidior nive.* Quibus dictis angelus in se reversus evanuit.

2. Savinianus vero, jam ex tunc assumpto vigore fidei, spiritualibus accingitur armis; et, licet nondum baptizatus, baptizatorum tamen fidelium exequitur opus. Jam enim per fidem Christus in eo habitabat; jam per fidem Spiritus sanctus in eum descenderat, ut quondam super eos nondum baptizatos, qui, loquentes variis linguis, post baptizati sunt jubente Petro apostolo. Instat igitur supernæ philosophiæ; insistit lectioni evangelicæ; fit, inquam, evangelicus vita, fit apostolicus doctrina; fit tanquam favus cœlestis, populo distillans dulcedinem prædicationis. Audiens autem hoc ejus pater Savinus, ira succenditur, furore concutitur; torquentur dolore viscera, anima confunditur insania. Est ei nimirum filius unicus, de quo dolet : unde et dolor unicus quem sustinet. Plangit itaque salvum perditus, luget sanum male sanus, deflet vivum mortuus. Ut autem agat cum filio, eum sibi advocans fronte quidem serena, dissimulata ira, quærit causam; discutit conscientiam, invenit veritatem. Invenit enim vere filium suum esse christicolam, et audit corde et ore Christum confitentem; sed impius eo magis mente consternatur[2], quod ore ad os Christum filius confitetur. Infert itaque minas, minatur supplicia, quæ nuper multa et gravia a Dario regionis præside christianis fuerant illata; denique blanditur verbis, attrahit promissis, accumulat opes, multiplicat honores. Sed beatus ille juvenis, cujus jam mens tota hærebat in supernis, nec minis concutitur, nec promissis seducitur : hoc tantum maxime formidat, ne forte victus legibus naturæ succumbat: ne videlicet patris pietas eum a loco modo seducat. Mature itaque consulit Christum, quid ei in tanto discrimine sit agendum. Consulit, inquam, Evangelium: unde salutis suæ accepit responsum. Obediens itaque Evan-

[1] *cod.* inconstanter. — [2] *cod.* consternitur.

gelio patrem relinquit, ut ex hoc fiat dignior Deo. Evangelio etiam consonat humanum consilium quod ei donat Julianus, quidam suorum familiarium. Egreditur itaque, sed nudus fere, de finibus patriæ, ut quondam nudus de visceribus matris suæ; nudusque nudam crucem sequitur, nudam et ipse crucem suam amodo portaturus. Vadit profecto absque pera et sacculo, exemplo beati Abrahæ, peregrinaturus in mundo, ut postea cum beato illo Abraham feliciter redeat ad beatam patriam. Linquit autem patriam in timore aliquo pœnarum, quas credebat præsto esse sibi ubique terrarum; sed potius declinans divitias et honores, quos sciebat bonorum sæpius corrumpere mores. Vadit itaque felix ille peregrinus, non tamen solus, quia semper cum eo Deus. Cujus pia providentia, quæ nunquam in sua dispositione fallitur, ad occiduas terras ipse dirigitur. Ibi etenim occidente lumine veritatis, quanto major erat obscuritas, tanto majora illuc erant dirigenda luminaria, ut, eorum potenti prædicatione expulsis tenebris ignorantiæ, illic [1] per fidem oriretur sol justitiæ.

3. Lustratis autem locis pluribus plurimisque regionibus, divino nutu Trecas usque dirigitur, ubi messis plurima sed rarus agricola; ubi ager fertilis, sed pauca semina verbi. Trecas itaque veniens, accepto a Spiritu [2] quod in Trecassino territorio esset moriturus, confestim in grato littore Sequanæ sibi construxit habitaculum, non multum quidem ab urbe remotum, nec urbi tamen multum contiguum: ut videlicet et frequentiam civium declinaret et ad se venientes prædicationis pabulo reficeret. Et licet ipse, ut credimus, a sancto Spiritu jam fuisset baptizatus, sic enim apostolos baptizandos cœlos ascendens promisit Dominus: cupiens tamen regenerari ex aqua et Spiritu sancto, corpore quidem prostrato, mente vero erecta ad superos, oravit Dominum, sed non in multiloquio: *Domine Deus, inspector mentium et scrutator cordium, qui orationem non avertis humilium, ascendat ad aures tuæ sanctæ majestatis clamor desiderii mei, et concede mihi gratiam baptismatis attingere, et emundatum ab omni vetustate*

[1] *cod.* illis. — [2] *sequuntur in cod. duo puncta loco vocis quæ videtur omissa.*

præsta connumerari[1] *in parte adoptionis tuæ. Tu autem olim, Domine, terram corruptam iniquitatibus universis inundante diluvio emundasti, mergens impios et per arcam salvans tuos: Noe scilicet atque illius liberos.* Et cum hoc dixisset, ecce nubes descendit super eum, et de nube facta voce dictum est ad illum : *Quod pio affectu salutis, Saviniane, postulasti, hoc misericorditer exauditus a Domino consequeris. Nunc enim es baptizatus, multos ipse*[2] *alios baptizaturus.* Vere in nube baptizavit eum, qui de nube locutus est ad eum. In nube est Savinianus baptizatus, sicut in nube et in mari ille populus antiquus. Verumtamen ille in figura veritatis, hic autem in gratia figuratæ veritatis. Regeneratus itaque Savinianus quantus in abstinentia fuerit, quam potens in orationibus et vigiliis, quam pertinax in continuis jejuniis, hinc facile cognoscitur quod in se jam martyrium exercebat per carnis macerationem, quod postea complevit per sanguinis effusionem. Denique redundante super eum divina gratia, cœpit undique coruscare admirabilis ejus sanctitas, quia non potest abscondi supra montem civitas posita. Cœpit quoque ejus prædicatio paulatim emollire gentilium feroces animos.

4. Sed quoniam ad fidem citius populus convertitur, si prædicationem miraculum consequitur, sanctus ille, spectante populo, virgam quam manu tenebat infigit humo : confestim autem ad orationem prosternitur ; sed adfuit virtus divina quæ operaretur. Ille preces effundit ad sidera, virga emittit frondes et folia. Illo orante, virga animatur in arborem ; Dei autem virtute operante, gens incredula informatur ad fidei gratiam. O beata et benedicta Dei dextera, cujus virtute ad vocem peregrini, angelorum tamen concivis, castra destructa sunt inimici : corda scilicet domita sunt incredulæ gentis, et colla diu attrita jugo dæmoniaco, libere subduntur creatori Domino. Illi etenim qui aderant, videntes ex oratione miraculum, conversi sunt ad Dominum. Nonnulli etiam eorum qui aberant, audientes illud factum, ad fidem festinantes cucurrerunt. Factus est autem vir ille ut sanctus Gedeon, qui, ut legitur in libro Judicum, non armis sed tubis et lampadi-

[1] *cod.* enumerari. — [2] *cod.* ipsos.

bus prostravit multitudinem inimicorum. Savinianus quidem, in Gedeon figuratus, cujus vita ut lampas rutilans, cujus prædicatio ut tuba vehemens, utroque armatus inimicos Christi persequebatur; et illis occiso idolo, vivificabatur Omnipotentis fides atque cognitio. Quotquot autem ad fidem trahebat, eos baptismatis unda regeneravit. Numerus autem quos baptizavit usque ad mille nonaginta ascendit.

5. At vero seminator omnium malorum atque adversarius universorum bonorum, videns suorum exercitum decrescere et ad omnes unius bellum prævalere, deflens damna, metuens similia, ferox circuit officinas sævientium, atque conflans iras acuit odia in sanctum virum. Quin etiam in humilem peregrinum Romanum excitat imperium. Aurelianum etenim imperatorem, totius malitiæ fornacem, incessanter sollicitat; et quem multorum martyrum sanguine jam inebriaverat, eum adhuc sitientem ad necem sancti viri graviter instimulat. Nempe diabolus non quemlibet esse credit, quem tantis viribus impetit; nec putat militem facile esse vincendum, cujus regem non dubitat esse Deum. Verumtamen conatur maxime eum de vita pœnis expellere, quem viventem aspicit suos sibi milites subripere. Agitur itaque in palatio tumultus magnus de Saviniano, qui infamatur religionem patrum blasphemare, culturam deorum destruere cultumque novum christianorum inducere. Dicitur etiam ex hoc destruere culturam deorum, quoniam asserit quod ipsi dii nihil sunt, et eorum simulacra non deos esse dicit sed manuum opera. His igitur et aliis talibus Cæsar iratus, antiquo serpente inspirante venenum, venenosum accipit consilium, ut videlicet sanctus Dei teneatur tentusque ducatur atque ductus discutiatur. Placet itaque consilium, sed tamen expeditur utpote impeditum; placet, inquam, ut sanctus teneatur et innocens adducatur; quæritur tamen qua ratione id efficiatur. Sanctus enim Savinianus cunctis carus ex sanctitate, carior ex prædicatione et fratrum regeneratione, non erat ibi quibuslibet facilis injuriari, tot tantisque circumstantibus filiis. Quippe ibi nulla potestas quæ timeatur, absens imperator quem vereantur; postremo ex temerario incœpto sæpe nascitur

maxima confusio. Hoc autem illis cogitantibus, tandem tremenda potestas, Crispinus siquidem præses, illuc mittitur, non tamen absque armata manu : quatenus et potestati non desint arma, quibus utatur, nec armis desit potestas, quam sequantur. Præses itaque in fellis amaritudine veniens Trecas, quem adjuratus quærebat, eum sollicitus invenire festinabat, ne quid forte moraretur facere quod imperatori sciebat gratissimum fore. Sed videt quod dolet, et audit quod tædet. Videt, inquam, delubra diruta, aras subversas, simulacra conculcata ; audit quoque populum esse christianum, abjecta cultura deorum. Hinc conturbatur, inde inflammatur ; hinc magis atque magis odium in Savinianum [1] cumulatur. Ut ergo leo quærit quem devoret, sic Crispinus ubi Savinianus habitet.

6. Collecto igitur agmine suorum, in spiritu magni furoris tetendit ad habitaculum viri Dei. At Savinianus qui in terris quærebatur, in excelsis quidem mente morabatur ; et licet corpore maneret in mundo, ejus tamen in cœlis erat conversatio. Cum ergo ex more Deo se immolaret in oratione, Ecclesiam commendans non absque lacrimis divinæ misericordiæ, affuit rabiens inimicus, ejus quoque sæviens exercitus ; affuerunt et manus paratæ : quibus tamen non licuit sanctum Dei apprehendere. Profecto non licuit, quoniam affuit suo martyri in persecutione qui sibi non defuit in sua traditione. Ut enim refert Evangelium, ministri missi a principibus sacerdotum ut apprehenderent Jesum, videntes eum abierunt retrorsum et in terram ceciderunt. Cur autem abierunt et ceciderunt ? Quia, ut ait Hieronymus, quoddam divinum senserunt. Hoc idem prorsus in persecutione martyris est credendum, quod divinum quiddam persecutores viderunt, unde qui venerant [2] sævientes, abire festinaverunt formidantes. Aurelianus autem multo magis paratus ad necem quam leo famelicus ad prædam, audiens non advenisse sanctum, non adductum fuisse Savinianum, ardet in famulos, irascitur in nuntios ; putat se nihil egisse, quod non licuerit in martyrem desævisse. Accusat præsidem, quod aufugerit ; increpat com-

[1] *cod.* Saviniano. — [2] *cod.* verant.

militones, quod timuerint; arguit omnes, quod non adduxerint. Credit incredulus non eos quidquam divini sensisse, sed plus quam pavidos pavore humano subterfugisse. Quapropter ne ipse sceleratus a scelere tanto desistat, vires multiplicat, milites congregat et ad tenendum sanctum Domini duce præside multo majus agmen immittit. At beatus Savinianus in arce patientiæ constitutus, in protectione Dei cœli tutus morabatur. Ad quem persecutores venientes, cum eum, ut semper, lacrimose orantem inspicerent, corde compuncti et ipsi dederunt se in orationem. Hæc tua sunt opera, Domine; hæc tua mirabilia, Jesu Christe, qui ad laudem et gloriam martyris hæc fieri voluisti. Advenerunt enim persecutores, et cum orante facti sunt oratores; irruerunt feri leones, et facti sunt innocenti innocentes, et rapaces lupi fiunt Dei viro ut agni mansueti. Hæc est procul dubio dexteræ Excelsi mutatio, quæ olim mutavit persecutores David, ministros scilicet Saülis regis. Ipsi etenim cum ad prophetas introissent, cum ipsis prophetis et illi prophetabant.

7. Oratione autem finita : *Saviniane,* inquit præses, *cum sis peregrinus et advena, cur hæc advenisti loca? An tu pro culpa patria expulsus novum quiddam prædicas gentibus?* — *Nulla,* inquit Savinianus, *de patria expulit me violentia; sed Dei potius me sibi attraxit caritas, cui ex fide serviens in agro gentium suum semino semen. Servus est prorsus in culpa, qui otiose transit sua tempora; multumque vapulabit quicumque immunis in conspectu Domini sui apparebit.* Milites autem qui venerant cum præside, illum hortabantur plurima prece ne gravaretur cum ipsis ad Cæsarem usque venire. Ad hoc enim venerant, ut eum rogarent; ad hoc missi erant, ut etiam invitum ducerent. Precabantur itaque ut eorum misertus eximeret periculum, ne aut illum offenderent, ducentes invitum, aut Cæsarem perderent, nolentes cogere illum. Hæc autem audiens sanctus Savinianus, exultans in spiritu, dixit militibus : *Miles nil bene meretur a domino qui trepidat dare pectora bello; nec dignus est palmæ qui pavidus est ad vulnera pugnæ. Quapropter accelero vobiscum viam, quia scio me propediem vitæ æternæ accipere coronam.* Viennam itaque illis venientibus imperator affuit Aurelianus. Qui cum intueretur beatum Savinianum, forma quidem egregium statura procerum, recolens etiam quod audierat eum sanctitate famosum, habita ei reverentia divertit in palatium. Ubi residens pro

tribunali, congregatis senatoribus sui consilii, Savinianum jubet sibi præsentari. Cui et dixit : *Priusquam loquar tecum aliquid, scire volo cujus sis vocabuli, cujusque regionis.* Ad quem Savinianus : *Licet hoc inutile quæratur, accipe tamen quod ex nomine dicor Savinianus, et ex professione christianus, apud Samum autem oriundus. — Amodo autem,* inquit Aurelianus, *ratio nobis est habenda de religione : in qua plus omnibus, Saviniane, liquido constat te aberrare. Deos etenim quorum sapientia mundus regitur, tempora disponuntur, genus humanum gubernatur, audes, malesane, contemnere et præsumis blasphemare. Consule ergo antiqua secula, et docebunt te quid credere debeas. Interroga singulas generationes, et annuntiabunt tibi quid crediderint nostri majores. Insuper domina terrarum, Roma, sapientibus et philosophis plena, attende quid faciat : ne reprobes quod probat ; ne deos vituperes quos ipsa veneratur et amat. Accipe itaque consilium et sequere mundum.*

8. Ad quem Savinianus : *Hactenus, Aureliane, plurima dixisti, sed prorsus super arenam seminasti. Propinasti mihi pocula plus nimio venenosa. Obtulisti mihi consilium, sed penitus pestiferum. Verumtamen, quia est nostræ professionis non reddere malum pro malo, sed benedictum pro maledicto : accipe consilium pro antidoto, quo recuperabis salutem a Domino. Nefas est, Aureliane, dicere, majusque nefas est credere deos deasque esse quos tu profiteris adorare. In divinitate etenim nullus est sexus : qui ob hoc est in rebus ut mortalia, quæ deficiunt moriendo, reparentur ex semine suo. In deitate autem nihil moritur, nihil ex semine reparatur, nihil ex contagiis carnis reperitur. At numina tua, Jupiter, Venus et alia monstra, amplexu polluuntur, coitu commiscentur ; quædam imprægnantur, quædam generantur. Quare* [1] *nefas est ut etiam dii dicantur nec dii esse credantur. Horum autem simulacra ut quædam numina veneramini : thura ac libamina eis offertis ; et truncum quem sibi artifex domi* [2] *componit vos supplices adoratis. Hoc facientes nonne his qui vere insaniunt, estis insaniores ? Quare accipe salubre consilium et, relictis idolis, sequere Dominum Jesum Christum.*

9. Hæc autem audiens Aurelianus, intelligens nil sua verba promovisse, censuit supplicia adhibenda esse : ut quod verba minus operabantur exterius, hoc acrius supplicia exequerentur exterius. Dum igitur tractatur de suppliciis, Savinianus truditur in ima carceris, non tamen otiosus, quia Dei amor nunquam est otiosus. Erat enim in carcere Savinianus ; erant et ibi custodes, sed in compedibus : ille autem erat in carcere

[1] *cod.* Quædam. — [2] *cod.* domini.

incarceratus ab homine, ipsi vero inlaqueati a dæmone. Doluit itaque vir sanctus caritate perfecta quod ipsi deperirent, dominante idololatria. Noluit, inquam, creaturam Domini domino servire alii quam suo Creatori. Accessit ergo vivus ad mortuos, mortuique carbones succensi sunt ab eo. His namque evangelizavit verbum vitæ, prædicans sacramenta fidei catholicæ, annuntians remissionem peccatorum fieri in baptismate; et ita, cooperante Spiritu sancto, ibi eos baptizavit decem et octo. Quo audito, Aurelianus non minus ira succensus quam ardens clibanus, jussit ut absque mora sibi præsentarentur. *Grave est mihi,* inquit, *audire vos, meos quondam familiares atque carissimos, fide mutata, adhæsisse illi sacrilego Saviniano. Quænam est, quæso, ista insania quæ adeo vobis animos immutavit, ut certa incertis postponatis, antiqua novis, deos etiam cuidam homini? Judicetur ex æquo judicio : quis magis est colendus, deus an homo? Nonne Christus fuit homo judæus, a judæis crucifixus? Dii autem nostri immortales, cœlum terramque regentes.* Illi autem milites, Cæsarem intendentes, *dixerunt : Tua nobis, optime imperator, maxime placet sententia : et utinam fiat quod tibi ipsi placeat. Nihil est enim verius quam quod, ut asseris, non est alius quam Deus colendus. Christus itaque si est homo, ut æstimas, purus, verum est quod dicis, quia non est adorandus. Sed, cum sit Deus et homo in una persona, certum est quod adorandus sit ab omni creatura. Tua vero numina,* quia *dii non sunt sed dæmonia (scriptum est enim quia Dii gentium dæmonia), non sunt tibi, bone rex, adoranda, sed execranda. Non sunt tibi retinenda, sed abjicienda.* Aurelianus hæc audiens, ut cito faceret finem, jussit eos subire capitalem sententiam. Ita illi milites, ad modicum agonizantes, nunc regnant cum Christo in æternum gratulantes. Quos videlicet, tanquam suos quosdam triumphos, beatus Savinianus præmisit ad cœlos.

10. His ita glorificatis, ex præcepto Cæsaris vir Domini extrahitur ab imo carceris. Quem intuens Aurelianus : *Patienter,* inquit, *agimus contra te, Saviniane, ut vel sic experiaris nos velle potius misereri quam punire. Ne ergo abutaris patientia ad salutem tibi concessa ; sed, ut decet sapientem, ad recta consilia revoca mentem. Ecce tibi sunt sub oculis mors et vita : elige quid placeat. Equidem si immolaveris, vita vives, et non morieris; sin autem, prius deficiet tibi vita quam nobis desint immania tormenta.* Beatus autem Savinianus elevans oculos in Aurelianum, dixit : *Te alloquor, sævissime draco, qui habitas in*

Aureliano. Nonne tu es ipse qui ore serpentis nostram primam parentem seduxisti genusque humanum perdidisti? Nonne et nunc, haud immemor tui, ore hujus antichristi mihi blandiris ut perdas, attrahis ut confundas? Instiga ergo servum tuum ut perficiat servitium tuum; ingere consilia, ut exequatur pro velle opera tua. Nequicquam tamen insanis, quia mecum est Christus, qui tibi resistit. Carnem quidem poteris vincere occidendo, animum autem attrahere non poteris consentiendo. Aurelianus autem redundans maligno spiritu, jussit ut vir Dei ligatis pedibus et manibus fustibus cæderetur. Accurrunt autem carnifices electi; allati sunt fustes fortissimi. Hinc inde tortores assurgunt, artusque viri Dei collidentes atterunt. Membra percurrunt singula, ut nihil sit in corpore quod illæsum remaneat. Aer resonat ictibus, sed ex patiente martyre nullus auditur gemitus.

11. Aurelianus interea vociferabatur : *Hæc tibi sunt, Saviniane, dolorum principia; hæc tuæ insaniæ recompensa merita. Hi tibi sunt nuntii quæ et quanta gravia supervenient tibi. Esto igitur pertinax in errore, et ego ero multo pertinacior in tui persecutione.* Ad quem Dei martyr : *Terra fructifera quanto magis excolitur, tanto amplioribus abundat fructibus. Terra siquidem corporis mei est, Aureliane, in manibus tuis. Esto igitur durus agricola : sulca eam altius verberum aratura. Rescinde illam per omnia tormentorum genera. Excoque ipsam igne totius tribulationis, ut desudet, si quid in ipsa est rubiginis.* Ad hanc vocem impius Aurelianus novo genere tormentorum excogitato pœnas intendit beato Saviniano. Fecit enim galeam æneam succendi et ejus capiti succensam apponi, quatenus excocto cerebro aut mors ex passione sequeretur, aut in eo sensus omnes periclitarentur. Sed pius Dominus non defuit martyri suo, qui eum sanum et incolumem liberavit ab ipso periculo. Sed eorum qui aderant spectaculo illi tres viri, de cœlo siquidem illustrati, indignantes dixerunt imperatori: *Æternam perditionem meretur quicumque ob justitiam aliquem persequitur. Te itaque, imperator, qui virum Dei pro veritate quam prædicat, impie mortificas, mortis æternæ debita præstolantur incendia. Scienti quidem loquimur, quod apud inferos stant sua merita malefactoribus. Ibi tanto sunt majora supplicia, quanto hic graviora sunt facinora.* Sed his verbis Aurelianus finem acceleravit, mox eos præcipiens ibi decollari. O felix martyrium, quod vice baptismatis sordes abluit mentium! quod etiam agonizantes cum gloria provehit ad cœli palatium! O felices viri

isti, quibus collata est gloria martyrii, per quod meruerunt et evadere mortis aculeos et beatam ducere vitam, regnantes cum Christo!

12. Videns autem beatus Savinianus impium tyrannum in suis defecisse, Christi vero milites laureatos cœlos conscendisse, exultans et gaudens benedicit Dominum, qui suis quondam dixerat : *Confidite, quia ego vici mundum.* Ipse autem jam cupiens cursum consummare, suspirans ad repositam coronam justitiæ, ut bonus miles resumptis viribus promptus ad bellum progreditur. Dolet deferbuisse tyrannum, dolet sibi dilatari optatum triumphum. Optat itaque augmentari sibi supplicia, ut augmententur suppliciorum merita. Ostendit viros hujus militiæ, virtute licet in corpore deficiente, eos tamen ad hoc bellum nunquam deficere. *Quid agis,* inquit, *Aureliane? Ubi est ferocitas tua? ubi insania? ubi dementia? Videsne, miser, quanta sit Christi militum fortitudo et quam nullus in eos sævientium furor?* Aurelianus his verbis inflammatus, tormentum molitur omni tormento gravius. Quid enim acrius igne? Igne etenim apud inferos torquentur animæ, quia nullum genus tormentorum immanius est hoc genere. Acceleratur itaque ex præcepto Cæsaris lectus ferreus super quem martyr venerandus extensus igne supposito exuratur. Pyra extruitur rogo, non qualiscumque sed statura altior; sed ut positus ignis arderet ad votum, sufficienter infunditur oleum : cujus quidem ardoris immanitate lectus ferreus incepit liquescere. Rex autem impius furore plenus, ira succensus, arguit tortores, instigat carnifices, ut suscitent flammas, agitent incendia, quatenus ille rebellis et contumax vel modo victus conquiescat. Sed quid Dominus virtutum? Quid, inquam, rex gloriosus martyrum? Profecto affuit suo militi in tanto periculo incendii, ut quondam tribus illis pueris in camino illo ardenti. Etenim sub umbra alarum suarum eum protexit a pressura flammæ, quæ illum circumdedit. Et cum in medio ignis non æstuaretur, quam mirabilis Deus sit in sanctis suis notum fecit omnibus. Aurelianus autem existimans de martyre totum esse concrematum [1] gaudens intuetur inter globos flammarum : et quem putabat esse redactum in cinerem, videt lætum et incolumem Deumque benedicentem. O Aureliane infelix, cur in hoc Nabuchodonosor non imitaris? Ille etenim eos viros quos in fornacem miserat, cum vidisset illæsos Deumque benedicentes, sentiens esse virtutem Dei, gloriam Deo dedit ac benedixit viventem in secula seculorum. O insensate, cur palpas in luce? Cur ea quæ vides non

[1] *cod.* conclamatum.

audes credere? Vides miraculum : cur non converteris ad Dominum? Forsitan non potes? Immo vero non potes, quia jam damnatus es.

13. Iterum nequissimus ille tyrannus virum Dei præsentatum sic alloquitur: *Ut quid, Saviniane, non misereris tui? ut quid vitam perdis, gaudia quoque mundi? Est enim potius mori quam vivere in tormentis, atque doloribus vitam consumere. Quare acquiesce consiliis et immola diis. Noli confidere in maleficiis, quæ cedent suppliciis. Sufficiat tibi jam multos consimiles dedisse morti.* Ad hæc Savinianus: *Utinam, Aureliane, intelligeres quod tuum vivere mors est, eorum autem mori vita est. Habet enim nostra religio ut etiam nostros diligamus inimicos, et licet mihi mineris mortem, tibi tamen opto vitam atque salutem non modo temporalem sed potius sempiternam, quæ datur universis per fidem Domini nostri Jesu Christi. Cujus quidem fidei gratia si forte dignus esses, ex rege mortali fieres immortalis, et terrenum imperium felici commercio fieret tibi sempiternum. Noli,* Cæsar ait, *Saviniane, me velle seducere, noli mihi fraudes contexere. Insipientium est credere tuis fabulis. Vulgalium est plaudere tuis ineptiis. Jam cessent frivola tua et loquantur supplicia nostra.* Præcepit itaque Aurelianus ut trabes magna humo infigeretur, cui alligatus Savinianus undique sagittis transforaretur. Factum autem nihil moratur dictum; moratur tamen, sed non sponte, quod dixerat *martyrium.* Nulla etenim earum quæ immittebantur sagittæ, virum Dei poterant attingere: quippe quem Deus sub tegumento manus suæ protegebat undique. Quædam autem sagitta immissa arcu valido, resiliens divino judicio, impium Aurelianum perstrinxit in oculo. Merito quidem oculo exteriore obcæcatur, qui lumen cordis ex suo reatu habere non meretur. Cæsare itaque jam devicto et mirabilius ab uno quam ab omni orbe triumphato, manifeste Deus est in Saviniano magnificatus, Savinianus vero in Deo honorificatus: alter in altero glorificatus. Sed tyrannus ille, jam ex duritia cordis judicatus atque ex multa malitia damnatus, nec ullum *miraculum* attendit, ut ad fidem veniat, nec ullum flagellum patitur ut flagellantem agnoscat. Denique rex ille dæmoniacus totiusque perditionis filius, jussit ut vir sanctus iterum vincularetur ut nemo pejus nullusque gravius, sicque male tractatum detrudi in horrendum ergastulum, adhibita etiam diligentia custodum.

14. Sanctus itaque Savinianus in formidoloso carcere vinculatus, ad Dominum mittit suspiria ; preces fundit consequenter et lacrimas, et ut miles bene meritus a rege suo requiem deprecatur : precatur, inquam, ut det ei misericorditer beatam introire patriam, non tamen præter martyrii sanguineam palmam. Hæc est enim via ab imperatore jam attrita, ab ejus quoque exercitu maxime atterenda. Et bene decet conjuratos milites, quos eorum rex sustinuit et eos sustinere labores. Hæc est igitur summa sui desiderii, sedere ad mensam potentis et bibere calicem Domini sui, non tamen alibi nisi ubi adeptus est gratiam regenerationis. Hoc nimirum habet in voto, ut ibi per passionem moriatur mundo, ubi per baptismum mortuus est peccato : ut sit videlicet filiis suis patronus præsens corpore, quos vivens Christo adoptaverat sancta regeneratione. Et quoniam desideria sanctorum sunt quædam orationes apud Dominum, exaudivit famulum suum Omnipotens, ad eum ex pio voto clamantem. Affuit itaque virtus divina, catenas quidem confringens et custodes cæcitate percutiens, ut quondam sceleratos Sodomitas, Loth sancto Sodomam egrediente cum sua familia. Redit igitur vir ille sanctus, non ut hostes fugiens, quos certo in loco præstolabitur ad pugnam, nec ut mortem declinans, quam sibi sperabat futuram esse ad gloriam ; sed ne videlicet filii sui lugerent mortuum absentem, quem multum dilexerant vivum præsentem.

15. Hæc autem audiens rex ille nefandus, tanta siquidem ira succenditur ut nihil melius quam ignis ardens esse videretur. Inculpatur itaque carcer, quod male factus atque constructus fuisset ; increpantur et ministri, quod eum hujusmodi constrinxissent vinculis quæ facile ipse confregerit ; maxime autem arguuntur custodes, quod eos ebriosa somnolentia plus nimio aggravasset : et ille impius non minus ardet sancti viri martyrium quam aliquis esuriens copiosum prandium, et nihilo minus efflagitat mortem quam quilibet sibi fontem in æstu maximo sitiens. Etenim quanto meliorem christianum eum esse sentiebat, tanto magis illum transglutire cupiebat, doctus scilicet a magistro suo, de quo ait propheta : *Esca ejus est electa.* Quia scilicet viros summos et electos gravius diabolus semper impugnat, ut ex eorum ruina quasi quamdam deliciosam refectionem sibi efficiat. Congregat itaque electos quosdam milites, se in omni

crudelitate æquiparantes, eosque immittit ut virum Dei persequantur festinantes : non ut teneant et adducant, sed comprehendant et interficiant. Illi autem tum [1] ex regio præcepto stimulati tum [2] ex sua malitia instigati, ut hostem insequuntur famulum Dei. Transcurrunt pervia, scrutantur devia. Nulla eos retinet asperitas viarum, nulla moratur vastitas locorum. Tandem autem investigando vestigiis ejus insistunt. Ut autem ventum est ad littora Sequanæ, nam eo audierant transeundum esse, haud immerito perterriti ex nimio flumine, substitere. At Savinianus succincto itinere illos præveniens, jam circa eadem littora venerat ad Sequanam : cujus quidem alveus nimium redundans pluviis hiemalibus non erat cuiquam facilis, pedestri scilicet transitu. Sed fides sancta eum ingredientem sustulit super undas, et quem sensit in se non dubitantem transtulit ad terras nihilominus periclitantem. O veneranda pariterque prædicanda virtus fides, quæ admirante natura undas calcabiles reddit, et montes de loco mutatos natabiles facit !

16. Hujus autem virtute vir Dei translatus undas, ad locum suum venerat, precatus etiam ut ad votum perveniat. Venerat, inquam, ad locum baptismatis quem desideraverat : precatur quoque ut ad palmam martyrii perveniat, ne forte miles inglorius videatur, si regem suum passum sine passione sequatur. Sed qui aspirabat votum, præparabat effectum [3]. Namque vir sanctus, elevatis oculis ad alterum littus, turbam persequentium ibi consistere intuetur. Quibus transeundi erat magna voluntas, sed nulla possibilitas. Orante tamen viro Dei, factus est transitus quam facilis. Nam Sequana facta est eis vadum, merito viri Dei, non qualitate temporum. His autem advenientibus, non tamen eum interpellantibus, sic eos alloquitur beatus Savinianus : *Quid agis, miles, velox usque modo, nunc autem piger ? Ecce me quem quæris : exequere ad quod venisti. Nos certe obedientes nostris imperatoribus, digni eorum laude efficiemur : tu quidem me persequendo, ego vero patiendo ; tu me occidendo, ego vero moriendo. Et unumquemque nostrum manent sua præmia meritorum : me quidem vita æterna ; te vero manet mors perpetua : et me perennis beatitudo, te vero sempiterna confusio. Verumtamen tua culpa scelus est alterius. Et tuum commissum perenne est regis tui exitium. Ne ergo moreris gaudia mea, neve diutius differas præmia mea. Exere ensem et effunde sanguinem ; meique cruoris guttas aliquot suscipiens veste, deferes Aureliano ex nostra benedictione, ut inde tacta pupilla luceque recepta confiteatur*

[1] *cod.* tunc. — [2] *cod.* tunc. — [3] *cod.* affectum.

vel modo Christi mirabilia. Unus autem eorum qui venerant ex præcepto regis, calefactus admonitione viri Dei, viriliter quia semel percutiens beatum decollavit martyrem. Ex cujus effusionc sanguinis, ut vir sanctus prædixerat, vestis est crueutata gladiatoris.

17. At beatus Savinianus in se ostendens Dominicum illud : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viret,* abscissum retinens caput, viventis officium exequitur. Illud etenim suis gestans manibus coram ipsis persecutoribus, usque ad locum habilem sepulturæ deportavit longius. Ibique illo deposito pariterque corpore suo, beatus ille spiritus cœlos conscendit laureatus, accipiens coronam justitiæ quam ei reposuerat Rex æternæ gloriæ. Audiens autem hoc populus acquisitionis, universa scilicet Ecclesia Trecensis, tum [1] mœrore nimio concutitur, tum [2] lætitia maxima sustollitur, Dolet quippe tantum patronum se amisisse ; gaudet quoque in tantis pressuris beatum martyrem trinmphasse. Hinc itaque dolor, hinc lætitia accumulant sibi invicem fletus et gaudia. Currit igitur omnis sexus et diversus populus, tumulantes sanctum corpus cum honore et reverentia, ubi ipse locum sepulturæ sibi delegerat. Ibi etiam ejus meritis intervenientibus plurima beneficia præstantur supplicibus a Domino Jesu Christo, qui est mirabilis in suis martyribus. Passus est autem venerandus martyr nono Kalendas Februarii ; de cujus passione gaudent angeli omnesque cives cœlici, et collaudant Filium Dei.

18. Persecutores autem redeuntes ad Cæsarem vesteque cruentata tangentes ejus pupillam, luce recepta eruperunt omnes in laudem. Visa etenim tanti miraculi virtute, rex et alii adstantes Deo nostro gloriam dedere. Sed quoniam thesaurus absconditus, dum latet nihil prodest, dum vero in manibus est ad plurima bona valet : idcirco Dominus post nonnullos annos beatum martyrem dignatus est revelare populo suo, ut inde præsumeret spem misericordiæ, ubi videret gratiam divinam redundare. Ejus etenim sepulturæ locus ob nimiam persecutionem minus frequentatus, vix jam cuiquam certus, soli Deo tunc temporis erat cognitus. Fit igitur ager ille miraculis floridus : fit campus ille in circuitu redolens virtutibus. Excitantur itaque remoti odore, attrahuntur vicini dulcedine : conveniunt ægroti, recepta exultantes sospitate.

19. Fama ergo tantorum gaudiorum longe lateque volitante, quædam venit mulier venerabilis, Siria nomine, quæ habens oculos officium tamen oculorum jam perdiderat multo tempore. Illa

[1] *cod.* tunc. — [2] *cod.* tunc.

itaque non hæsitanti corde veniens, meruit et quem amiserat recuperare visum, et invenire quem desiderabat occultum thesaurum. Sancta nimirum mulier, quadam ducente * cœmiterium ingressa, et tumulum viri Dei ubinam quæreret, prorsus ignara, tandem astitit cuidam loco. Mentem erigens ad cœlos suspiria emittit, lacrimas effundit; Christum planctibus invocat, sanctum martyrem precibus exorat. Nondum equidem oratio complebatur, et ecce mulier jam exauditur : quod beneficio collato Dei martyr protestatur. Oculi etenim reparantur ad usum et, depulsa caligine, pupillæ reformantur ad visum. O quantas laudes quantaque præconia mulier ea fundit ad sidera! O quam multiplices gratiarum actiones illa beato martyri refert! O quoties osculatur præ gaudio terram ubi procul dubio sciebat requiescere sanctum Dei martyrem!

20. Divulgato igitur hoc facto, accurritur a civibus, acceleratur ab omnibus. Lætantur communiter, Deo laudes resonant omnes, quia ipse tam præclaro miraculo dignatus est revelare martyrem suum populo suo. Ergo ex communi sententia, hortante plurimum beata Siria, honeste locus emundatur, ecclesia decenter construitur : et eam nunc certi tanto ardentiore animo ædificant, quanto prius incerti majus construendi desiderium habuerant. Qua diligenter ædificata, beata Siria non immemor accepti beneficii, Deo se ibi ac beato Saviniano servire devovit. Ubi continuis se affligens jejuniis, orationibus vacans et vigiliis, se vivam hostiam Domino immolavit. Ac sic juste et sancte vivendo, per immensum vitæ martyrium ac per magnæ devotionis famulatum meruit adipisci sancti martyris in cœlo consortium, adjuvante Domino Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

* *in apogr. nostro :* quædam ducente ; *et post vocem* ducente *spatium vacuum capiens verbum mediocris longitudinis.*

APPENDIX

AD

CATALOGUM CODD. HAGIOG.

BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ ET CIVITATIS

GANDAVENSIS.

Ex codice Gandav. n° 224 (W. 213; St-G. 149).

DE S. AMANDO. (Vide *Analect. Boll.*, tom. III, pag. 169, 2°.)

Suppletio quæ addita est libello vitæ sancti Amandi a Milone monacho et sacerdote cœnobii ipsius.

Prælato libello de virtutibus S. Amandi edito, sciendum est quantus vir idem et cujus honoris apud homines habitus est, licet ipse declinare honores mundi semper desideraret. Nam reges et reginæ pluresque illustres viri ei venerationis gratia plurimum impendere studuerunt, et de facultatibus suis vivum * adhuc illum * in corpore manentem, non modice ditaverunt. Villas quoque et prædia ac proprias hereditates, cognoscentes eum servum esse Domini, fidelissima devotione ei se conferre gaudebant. Ubi ipse vir Domini Amandus, sagacissima industria fidelibus viris et Christo sincere desiderantibus militare, monasteria construendo studiosissime elaborabat. Nam monasterium quod dicitur Blandinium in castro Gandavo situm, aliudque quod vocatur Martianas, necnon et illud cui ipse sanctus vir Lotosa nomen imposuit, seu Rotnace, quod est præfato pene contiguum, cellulamque quæ nuncupatur Barisiacus, quem locum cum adjacentibus sibi appendiciis illi Childericus rex et Hymnechildis regina visi sunt condonasse : cuncta hæc ab ipso Dei viro ædificata fuisse, pene omnibus notum est. In quibus locis fratribus vel monachis sub regulari norma constitutis, superpositisque abbatibus et omnibus bene ordinatis, ad postremum Elnonæ cœnobio ædificato, ipse ibidem cum suis usque ad sanctissimi obitus diem Christo feliciter militavit. Ergo et apud Martinum, sanctissimum ac beatissimum papam sanctæ atque apostolicæ sedis urbis Romæ, qui septuagesimus quintus post Petrum apostolum Romanam rexit ecclesiam, plurimam familiaritatis ac reverentiæ gratiam obtinuit. Cui etiam præfatus apostolicus, inter cetera tantæ dilectioni digna xenia, direxit volumen syno-

* *cod.* vivam.
* *cod.* illo.

dalium decretorum quæ ipse edidit, utpote pastor vigilantissimus, custodiens cum summa sollicitudine in nocte hujus seculi vigilias supra gregem Dominicum sibi creditum, adversus lupos ac prædatores ecclesiæ hæreticos, Cyrum Alexandrinum episcopum, Sergium Constantinopolitanum episcopum, Pyrrhum Paulumque patriarcham, successorem illius, concurrentes sibi vicissim in hoc certamen, unam operationem in Christo Domino Deo nostro divinitatis et humanitatis profiteri audentes, cum orthodoxa fides ecclesiæ catholicæ pro sensu confiteatur duas in Christo convenienter naturas et operationes. Operatur enim utraque forma, divina atque humana, in una Salvatoris nostri persona cum alterius communione quod proprium est, Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exsequente quod carnis est; et unum horum coruscat miraculis, aliud autem succumbit injuriis. Ut sit proprietas divinæ naturæ Christi divinitus eum velle et operari divina, proprietas vero humanæ naturæ humana velle et operari humane; ut adprobetur in una quidem persona, sed in duabus naturis, Deus et homo naturaliter esse. Quam columnam orthodoxæ fidei sancta synodus Chalcedonensis statuit, universorumque chorus patrum catholicorum confirmavit. In destructionem itaque suprascriptæ hæreseos atque expugnationem superbiæ contra scientiam Dei se elevantis, sed* et confirmationem dogmatum divinorum, supra nominatus Martinus, pietatis advocatus, sicut in gestis pontificalibus legitur, misit et congregavit in urbe Roma episcopos centum et quinque, et fecit synodum secundum instituta patrum orthodoxorum, juxta episcopium Lateranense, residentibus episcopis, presbyteris, adstantibus diaconibus ac clero universo, et condemnaverunt Cyrum Alexandrinum episcopum, et Sergium Constantinopolitanum episcopum, Pyrrhum etiam successorem ejus, Paulum quoque ejusdem urbis patriarcham, qui inflati superbiæ spiritu, adversus recta sanctæ Domini ecclesiæ dogmata audacter præsumpserunt paternis definitionibus contraire, atque novitatis commentum contra immaculatam fidem conati sunt innectere. Quippe, quoniam ipsam excludere properantes, hæreticorum dogmatum contra catholicam Dei ecclesiam confusionem concinnaverunt, anathematis ultione perculsi sunt. Præterea Martinus papa beatissimus faciens exemplaria prædicti voluminis synodalis, per omnes tractus Orientis et Occidentis direxit, eaque per manus orthodoxorum fidelium disseminavit. Cujus etiam exemplar in papyreis schedis editum patri nostro, sibi dilectissimo pontifici, direxit Amando, quatenus ipsius industriosa sollicitudine ejusdem sacrosanctæ et intemeratæ fidei promulgationes Galliarum ecclesiis vulgarentur. In hujus insuper fine voluminis, quod uno quidem corpore sed quinque incisionibus librorum divisum est, sæpe dictus Martinus, episcopus sanctæ sedis apostolicæ, etiam specialem epistolam viro Dei transmisit Amando, per quam decreta synodalia suamque erga ipsum benignam dilectionem satis abundeque monstravit. Ac ne adflictionum angoribus coartatus a pio mentis suæ proposito recederet admonuit, et sermonibus insuper exhortatoriis ad tolerantiam tribulationum quibus a contrariis divinæ religioni presbyteris seu diaconibus aliisque sacerdotalis officii ministris gravabatur, animare studuit. Pro quorum postea augescentibus in deterius sceleratorum actuum incorrigibilibus excessibus, sicut librum vitæ ejus legentibus

* *cod.* seu.

liquet, etiam cathedram episcopii sibi commissi deseruit; pulveremque pedum suorum super contemptores suæ prædicationis juxta evangelicum Domini præceptum in testimonium illis excutiens, ad loca alia demigravit. Præterea etiam jam dictus apostolicus ejusdem patris curæ Sigebertum Dagoberti filium, regem videlicet Francorum, commendare studuit. Qui olim adhuc infans, necdum quadragenarium dierum excedens numerum. dum a beato Amando benediceretur, *amen* dulce quod necdum corporis usu didicerat, pro tanti pædagogi merito declarando, clara voce post sacræ finem orationis pronuntiavit. Ut vero prædictæ locutionis nostræ adsertio deterso dubietatis nubilo confirmetur, præfatam epistolam ejusdem papæ ad beatum Amandum directam huic nostro sermoni subjungere placuit. Cujus iste modus est.

DE EODEM S. AMANDO.

Brevis notitia de fundatione cœnobii blandiniensis. Hoc fragmentum, quod (*Analect. Boll.*, tom. III, p. 170, 11°) promiseramus editum iri hic in Appendice, jam extat typis excusum in *Act. SS.*, tom. I Nov., p. 358, insertum scilicet Commentario de S. Florberto, num. 7, ad diem 2 Novembris.

Ex codice Gandav. n° 244 (W. 79bis Suppl.; St-G. 155).

DE S. CASSIANO EPISCOPO AUGUSTODUNENSI. (Vid. *Analect.*, t. III, p. 173, 6°.)

Incipit vita sancti Cassiani episcopi.

1. Egregium [1] summæque utilitatis præcipuum est sanctorum vitas describere eorumque merita præconiis attollere summis. Ergo beati Cassiani pontificis vita luculentiori præcipue elucidanda est stylo, qui in tantum placere studuit [Deo]

[1] Eadem hæc Vita recensenda erit in Catalogo nostro Bruxellensi ad codicem n° 7666-71. Exhibemus proinde jam hic lectiones variantes et epiphonemata quæ scriba codicis Gandavensis omisit. — Incipit discrepantia jam a prologo, qui sic legitur in cod. Brux. (quem notabimus littera *B*, codicem Gand. notantes littera *G*): **Præfatio Vitæ sancti Cassiani.** Imitabiles sanctorum actus describere eorumque memorias celebrare, velut lumina est detegere, fulgorisque in se lucentis beneficia ceteris benignitatis studio patefacere: non tantum temporalis commodi causa, ut ex his vita metiatur honesta, quantum ut vita adipiscatur æterna. Sunt enim vitæ sanctorum intellectualiter conspectæ quemadmodum in cœlo sidera fixa. Quæ si aspiciantur suo astrico lumine, beneficia humanis gressibus præbentur. Et, si imitabiliter considerentur, quomodo terrenarum cavendæ sunt tempestates rerum, plenissime docent. Sed hæc, si ignorantiæ nube fuerint tecta, licet suis potiantur fulgoribus, nulla tamen sunt præbentia mortalibus beneficii dona. Si vero fuerint sua dignitate humanis patefacta conspectibus, quid in se sint manifestatur, quidque valeant mortalibus liquido ostenditur. Egregium ergo est sum-

ut et æternitatis præmio et felicitatis dono digna retributione remuneraretur in cœlo.

Igitur [1] sanctissimus Cassianus episcopus vir genere Ægyptius fuit et [2] apud Alexandriæ urbem nobiliori [3] ac ditiori prosapia oriundus. Hic denique puerulus apud [4] parentes degens et bonæ indolis esse incipiens, ætatulam suam Christo Domino [5] consecravit [6]. Quem [7] divina providente gratia sanctus Zonis episcopus et martyr suscepit, eumque [8] venerabiliter enutriens [9] cœlestibus [10] instruxit disciplinis. Factumque est ut ex tanti consortio sancti evangelicis [11] atque apostolicis instructus dogmatibus, vir jam esse iucipiens, ut ætate ita et meritis apud Dominum augeretur. Diligebat namque secundum Scripturæ sanctæ [12] præceptum [13] ex toto corde et tota virtute Deum [14], nihilque [15] tanto amori præponens [16], orationibus assiduis et [17] vigiliis continuis [18] in laude divina vacabat [19]. Satagebat quoque [20], sancto viro sociatus Helarino [21], sanctorum martyrum loca frequentare, ferventique ac devoto animo dignis [22] excubiis venerari [23]. Habitaculum [24] etiam ad jugem peregrinorum susceptionem ampliari fecit, largissimis insistens eleemosynis, curam indeficientem habens egentium, necessaria eis tribuens, pedes lavans, mensam

mæque utilitati præcipuum sanctorum describere vitas, in quibus mirabilis gratia Dei refulsit, qui secundum Scripturam mirabilis est in sanctis suis, præstans superare terrena, consequi posse cœlestia, beate vivere in terris, nunc feliciter in cœlis: tantum homines qui fuerant quondam, nunc divino munere plus esse quam homines; ut quantum concipere non potest homo, divinæ virtutis gratia donati, temporali vita absoluti, plus valeant quam homines. Ita ut, in æterna Dei virtute manentes, suis precibus valeant obtinere quod salutiferum est hominibus posse adipisci, non solum corporaliter in terris, sed et spiritualiter in cœlis. Ex quorum numero beati Cassiani pontificis vita præcipue est prædicanda : qua in tantum Deo studuit placere, ut divinitatis judicio libratum fuerit hunc debere æternitatis præmio felicitatisque dono et beatitudine perpetua in cœlum evectum digna retributione remunerari. Cujus nos meritis adjuvari humiliter poscimus, ut quæ scribere aggredimur, condigna reverentia valeamus. **Explicit præfatio.** — [1] **Incipit descriptio vitæ sancti Cassiani.** Sanctus namque ac beatissimus Cassianus episcopus, vir genere... — [2] ac. — [3] (nobil.-oriund.) laudabili familia ortus, quod et locupletio rerum exuberans et generis dignitas fecit. — [4] *ita B;* erga *G.* — [5] *om.* — [6] seque voluntatibus divinis, licet ætate adhuc tenera, totum subjecit *add.* — [7] (Quem-sanctus) Divina igitur provisione factum est ut tam devotum puerulum non nisi ecclesiastica sacerdotalisque erudiret disciplina. Sanctus enim eum. — [8] (susc. e.) ad se suscipiens. — [9] enutrivit. — [10] (cœlest. disc.) cœlestibusque d. instruxit, ac evangelicis dogmatibus et apostolicis quibus ipse auctore Deo imbutus fuerat, beatum Cassianum puerum instruens, tamquam in dilectum heredem se totum transfudit. — [11] (evang.-dogm.) qui per se puer Domino placere studuit. — [12] (S. s.) s. Script. — [13] Deum *add.* — [14] *om.* — [15] nihil. — [16] æstimans pro nihilo omnia præterquam quod erat gratia divina *add.* — [17] instans (*loco* et). — [18] *om.* — [19] vacans, illi se in juventute totum exhibuit, cui se in pueritia consecravit. — [20] etiam. — [21] (s. H.) Elarino soc. — [22] ea *add.* — [23] optans se eorum meritis adjuvari, quos, si judicio Dei placeret, vellet imitari. — [24] (Habitaculum-fecit) Ampliavit insuper deinde beatus Cassianus habitaculum suum, ad jugem p. s., quam, amore divino artius vinctus, jugiter necessitatem patientibus exhibebat.

ponens, aquam manibus fundens, cibum ministrans. potum tribuens, languentes procurans, et cetera his pietatis officiis similia plenis caritate visceribus exhibens [1], quærens in omnibus his non sua, sed quæ Jesu Christi. Talibus igitur sollicitudinibus insistendo, divulgata est fama ejus per Alexandriam et totam Ægyptum, quod Cassianus magnis floreret meritis ac in divino cultu egregiis virtutum officiis; cœpitque in propria Ægypti provincia præcipuus haberi, quem talibus factis Dominus voluit notum fieri.

2. Temporibus ergo Juliani, impiissimi imperatoris, persecutionibus acerrimis agitabatur ecclesia, in tantum ut, multorum [2] sanctorum martyrum sanguine fuso, etiam ecclesiæ Ægypti claudi obstruique fuerint [3] jussæ. Quam persecutionem Cassianus non metuens, in Dei cultu ut cœperat indeficienter laborabat. Interea Zonis episcopus, præceptor beatissimi Cassiani, ob fidem nominis Domini Jesu Christi martyrio est coronatus. Quem beatus Cassianus gloriosa veneratione suscipiens in ecclesia quæ Sanctorum Martyrum dicitur cum aliis simili gloriosa nece prostratis sepelivit II kl. maii. Deinde quippe ob recordationem tanti magistri tantique martyris gloriosi sacrosanctis solemnitatibus est prosecutus, in tantum ut memoriam ejus ob gloriosæ passionis suæ triumphum quotidiana veneratione debitis exequeretur officiis. Mortuo dehinc Juliano, impiissimo Augusto, divinaque tanto blasphemo interempto virtute, Jovianus, vir christianissimus, electione Dei Romanorumque militum acclamatione in imperium extitit subrogatus [4]. Hujus ergo temporibus ecclesiæ olim clausæ apertæ sunt, divinisque cultoribus sacras ædes adeundi locus concessus. Hac [5] respirandi quiete adepta, populus Ortensis [6] urbis, episcopo indigens, inquirendo pontificem, misericordiam Domini cœpit implorare. Præsente igitur imperatore populus urbis Ostiensis [7] Cassianum pontificem ordinandum acclamavit [8], Cassianum a Deo [9] fieri episcopum. Quod vir beatissimus audiens, digna humilitatis reverentia imparem se tanti ministerii [10] respondit, ac per hoc se acquiescere non posse multis prosecutionibus denegavit. Sed populus, divina virtute motus, populari more strepituque plebeio irruens super eum, dixit : *Cassianus, civis noster, dignus, justus, castus et sobrius, oportet noster ut fiat episcopus.* His omni ætate et utroque sexu acclamante, vox ad cœlum attollitur, et mens Cassiani ad consentiendum tantis vocibus moderatur. Sicque [11] ab alio Cassiano, episcopo Asiano, in Ostensi [12] civitate sanctus Cassianus ordinatus est episcopus.

3. Qui postquam solium pontificale ascendit, ditatus olim beatæ vitæ virtu-

[1] *add. ex B; om. G.* — [2] multo. — [3] *ita B ;* fuerunt *G.* — [4] Qui cum a paganis militibus ad imperatoriam dignitatem eligeretur, respondit se super paganos imperatorem fieri non posse. Militibus deinde acclamantibus omnes se cum eo christianam fidem velle tenere. Jovianus * consensit monarchiamque Romani imperii suscepit *add.* — [5] Ac. — [6] Ostensis. *Litteræ* r *abrasæ in G manent tantum vestigia.* — [7] Ostensis. — [8] Quibus vocibus non solum imperator assensum præbuit, verum etiam cum ceteris acclamavit *add.* — [9] electum *add.* — [10] *ita B;* misterii *G.* — [11] (Sicque-Asiano) Præsente igitur alio Cassiano, ab Asia episcopo, in ecclesiam susceptus. — [12] Ortensi.

* *ita nunc ; prius* Jovinianus.

tibus, auxit pietatis opera, qui sacerdotalis gradus auctus est gratia; jactantiam vitans et mundales [1] spernens honores, nullis pecuniarum gazis deserviens, sed pauperum usibus quæque [2] habebat distribuens: thesaurum cœlo condens, ubi eum possideret, cum a terrenis solutus in perpetuum vivere inciperet; semper habens in memoria quæ possessurus erat in vita æterna. Instabat prædicationibus, docens et instruens populum ad fidem Christi, ad religionis cultum, ad felicitatis æternæ præmium. Monuit doctrinis, ostendit exemplis. Præibat gregem commissum pastor egregius; tendebat ad Christum pontifex beatissimus, quo desiderabat ut perveniret omnis grex sibi commissus. Erat enim vultu clarus, sed clarior mente; dulcis eloquio, mansuetissimus conversatione; sine dolo, sine felle amaritudinis, columba Christi et animal regis æterni; facie lætissimus ac mente semper serenissimus, ut vultu doceret qualis beatissima mente esset. Hic [3] denique primum in urbe Ostensi [4] construxit ecclesiam et multum clericorum officiis rebusque necessariis ditavit. Sed priusquam pontificali consecratione dedicaretur, Laurentius, beatissimus martyr, ei per visum apparuit, et ut eadem ecclesia suo nomine dedicaretur monuit. Quod vir beatissimus Dei nutu fuisse cognoscens, sancti eam Laurentii nomine consecravit: unde et eadem ecclesia huc usque Laurentiana nominatur. Talibus quippe operibus insistens, videlicet in ecclesiarum constructionibus et acceptabilibus Deo prædicationibus, sanctus Cassianus episcopus vitam [5] degebat, mortuus mundo, vivens Christo. Cujus vita licet esset in terris, conversatio tamen erat in cœlis.

4. Interea beatus pontifex magistri sui, sancti videlicet Zonis, exempla in memoria [6] reducens, dum omni desideraret eum imitari virtute, martyrium vidit deesse. Hoc enim majus gloriosiusque in eo fuerat, quod bonis operibus, quibus et discipulum imbuerat, ad palmam usque martyrii pervenerat, ubi ejus probata est constantia, ubi fortitudinis virtus et ubi divini amoris ardor. Dum ergo tantum dignitatis [7] culmen beatus Cassianus sibi deesse conspiceret, meritorum perfectionem desiderans, de peregrinatione meditari cœpit [8]. Hac ergo sollicitudine laborans [9] obviam habuit gratiam divinæ pietatis. Nam, cum se intentissimis [10] orationibus pro hac meditatione dedisset, explorans supplici prece divinæ voluntatis indicium, revelatum est ei auctore Deo oportere eum in Gallias pergere ibique prædicationibus Domini insistere. Hac ergo divina cognita voluntate, magno perfusus est gaudio, quod suæ sollicitudini divina concordaret voluntas. Fixitque mente quod conceperat, jam definiens apud se quod olim meditaverat. Convocatis igitur coepiscopis suis, primo voluntatis suæ eis patefecit indicia; postea vero revelationem divinam prodidit, quod ei Dominus ut faceret ostendit. Sed episcopi qui affue-

[1] mundiales. — [2] *sic codd. ambo.* — [3] Hinc. — [4] Ortensi. — [5] *codd.* vita. — [6] memoriam. — [7] *ita B;* divinitatis *G.* — [8] Quatenus imitando Abraham, cui jussu divino dictum est : ***Exi de terra tua et de cognatione tua, et vade in terram quam monstravero tibi ; faciamque te ibi in gentem magnam :*** et illud evangelicum, Salvatore dicente : ***Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus :*** Christi gratia præveniente, etsi non ad martyrium, ad gloriosum tamen ejus perveniret discipulatum *add.* — [9] *ambo codd.* laborantem. — [10] *sic.*

rant [1], in divinitatis cultu tanto socio carere nolentes, maximis ei contradicere conaminibus cœperunt. At ubi voluntatis divinæ cognoverant causam, coacti sunt assensum præbere, ubi fas non erat resistere. Similiter et clerus, agnita episcopi sui voluntate, etsi primo pro sua desolatione magno certamine restitit. postea tamen consensit, ne vim faciens offenderet, ubi resistendi periculum cognoverat.

5. Ordinata ergo cum episcopis [2] suis omni civitate omnique clero et populo, iter suum ordinare cœpit et ad voluntatem Dei proficisci, eligens secum itineris comites, duos videlicet presbyteros: Domitianum et Didymum, et duos diaconos: Orionem et Neonem [3], et tres lectores : Basamonam [4], Eronem et Honorium, et subdiaconum unum, nomine Ingenianum, bonum valde virum, simplicitate, mansuetudine et caritate plenissimum. Cum his ergo comitibus profectus est beatus Cassianus [5], vocibus clericorum et fletu populi prosecutus, unaque voce clamantium [6] : *Cui nos, beatissime pater, commendas? cui committis? Noster vigilantissime pastor, quare deseris gregem tuum, quem assiduis orationibus protexisti, quem cœlesti doctrina aluisti, diligentia sacra monuisti? Quare* [7] *deseris terram tuam? quare urbem subjectam, quare clerum devotum, quare populum supplicem?* Quæ audiens beatus Cassianus, consolatus est eos [8], et verbis pacificis pacatissimoque vultu hortatus est [9] ut flere desisterent vocibusque talibus indulgerent, neque cordi suo tali prosecutione molestiam inferrent. Deinde beatissimus [10] osculatus est clerum, et elevatis ad cœlum manibus benedixit clero et populo, fusaque pro omnibus generali oratione gregem suum pietati divinæ conservandum prece serenissima commendavit. Qua completa, respondentibus cunctis *Amen*, valedicens omnibus, cœpit proficisci cum suis quos supra moninavimus discipulis, ducente et protegente eos jugi miseratione sua Christo.

6. Exivit denique sanctus Dei [11] confessor, sacram peregrinationem suam incipiens ob amorem Domini Jesu Christi, pridie kalendas aprilis, faciens iter terra marique sex mensibus, occupatus in prædicationibus divinis, commendans Domini Jesu Christi divinitatem pariter et sacram ejus humanitatem, ut unus idemque Deus crederetur et homo, Verbum et caro; destruens idola, comminuens simulacra, confirmans plebem in nomine Domini nostri [12] Jesu Christi [13]. Intravit igitur Africæ portum, Gallias profecturus, inter discrimina maris gaudens protectione divina. Domino ducente, Massiliam, quamquam nesciens, Provinciæ appulit urbem, glorificans magnam Domini virtutem, qui præsente ubique miseratione suos servos non deserit. Quanta autem Dominus illi per adventum confessoris sui contulerit civi-

[1] *ita B;* fuerant *G.* — [2] coepiscopis. — [3] Neonam. — [4] Basomanam. — [5] tamquam verus Israelita de Ægypto festinans ad terram repromissionis, ad gaudia videlicet regni cœlestis, ubi sanctorum animæ omnibus in Christo fruuntur deliciis, dulcedine summa et suavitate perpetua *add.* — [6] *ita B;* lacrimantium *G.* — [7] *ita B;* quem *G.* — [8] *add. ex B; om. G.* — [9] *add. ex B; om. G.* — [10] beatus Cassianus. — [11] Domini. — [12] *om.* — [13] Novus peregrinus verusque Israelita, exiens de Ægypto, paratus in omnibus placere Christo : non Moyse præeunte, non Aaron sacerdote, sed sola Dei firmatus caritate, solidatus fide, sancta tractatus *(sic)* caritate *add.*

tati, quis poterit enarrare, cum hinc prædicationibus, inde orationibus, hinc doctrinis, inde exemplis, hinc caritate, inde divina profuerit virtute? Sed quia necdum [1] ille prædicationis suæ portus extiterat, ordinatione divina ulterius ire præcipitur, adireque Æduæ urbem jubetur, protectus [2] multimoda Dei virtute a discriminibus maris, a paganorum sævitiis et ab hæreticorum insidiis, angelica comitante præsentia et divinitatis gratia.

7. Venit itaque [3] Æduæ urbem [4], cui [5] eo tempore beatus Simplicius præerat episcopus, vir sanctissimus et coram divinis conspectibus pontifex beatissimus. Tertius quidem hic ejusdem urbis regendam suscepit plebem, inveteratis erroribus plenam, idolorumque culturis refertissimam. Cujus prædicationibus et meritis eamdem Dominus cœperat serenare civitatem et ad pœnitentiam ac baptismi gratiam revocare. Denique meritis et orationibus suis eidem Æduorum, quæ et Augustudunensium [6] civitas dicitur, divina administrante gratia conferebat, commendans prædicationem suam virtutibus et merita miraculis. Cum autem [7] Cassianus episcopus, Christi devotissimus peregrinus, ad oratorium sancti Symphoriani martyris pervenisset, orationique attentissime novus hospes insisteret, nuntiatum est sancto Simplicio venerabilem peregrinum adesse Cassianum et ab orientalibus et transmarinis partibus advenisse. Quo audito, Simplicius cum maximo eum [8] gaudio venerabiliter suscepit; et mutuo se amplexantes magna cum dulcedine caritatis sancti se pontifices sunt osculati. Gaudebat enim sanctus Simplicius de tanto hospite, beatus Cassianus de tali susceptore; Simplicius de socio, Cassianus de tali coepiscopo. Atque inter hujuscemodi gaudia pariter mox pro gratiarum actione divinis conspectibus obtulerunt sacrificium, missarum solemnia celebrantes et sanctis precibus pariter insistentes. Deinde beatus Simplicius, cum Cassiano gentilium incredulitati resistentes, cognovit in coepiscopo quantum ei Dominus bonum in tali direxerat [9] peregrino [10].

8. Interea Cassianus sibi augere labores pro Christi amore desiderans, confessus est beato Simplicio in Britanniam [11] se velle proficisci, quæ adhuc tunc gentili tenebatur errore. Quærebat enim sanctus pontifex gladium, licet non inveniret martyrium [12]. Hujuscemodi ergo voluntatem suam Simplicius intelligens, non est passus relinquere socium, quem sibi Christi providentia dignata est mittere in adjutorium. Respondit ergo, artius eum malens retinere, Domini absque dubio cogno-

[1] nec tum *B;* hæc dum *G.* — [2] *ambo codd.* protectum. — [3] igitur. — [4] nescius ad quid duceretur quidque de se divina provisione ordinaretur. Venit ergo ad locum sui episcopii, ubi nec conscius erat hospitii. Nescienti gregi pontifex venit, pontificique grex traditur cujus nulla notitia habetur, providente Deo utrisque, et pontifici et gregi *add.* — [5] (cui-episcopus) Eo tamen tempore beatus Simplicius Æduorum cathedram rexit ecclesiæ. — [6] Augustidunensium. — [7] sanctus *add.* — [8] *add. ex B ; om. G.* — [9] (coepiscopo, direxerat) *ita B;* in quo episcopo, dixerat *G.* — [10] Duo namque pariter erant episcopi, una fide, una caritate, una devotione agentes : pariter prædicantes, pariter orantes, pariter in Christo placere studentes *add.* — [11] *ita B ;* Brittanniam *G.* — [12] Non enim deesset venerabilis confessor, si sævus adesset persecutor. Tamen quod non adeptus est martyrio, adeptus est voto *add.*

scens voluntatem, quod [1] non futurus Britannorum esset episcopus, sed Æduorum, quatenus tempus expectaret: Domino se ducturum quo [2] eligeret. Tali igitur frequenti prosecutione retinuit quem Deus ne ab Augustodinensium [3] loco relinqueretur voluit. Facto autem apud illum triennio, sanctus Simplicius beati temporis sui VIII kal. julii clausit diem. Cujus corpus beatissimus coepiscopus suus Cassianus venerabiliter suscipiens cum debitis sanctorum laudibus sepelivit, offerens ob sanctam commemorationem ejus sacrificium Domino et holocaustum regi æterno.

9. Populus igitur Æduorum, post tanti decessum pontificis, cœperunt [4] egere pontifice ac [5] in locum ejus similem velle subrogare sanctitate. Toto ergo anni spatio quæsitum, nonnisi Cassianum invenerunt, venerabilem peregrinum. Hunc ergo consona voce concordantibusque sensibus super se [6] constituerunt episcopum. Quod mox absque dubio transito facerent sancto Simplicio, nisi multa obesset Cassiani denegatio [7]. Assensum ergo mox præbuit, ubi hoc Deum [8] præordinasse cognovit. Electus autem iterum ad episcopale solium, tantæ vitæ dignitatibus cœpit coruscare. quantis Dei pontificem [9] constat decuisse. Ordinaverat enim illum divina miseratio quantum vitæ meritis, tantum et virtutum miraculis. Reddebat enim auctore Deo suis venerabilibus meritis cæcis lumen negatum, surdis auditum, debilibus optabilem reparationem, ægrotis desiderabilem sanitatem : multis virtutum generibus clarus, multisque sanctitatis signis confessor Christi factus mirabilis. Rexit vero sanctus Cassianus cathedram Augustudunensium [10], talibus ditatus honoribus, XX annis; et tunc sanctæ peregrinationis suæ tempus finiens, de terris cœlum petivit [11]. Post cujus abscessum discipuli ejus, itineris sui comites [12] et peregrinationis socii, vitæ ejus qualitatem describentes, ob magistri sui notitiam et ædificationem christianam posteris reliquerunt.

10. Sed [13] tantum pontificem Dominus licet moriendo sorte humanitatis de terris ad cœlos vocaret, voluit tamen veris indiciis ostendere quod hunc sempiternaliter constet vivere, miro et inaudito hujuscemodi indicio. Postquam igitur ad cœlestis præmia regni beatus Cassianus vocatus fuisset, in tumulo ejus, qui candido marmore extiterat, divina virtus colore [14] contrario crucis, Dominicæ videlicet passionis, signum expressit : ut [15] aperte daretur intelligi hunc veraciter esse redemptum, hunc passione Christi veraciter honoratum : ut præ ceteris mundi ornamentis, secundum apostolum dicentem : *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi*, gauderet in signo quod in redemptionis suscepit dono, efficeretque crux mirabilius divina virtute expressa, quam possent ulla opificum

[1] *ita B ;* quò *G.* — [2] (ducturum quo) *ita B ;* daturum quod *G.* — [3] Augustidunensium. — [4] *add. ex B ; om. G.* — [5] *ita B ;* hac *G.* — [6] *add. ex B ; deest in G.* — [7] *ita B ;* negotio *G.* — [8] *add. ex B ; om. G.* — [9] (D. p.) *add. ex B ; deest in G.* — [10] Augustidunensium. — [11] de hac mortalitate ad beatam immortalitatem migravit; de peregrinatione ad Christi regnum pervenit; confessor beatissimus, pontifex sacratissimus, peregrinus felicitate ditissimus, in gloria cœlesti cum sanctis surrecturus *add.* — [12] (i. s. c.) *ita B ;* iteris sui comitantes *G.* — [13] (Sed-indicio) *add. ex B.* — [14] *ita B ;* colere *G.* — [15] (ut-fabricamenta) *add. ex B.*

fabricamenta. Germanus igitur Autisiodorensis episcopus dum Romam pergeret, iter eum per Augustodunensium [1] civitatem contigit habuisse. Dum ergo orationis gratia loca sanctorum quæ in eadem urbe habebantur circuiret, ad sepulcrum beatissimi Cassiani pervenit. Ubi cum ex more Christo funderet preces, de tam vivis [2] securus meritis, beatum Cassianum allocutus est, dicens : *Quid, gloriose frater Cassiane, agis?* Respondit beatus Cassianus, loquens de tumulo, vivens in Christo [3] : *Dulci in pace quiete potior et adventum Redemptoris expecto.* Cui Germanus mutua [4] vice dixisse perhibetur : *Quiesce ergo, frater, in Christo* [5], *et ut divinæ tubæ cantus et optati* [6] *clangoris sonum ac sacra resurrectionis gaudia obtinere mereamur, et pro nobis et pro hac plebe attentius intercede ad* [7] *communem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen* [8].

Ex codice 245 (W. 79 Suppl.; St-G. 158).

DE S. CATHARINA VIRG. ET MART. ALEX. (Vid. *Analect.*, tom. III, p. 177, 2°.)

Ant. Benedictus Dominus rex cœlestis, qui per merita beatæ Katerinæ virginis medelam languidis præstat sanitatis, ipsius corporis oleo fideliter perunctis.

Ant. Ave, virginum gemma Katherina; ave, sponsa regis regum gloriosa, viva Cristi hostia; tua venerantibus patrocinia impetrata non deneges suffragia. ℣. Beata virgo Katherina, tua prece nos reclina in amena paradisi gaudia.

Salve, virgo regia Katerina, montis Sina scandens prædia, per sanctorum angelorum ministeria. O quam gratam judicat Dei gratia, quam tanta glorificat

[1] Augustidunensium. — [2] vividis. — [3] (v. in C.) *deest in B.* — [4] sermonis *add. B.* — [5] (f. in C.) in C. f. — [6] (et opt.) *ita B ;* exoptati *G.* — [7] ad *deest in B.* — [8] *Add. B :* O inauditum miraculum et mirabilem virtutem : sanctus Germanus interrogans, tantis consideratis * meritis de responsione non dubitat, et Cassianus dudum mortis sacræ in somnum solutus non solum audit loquentem, sed etiam sua prosecutione sermonis certum facit collocutorem, dicens se dulci quiete in pace potiri! Illa sine dubio de qua propheta, condigna admiratione attonitus, Domino loquens ait : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Illa dulcedine, illa certe cœlesti suavitate quæ promissa est olim in Christo Hebræis, nunc beatissimus in pace potitur Cassianus. Illa scilicet in pace qua Christus significatus est per apostolum dicentem : *Quia ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Christum ergo habet in domo, Christum in præmio, eum qui se redemit habens, et in eo quo redemptus est gaudens. Cujus et adventum expectat, ut resurgens in gloria illud recipiat carne et anima, quo nunc beatissima ejus fruitur anima. In Christo et per Christum Dominum nostrum, cui est honor, gloria, laus, perpetuitas a seculis et nunc, et per omnia secula seculorum. Amen.

* *cod.* considerantis.

excellentia. Hic in rubo fuit fax innoxia, Moysen hic præbuit et docuit ducatum rex qui regit omnia. O Deo gratum verticem, natum accipere, ostendere creatorem omnium legalium, donantem donaria milium lætantium. Clangit harmonia corpus deferentium tuum. O virgo pia, menbris oleifluis quæ fontis es usia *, nos ab energia dæmonum custodias, ut de mundi via tuas infra nuptias vocemur a Messia. [B]enedicamus flori orto ex stirpe Jesse die hodierno, quem * produxit virga virgo Domino.

* *intellige* οὐσία.

* *cod.* quam.

Hymnus de [S.] Katerina.

Pange, lingua, gloriosæ
Virginis martyrium ;
Gemmæ jubar pretiosæ
Descendat in medium,
Ut illustret tenebrosæ
Mentis domicilium.

Virgo pœnis non attrita,
Rotarum patibulo
Præsentatur, præmunita
Fidei signaculo.
Genu flectit orans ita,
Circumstante populo :

Ut confirmes spem tuorum
Et honorem nominis,
Vim elidens superborum
In virtute numinis,
Struem, Deus, hanc lignorum
Ictu frange fulminis.

Vox completur : mox junctura
Rotarum dissolvitur ;
Astans molis ex pressura
Populi pars teritur,
Pars baptismum susceptura
Virgini conjungitur.

Imminente passione,
Virgo hæc interserit :
Assequatur, Jesu bone,
Quod a te petierit,
Suo quisquis in agone
Mei memor fuerit.

Inde caput amputatur :
Fluit lac pro sanguine.
Angelorum sublevatur
Corpus multitudine,
Et Synai collocatur
In supremo culmine.

Hoc declarat, hoc explanat,
Meritum virgineum,
Quod ex ejus tumba manat
Incessanter oleum,
Cujus virtus sanat omnis
Doloris aculeum.

Vim doloris corporalis
Ut hæc sanat * unctio
Sic liquoris spiritalis
Mundet nos infusio,
Et æterno temporalis
Dolor reddat gaudio.

* *cod.* sanet.

Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo :
Una Patri Filioque
Cum inclito Paraclito.
Cui laus est et potestas
Per æterna secula. Amen.

℟. Virgo flagellatur, crucianda fame relegatur, carcere clausa manet, lux cœlica fusa refulget, fragrat odor, dulces cantant cœli agmina laudes. ℣. Sponsus amat sponsam, Salvator visitat illam. Gloria Patri. Fragrat.

MIRACULUM BEATÆ VIRGINIS MARIÆ. (Vid. *Analect.*, tom. III, p. 180, 13ᵉ.)

Inpugnabant quippe inimici judæi toto vesaniæ impetu fidem incarnationi Christi, asserentes sanctam Mariam Virginem de semine Joseph, cui desponsata erat, non de Spiritu sancto concepisse ac generasse; adjicientes, juxta impiissimam Græcorum hæresim, omnimodis impossibile fore virginem contra naturam parere posse. Cumque diutius apud Romanam urbem hæc altercatio haberetur, etiam christiani ferventissimo catholicæ fidei zelo profanos judæos, nisi ocius resipiscerent et ad baptismi gratiam convolarent, ex urbe propellere vellent, erat quidam ejusdem Romanæ urbis civis cæcus natus, sed tamen christianis litteris apprime imbutus. Frequentabat enim non solum latinorum, verum etiam græcorum scholas et quæcumque ibi intelligere potuit, alte memoriæ commendabat. Is namque quadam die, eodem christianitatis amore succensus, verbo veritatis conflicturus aggressus est judæos, et tanta illos constantia redarguit, ut pene omnes invenirentur, ut falsos testes decuit, elingues. Ad ultimum vero judæi ad probra et convicia conversi, stomachando cœperunt ei valde improperare, dicentes : *Tu cum sis homo peccator et in peccatis totus natus, quomodo ausus es fidem christianorum absque litteris defendere et nos ad pugnam lacessere. Nonne liquido patet Christum tuum adeo impotem existere ut non possit etiam lumina reformare?* Ad hæc cæcus : *Exspectate*, inquit, *triduo, et videbitis in me magnalia Christi Dei mei.* Erat autem ante triduum veneranda solemnitas Purificationis sanctæ Mariæ, quam Græci Ypapanti vocant, quæ est quarto nonas februarii, et necesse erat ut eadem sacrosancta festivitas apud præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ ab omni clero Romana eodem anno celebrari debuisset : quæ tamen modo singulis annis apud Sanctam Mariam Majorem fit. Quo audito, judæi indigne tulerunt et subridendo dixerunt : *Certe Christus tuus, quem patres nostri crucifixerunt, non potest tibi oculos reddere, quia nec semetipsum potuit de periculo mortis liberare. Attamen, si in præsentia nostri te illuminabit, pro certo nos omnes credere habebimus in illum : et tunc liquido constabit quod ipse sit verus filius Dei, et non sit alius salvator mundi. Eo autem pacto hoc affirmare placet ut, si quis non crediderit hoc viso miraculo, omnium rerum suarum proscriptionem patiatur et injuriis permaximis, utpote majestate reus, de urbe projiciatur.* His dictis, discesserunt judæi, unusquisque in sua remeans. Cæcus vero clanculo se perduci fecit ad domnum apostolicum, sanctum Bonifacium, et indicavit ei pactum et conditionem judæorum super fidem christianorum. Quibus papa auditis, plus solito lætus efficitur, atque sub eodem momento omnibus mandavit judæis, quatinus sine dubio præfatæ solemnitati omnes occurrerent. Advenit autem festivitas illa magna, totusque Romanorum clerus apud præfatam ecclesiam, ex more pervigiles celebraturus excubias, congregatus est;

simulque judæorum conventus non modicus intermixtus habebatur. Ductus est et cæcus ille in medium, plenus fide et spiritu sapientiæ, nihil hæsitans de propositis. Cumque ab omnibus fidelibus ibidem nocturni canerentur hymni, et jam octava lectio recitata fuisset, cæcus se ante altare matris Domini perduci rogavit, et ibi baculo sustentatus canere cœpit: *Gaude, Maria Virgo,* quoddam responsorium quod sibi ante biduum, quia artis musicæ gnarus erat, composuit. In quo tam vivaciter judæorum errorem confutavit, uti sub oculis omnium qui aderant, completo versu ejusdem responsorii, vera lux qui Christus est genitricis suæ interventu, cujus virginitatis integritas eodem cantu idonee defensa erat, lumen oculorum ei clarissimum reddiderit, qui ejus mentem primitus illuminavit. Quo viso miraculo, ab omnibus christianis illico *Gloria in excelsis Deo* canitur et exsultatio spiritualis habetur. Judæi quoque ad quingentos viros statim ad baptismi gratiam convolaverunt. Reliqui fuga lapsi, in urbe Romana ulterius non sunt visi. Unde placuit sanctæ Romanæ ecclesiæ ut idem responsorium in eadem festivitate octavum locum obtinere perpetualiter debuisset, [ut] hoc memorabile miraculum fidelium cordibus omn[i tempore ad] laudem Christi ferventius inhærere potuis[set.] **Expliciunt miracula.**

Ex codice 289 (St-G. 662).

DE TRANSLATIONE S. NICOLAI. (Vid. *Analect.,* tom. III, p. 184, 34°.)

Incipit procemium translationis corporis beati Nicholai Myrreorum Lichyæ archipræsulis quem Nichoforus Barrensis civitatis clericus composuit (1).

1. Sicut manus sculptoris perita est ad dilucidandam suæ indaginis thoraclam, ita strenua est ad propalandam in quali sexu conditionis enucleet ipsam. Cujus figmentum sicut durum in veritatis comparatione animari sensuumque discretione connecti, sic durum forte dijudicabitur infimis physicæ, ethicæ et logicæ rimari differentias, ad quas enucleandas illos decet insudare, qui secundum categoricas activæ et contemplativæ vitæ censuras, nectarea anicii camœna boare norunt, quique sensum sensui, verbum verbo sophistico peripateticorum dogmate vicatim indere curant. Æque quidem ego Nichoforus, omnium Barrensium clericorum ultimus, ineptus arte, incultusque luciflui sermonis ad exequendas laudes pretiosissimi confessoris Jesu Christi Nicolai, Myrreæ metropolis archiepiscopi gloriosissimi, quamquam immeritus, tanti pontificis adminiculo suffragatus, aggrediar seriem suæ translationis sanctissimæ sub styli brevitate angere. Quam

(1) Ut monuimus in describendo codice, eadem narratio legitur, sed fere aliis verbis, apud Nic. Carminium Falconium (pag. 131 sqq.). — Emendamus simul textum codicis G 289 ope codicis ejusdem biblioth. 499, de quo cfr. Catal. nostrum ad hunc codicem, articulo 13°.

beatæ recordationis dominus Curcorius, in civitate magna Barrensi princeps existens clarissimus, cum multis quibusque philochristis, immo honorificentissimis sanctæ Barrensis ecclesiæ magnatibus, devotissime, ut dignum erat, chartis tradere me rogavit, quamque ecclesiis Dei longe lateque constitutis, in unitate trina Patri et Filio et Spiritui sancto gloriam et honorem afferentibus, divulgare ardenti animo concupivit. Cui ut patri filius obaudiens, et ejus parere imperio non abnuens, maxime propter amorem internum quo devincior eidem sanctissimo sancti Spiritus paracliti synergo, glorioso videlicet archipræsuli Nicolao, ad cujus sacratissimum corpus residens, cujusque precatu a peccatorum nexibus solvi haud diffidens, opus hoc lucifluum exarare nisus sum, translationis a Deo dispositæ divinitus certam prosequens veritatem.

2. Sophisticos itaque flagito lectores catosque liberalium partium calculatores ut, omni sopita invidia, qua quondam Siculi non invenere tyranni majus tormentum, in hoc sermonem conferant apologeticum. Obsecro etiam auditores, commoneo susurrones, ut et illi quæ de sanctissimo audituri sunt præsule fideliter capiant, fideliter dicta credant; hi vero vera maculis falsitatis fuscata non asserant, ne utrique incredulitatis et falsitatis notam, immo justi judicis examen incurrant. Ergo lector benivolus, auditor credulus, susurro elinguis fiat, quatinus vir Deo dignissimus, victoria populi dictus, laudi suæ faventibus serenus arrideat et in conflictu contra communem hostem victor subveniat. Subveniet utique, quoniam ejus gratissima miseratio etiam indignis nec defuit nec desinit adesse. Quam enim exhibuit pietatis * dulcedinem adhuc degens in somate, innumerabilem hanc exhibet beneficiis miseris mortalibus jugi sublevamine, dum ex sacratis ossibus liquor suavissimus, ut nectar ambrosicum sudans, manat oleum divino liquamine.

* *ita cod. G. 499*; pietas *289.*

3. Igitur ut tam liberalissimi patroni magnificentiam mortalium promereatur indignitas, omni nisu omnique satagatur benivolentia, ut translationis ejus festivitas non minori celebretur lætitia, quam cum de dormitione illius sancta gratulari consuevit ecclesia. Virtutum enim ejus insignia tunc claruerunt miracula; nunc vero clarent æqualia et innumerabilia. Verumtamen si forte, quod absit, translationem hanc non omnis æqualiter concelebret ecclesia, Barrensis tamen civitas omni cum Apulia laudibus dignissimis precibusque humillimis ipsam quotannis magnificare non negligat.

Explicit procemium. Incipit rei gestæ exordium.

4. Cum creatoris Dei Jesu Christi incommutabilis potentia ab æterno simul creaverit omnia, in suis tamen temporibus producit singula; quæ, sicut sibi complacet, disponit in sapientia. Universæ autem viæ ejus sunt misericordia et veritas: quia et exigentibus meritis, quibusdam disponit vindictam; quibusdam etiam, prout vult, reddit gratiam pro gratia. Ut ergo propositionem assumptio concludat, ut interpres lingua intentionem exprimat, beatissimi Nicolai translationem nostris temporibus celebratam, prout Deus donaverit ordiamur exponendam.

5. Myrrea metropolis, quæ una ex nobilioribus fuit olim Lyciæ regionis civitatibus, a benigno Jesu de cœlis nomine suo vocatum meruit habere pastorem et episcopum, virum per omnia Deo dignum, virum, inquam, secundum cor ejus, sanctum videlicet Nicolaum. Cujus corporea substantia et invisibilis a corporea postquam fuit separata substantia, et ab illis qui ei apparuerant spiritibus uranicis recepta, regnatura cum Christo in æternum et ultra, in regione vivorum est collocata. Multi magnæ civitatis Constantinopoleos imperatores christianissimi, in gloria et decore consistentes imperii, principes etiam reipublicæ, deiferi quamplurimi, viri valde nobiles et incliti, corpus ejus sanctissimum de sepulcro, tanti sacerdotis humatione digno, abstrahere voluerunt conamine permaximo, ad suam illud patriam transportare gestientes ardenti desiderio. Nam hujus rei gratia unus de primis palatii magnatibus ab imperatore Constantinopolitano, cujus Myrrea civitas parebat imperio, traditur illuc aliquando fuisse destinatus. Qui palatinus princeps ecclesiam Myrreorum, ubi sanctum corpus jacebat, advenit : cernensque propter quod venerat opus non posse perfici, beatum Nicolaum flagitare cœpit humiliter, ut, si se ab illo loco transferri non permitteret, vel aliquam illi videndam de se particulam non negaret. Cujus devotioni sanctus Nicolaus, ut est promptissimæ pietatis, non defuit; sed quod rogaverat, dignanter adimplevit. Nam, cum de venerandi sarcophagi liquore sanctissimo, sicut solitus erat extraxisset ecclesiæ minister cum peniculo, mira res! statim unus de Jesu Christi famuli Nicolai dentibus cum illo liquore salutifero apparuit extractus. Quem cum maxima lætitia suscipiens imperialis ille satelles, Filio Dei regi magno ejusque electo ex millibus Nicolao gratias agere et oscula figere, ut dignum erat, cœpit frequentissime. Aurea vero illum capsellula mox inclusit et super altare quod ibi aderat, cum ingenti gaudio collocavit. Cumque post pusillum ad eamdem respexisset capsellulam, miratus est cum lætitia non modica liquorem sacri olei manare ex illa. Involvit ergo illam pallio, putans hoc modo oleum illud sanctum astringi, ne forte efflueret gratia tantæ benedictionis. Sed dum hoc tentat, vanis conatibus instat. Nam quanto diligentius circumligabat, tanto magis oleum illud circumligata pallia madefaciens potius emanabat. Ergo princeps ille devotissimus in desperationem cum suis omnibus venit; et quia ad horam sibi collatam gratiam non posset habere propriam, divina virtute cognovit.

6. Ipsi namque beatissimus Nicolaus in somnii visione apparuit, et dentem supradictum in manibus tenens ostendit illi et ait : *Ecce postulationi tuæ satisfeci ; ferre autem tecum ut voluisti non poteris, quoniam separari a corpore meo vel hanc minimam particulam non permitto.* Ille evigilans et reputans tantummodo imaginationem somnii fuisse, dentem super altare requisivit; sed minime invenit. Hoc autem in græcis voluminibus significatum invenimus : quod idcirco nostræ relationi prænotavimus, quatinus ostenderemus quod Dei omnipotentis dispositio corpus sui famuli Nicolai exinde ubi fuerat hactenus sepultum, per tot curricula temporum non siverit transmutari.

7. Ut autem breviter per excessum dicamus quantæ auctoritatis quantæve utilitatis ecclesiasticæ defensioni vita ejus sanctissima profuerit, sicut in vera

græcorum repperitur historia, iste Deo amantissimus pontifex Nicolaus in Nicæna synodo fuisse legitur grandævæ ætatis, in qua, præsidente beatissimo papa Silvestro et a Deo honorato magno principe Flavio Constantino, Helenæ christianissimæ imperatricis filio, a trecentis decem et octo episcopis ariana hæresis damnata est cum fautoribus suis. Qui videlicet gloriosus Dei amicus Nicolaus paucis postmodum supervivens diebus, Deo immortali, magnæ resurrectionis auctori, victurum in secula feliciter spiritum reddidit. Cujus corpus sanctissimum beatæ recordationis Philippus civitatis Felliton episcopus, Spiritui sancto procedenti a throno plurimum familiarissimus, una cum sanctis archidiaconibus ipsius piissimi patris, Nicolao videlicet et Artemio, sed et Hylarione archimandrita reverentissimo, cum honore et reverentia qua merebatur, in sepulcro patrum suorum honorificentissime sepelivit. A quo scilicet tempore usque ad ejusdem sanctissimi corporis translationem secundum eorumdem græcorum calculationem, ducentarum fere olympiadum curricula transierunt.

8. Igitur, secundum supputationem nostram verissimam, ex eo tempore quo Dei Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, millesimus et octogesimus septimus, cum indictione decima, jam vertebatur annus, in ea quæ est exordium regni græcorum magna civitate Constantinopolitana imperante sanctissimo et Dei cultore domno Alexio imperatore, quæ autem est in Jerusalem ecclesiam omni adoratione dignam gubernante magno Anania, qui fuit a Nazareth Galilææ sanctissimo patriarcha, ea tempestate de medio facto domno et universali papa Gregorio, cum Dominus Jesus suo excelsiori atque arcano censuisset consilio, quatinus Barrensem civitatem, immo omnem Apuliæ regionem, per sanctissimam dilecti sui Nicolai visitaret ac decoraret translationem, factum superna ejus providente clementia, ut viri quidam Barrenses, oppido sagaces atque illustres, navigarent Antiochiam cum tribus ratibus farre oneratis, negotiationis gratia. Qui tentis carbasis dum cursu voluceri mare Adriaticum transmeant altissimum, divina tacti inspiratione ad medium deducitur sermo de rapiendo tanto tamque nobili thesauro, pretiosiore auro obrizo. Quorum plures qui sapiebant sanius quorumque Deus tetigerat corda plenius, aggredi opus hoc suadebant, et perfici unguetenus Domino cooperante certissime asserebant. Alii autem his per omnia corde et animo inferiores, ne in hoc illis Deus sinister esset hæsitabant; ideoque claudicantes in fide suos in hac re suorumque spiritus extinguere laborabant. Sed eorum formidolosa mens et desidia nullatenus perterruit corda virorum armis militiæ præcluentium. Quin immo vela flectentes et anchoras de navibus jacientes, Myrreorum citissime allabuntur portui.

9. Arbitrati itaque ecclesiam corpore de magni præsignitam Nicolai monachis et civibus (quod vel audire vel videre injuria est), vacuam omnino haberi, habito inter se salubri consilio, suo comitatui inhærentem peregrinum quemdam explorandi gratia urbem voluerunt adire Myrream. Qui eorum jussioni parere non differens, ad civitatem venit, et omnia quæ illic agebantur sollerti studio inquisivit, et exinde fuga lapsus, ad suos sese expectantes socios concito cursu rediit. In eadem etiam Myrreensi civitate secus ecclesiam sancti Nicolai confessoris Domini

Turcos adesse nuntiavit. In ejusdem namque platea civitatis Turcorum eorumdem dominus et princeps, qui eam ditioni suæ subjugaverat, justo Dei judicio æternaliter mortuus jacebat; ad cujus funeris infernalis exequias christiani nominis inimica gens Agarenorum undique confluxerat. Siquidem viri Belial, Deum non intelligentes neque quod verum est agnoscentes, eamdem Myrreorum Lyciæ civitatem cum multis urbibus aliis, in gladio et arcu suo tulerant de manu Alexii, Constantinopolitani imperatoris; propter quod et siluit terra in conspectu eorum annis non paucis. Barrenses igitur, audito quod ad ipsos dictum fuerat a peregrino et ad præsens quod illis velle adjacebat intermisso, profundo maris anchoras revehunt, vim venti navibus incutiunt. Quibus et statim phaseli assurgunt, atque emensis solibus non multis:

Mente valens armisque potens et corpore præstans,
Spes patriæque decus, memorabilis ista juventus
Antiochi dictam de nomine fertur in urbem.

10. Eo tempore Antiochiam ascenderant ad replenda loca nundinarum ipsius olim regiæ civitatis, sicut et Barrenses, quidam Venetiani institores ditissimi, aurum et argentum habentes secum plurimum, purpuram et byssum, pallia et tapetia ad sedendum, uniones quoque et genera lapidum, quibus ardet ambitio matronarum nobilium, sed et ex omni gloria Romani imperii. Itaque quidam nostrorum Barrensium cum eisdem Venetianis ex multo tempore fœdus inierant; ideoque alternatim loquendo inquirunt ab eis quid super corpore beatissimi Nicolai sentiant. Quibus iidem Venetiani quod dudum mente conceperant fateri non verentur, et ad hoc se venisse potissimum fatentur. Aiunt etiam ad comminuendum sacrosanctum gloriosi Nicolai scrinium marmoreum, secures, malleos ligonesque ferreos se habere : sed quia scriptum est: *Sors omnia versat*, cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.

11. Barrenses denique audita hac auditione, ardentiores fiunt in hujus operis executione; sed qua id fieret securitate, nulla poterant invenire ratione. Tria quippe illis ex adverso gignebantur discrimina. Primum, quia quasi exules in terra habebantur aliena, et indecens erat consurgere eos ad bella, ad lites, ad scandala; secundum autem, quia Venetianos ad id quod cœperant velle, paratissimos esse conspiciebant; et, si forte pro auferendo corpore prælium consererent, quibus victoria proveniret ignorabant. Tertium vero, quia sine Deo Turci, qui dicuntur et Tyrii, ad effundendum sanguinem christianorum innocentem de vagina suæ habitationis egressi, Myrream civitatem suam facientes habitationem, Christi fidei cultores ab ea irrevocabiliter perturbaverant. Stabat enim satan ex adverso, ut adversaretur Barrensibus illis et corrumperet sensus eorum, ne suum illud honorabile exequerentur propositum. Quod et fecisset, nisi eis aliter quam sperabant evenisset. Nam negotiis ad finem usque perductis, propter quæ Antiochiam descenderant, sese suis navibus reponentes, ad patriam quantocius remeare festinabant. Quibus retrogradum iter arripientibus et, prospero flante austro, undas æquoreas carinis sulcantibus, Myrreo littori appropinquaverunt; quod, uti decreverant, postponere ultraque tendere voluerunt, videntes austrum cursum suis navi-

bus præbere velocissimum. Licet vero hæc agerent, in anxietate tamen maxima positi erant, quoniam videbatur illis difficillimum aggredi opus bonum, quod operari proposuerant. Desperatione itaque concepta penitusque in mentibus eorum frustrato affectu tantæ devotionis, præter spem prosperavit eis effectum negotii provida dispensatio Conditoris. Enimvero ventus cujus obsequela pro voto utebantur in prætermissione propositi, repente cursum suæ agilitatis repressit media in statione pelagi, hebetatique tam diversa rerum facie, hærebant, quo verterentur inscii. Ecce autem Dei nutu adverso flante Borea, certatim retrorsum impelluntur; nec defuit eis adversa navigatio, donec ad idem Myrreæ civitatis littus unde diverterant, inviti appellerentur. Factumque est ita ut postmodum redirent inviti, coacti, qui prius stare noluerant spontanei.

12. In diebus illis ascenderant adorare in Jerusalem ad sepulturam in qua reviviscunt mortui, duo de civitate Barrensi viri religiosi, sacerdotali officio insigniti. Unus eorum Lupus dicebatur; alter vero Grimoaldus vocabatur. Hi, accepta benedictione a magno et glorioso Anania, ipsius sanctæ Jerosolymorum ecclesiæ millies beatissimo patriarcha, revertentes applicuerunt Antiochiam, et inde navigantes cum negotiatoribus istis carpebant iter Italiam ducens. Cognoscentes igitur iidem ipsi negotiatores quoniam divinæ erat voluntatis ut transferretur corpus sanctissimum de medio pravæ et perversæ nationis, ultra jam non audentes divinis contraire statutis, duos Jerosolymitanos illos Deo amabiles presbyteros delegaverunt eidem Myrreorum urbi, loci habitudinem exploraturos.

13. Qui repedantes nuntiaverunt ecclesiam esse solitariam, monachis populoque vacuam, quatuor tantummodo monachorum tutelæ commissam. Pro malitia enim inhabitantium in ea, terra fructifera in salsuginem versa, desolatione et vastatione erat digna, adeo ut gens adeo longe posita eam sibi usurparet, suoque juri, ut præmissum est, subjugaret. His auditis Barrenses

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Corripiunt arma, properant, paucisque relictis qui ratibus custodiam adhiberent, galeas capitibus imponunt, loricis corpora muniunt, gladios accingunt, clypeis humeros operiunt, et velut cum hostibus dimicaturi Myrrensem urbem adeunt, quo a littore, ubi reliquerant rates aberant spatio quasi trium millium. Similiter et illi quibus erat navium delegata custodia, solliciti de sociorum reditu ad sua convolaverunt arma. Turcorum enim adventum dubitabant repentinum, ideoque sumentes arma, parati erant exire eis obviam in prælium. Sic namque in duabus sagaciter divisi partibus, qui ad hoc fuerant electi studuerunt cœpto operi insistere quantocius. Erant autem quadraginta et septem juvenes qui illuc fuerant missi, omnes tenentes gladios et ad bella idonei.

14. Venientes autem præfati juvenes ad ecclesiam beatissimi Nicolai confessoris Jesu Christi, arma deposuerunt, eamque satis humiliter et devote subeuntes, in orationem se coram sancto altari dederunt. Surgentes vero ab oratione, sic eisdem aiunt sancti corporis custodibus : ***Fratres, ostendite nobis quo in loco sepultum est sacratissimum corpus Nicolai, istius Myrreorum civitatis archiepiscopi.*** Qui putantes quod causa orationis vel oblationis ista inquirerent, prius

ostendunt eis locum unde cum peniculo sanctum olei trahebant liquorem. Post hæc autem more sibi solito de illius sanctissimi liquoris olei propinaverunt singulis cum peniculo, ostendentes etiam illis qualiter sanctum corpus delitescebat in eodem loco. Qua diu desiderata potiti benedictione, conglobati in unum cuneum, cœperunt conferre quisnam illorum prior sacrum violaret sepulcrum, pia stimulatus præsumptione. Non enim erat eis utile vel idoneum differre ulterius consilium, alta mente repositum, urgente eos metu Turcorum, scientes quia cum integro suorum numero non esset eis effugium a facie eorum. Adhuc autem non minimum sollicitabat corda eorum, quoniam

Solares ducebat equos jam Vesper opacus.

Res etiam et locus eis erat admodum extraneus, ad id agendum quod olim fuerat denegatum dominis terrarum, regibus et ducibus; insuper et longior plus quam optabant usque ad naves sollicitabat eos reditus.

15. Dum hæc et quædam alia conferrent ad invicem, sæpedictis custodibus horror supervenit subitus, hæsitantibus ne ipsi Barrenses eis auferre vellent sancti Nicolai corpus. Unde sic aiebant: *Cur tantopere loculum sacri corporis explorastis? Tollere vos* * *sanctum forsan vultis Nicolaum? Verumtamen sciatis hoc nos minime consentire vobis, immo ante mori posse quam permittere eum tolli.* Quibus responderunt Barrenses: *Veraciter scitote nos proprie propter id vestros appetisse fines; ideoque precamur, ut verum nobis ostendatis locum, et noster labor non transeat in vacuum.* Custodes vero cernentes eos dubios de ostensione loci, omnino renuunt pandere, dicentes: *Pœnitet nos sacri olei, sacri quoque corporis patefecisse vobis indicia. Tamen utrum ipse sit locus an non, sanctus Nicolaus nequaquam permittet vos contingere se: ideoque recedite atque discedite ab hac civitate, ne forte hæc civium percutiant aures et inducant super vos maledictionem pro benedictione.* Barrenses itaque cernentes eos precibus non posse molliri, ad callida se convertunt argumenta, fingentes sancti ingenii verba, ex quibus culpandi esse minime viderentur, dicente Scriptura: *Bona est fraus quæ nemini nocet.* Aiunt autem: *Hoc vobis notum sit et auribus percipite verba nostra: quoniam papa urbis Romæ venit in Barrim, civitatem nostram, cum magno archiepiscoporum conventu, magno etiam cleri et populi concursu et occursu, et ipse misit nos ad has partes, tribus advectos navibus, ut transferamus illi sancti Nicolai corpus, eo quod ipse sanctus Dei antistes gloriosus in somnis apparens ei præcepit se nostris transvehi regionibus. Et si nobis præbere assensum volueritis, dabimus vobis de unaquaque puppi centum solidos aureos, tantummodo ut in pace possimus sequestrari a vobis, adepto thesauro sacri corporis.* Quod dum idem audiunt custodes, videntes eos esse paratos ad destruendum ecclesiæ pavimentum corpusque tollendum, penitus exanimes efficiuntur.

Transit ab ore color, quia subdit eum sibi palor.
Deserit et pectus, simul autem deserit artus
Sanguineus fervor, felix Danaum quia pastor,
Proh dolor, Eoliam *, se nudam linquit et orbam.
O nimium misera Græcis, o visio dura!

* *ita G. 499;* nos *289.*

* *ita G. 499;* Eoilam *289.*

Dura fuit multum, cum perspexere sepulcrum
Excisum ferro confringi missile multo.
Quocirca vestem scindentes mox monachilem
Cum barba lugubres vellunt ex vertice crines,
Et melius miseram cupiunt hanc perdere vitam
Quam tradant carum sibi tot per secula sanctum.
Sic modo victrices expavit Græcia vires
Romuleæ pubis*, est quæ caput orbis et urbis.
Quare nunc plorat? Quia jam plorabilis hora.
Plurima quid referam vel quid per singula curram?

* *cod.* pupis; puppis *499.*

16. Cum autem viri illi Romani irremediabilibus lacrimis flere eosdem monachos conspicerent, apertis thesauris suis obtulerunt eis auri et argenti immensa valde pondera: quæ omnia ipsi monachi, uno tantum gradu a morte divisi, arbitrari videbantur ut stercora. Locutionum blandimenta quasi venena execrantes viperea, immo alta a profundo cordis trahentes suspiria, cum rugitu magno dabant voces hujusmodi in aera: *Et quomodo,* inquiunt, *o alienigenæ, venditioni huic audemus operam dare, cum nemo mortalium hactenus hæc valuerit impune tentare? Quis autem tanti commercii temerarius esse poterit comparator vel venditor? Aut quæ res tam pretiosa, admirabilis et peregrina tanto poterit thesauro comparari? An aurum et argentum? An lapides pretiosi? Si principes provinciarum et reges potentissimi Græcorum non temerarie, sed precibus hoc idem inchoare tentaverunt; qualiter, quod absit, opere habent complere homines advenæ et ignoti, quos nescimus unde sint? Quiescite ergo agere prava, revocate vires, suspendite corda ab intentione hac vestra, cui Deus minime aspirat. Quoniam, si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poterimus dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamur. Alioquin, si in gente sublimium quondam Argorum, quæ est populus ejus et oves pascuæ ejus, displicuit paternitati ejus, et velle illi adjacet eundi hinc vobiscum, data vobis potestate permittimus hoc probare. Ecce locus.*

17. Hoc autem dicebant, rati non aliquando a suis sedibus alias migraturum Dei famulum Nicolaum; sed longe aliter quam credebant actum est. Idem namque vir Dei, qui et victoria dicitur populi, relicta domo sua, dimissa hereditate sua, cui, proh dolor! facta fuerat domus ejus habitatio hyenæ, spelunca latronum, veniens transiit ad Italiam Lavinaque littora, a cubilibus leonum, a montibus leopardorum. Qui quoniam apud Argos inglorius erat, ad transferendum se gentem quam nesciebat, vocavit; et gentes, quæ eum non noverunt, ad eum de die in diem currunt propter Dominum Deum suum et sanctum Israel qui elegit eum.

18. Cum vero inter utrosque longa concertatio fieret, capere fugam monachi illi modis omnibus ambiebant, ut sermo ab eis veniens manus et corda civium in seditionem converterent. Quod ut videre Barrenses, ipsos primum monachos comprehendentes, in nullo enim se credebant illis, certis custodibus subjiciunt; deinde fortissimos quosque de suis viros, validos animis et

instructos armis, ad ejusdem basilicæ januas observandas statuunt. Pari quoque modo viri fortes robore, juvenes loricati, qui et docti prælio, accincti gladiis, clypeos et lanceas in manibus gestantes et peltas, in capite omnium platearum dispersi, vias civitatis occupant et muniunt, sed et armis sepiunt; ut non terræ illius accola quispiam, non aliquis civium inhabitantium Myrream ad hujus operis posset pervenire notitiam.

19. His ergo intus et foris prudenter et necessarie ordinatis, supramemoratus presbyter Lupus cum suo collega nomine Grimoaldo presbytero et paucis aliis in ecclesia stantes, sanctorum nominibus acclamatis, preces inchoant, quæ letaniæ usualiter vocantur. Sed, timore pariter et tremore correpti, ac si Turcorum gladius jamjam videretur eorum imminere cervicibus, officio linguæ interrupto, sanctorum nominum acclamationem, quam inceperant altis vocibus, pro voto resonare non poterant. Ipse autem presbyter Lupus de benedictione illius præfati olei in vitreo quodam, sicut et alii, susceperat lecytho, quem in cacumine unius columnæ ad oram stantis penes sanctum altare posuerat, sociis in tanto cupiens suffragari negotio. Cum eis ex improviso contigit stupenda valde res, in qua, sicut credere dignum est, visitavit eos Oriens ex alto. Nam vitreus ille lecythus a summo columnæ corruit, et marmoream tumbam, quæ sacrum resudabat oleum, magno fragore percussit. Qui cum benedictione, intus a presbytero posita, sanus integerque repertus omnes qui aderant in stuporem et gaudium convertit; Ei autem qui dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt, hymnum gloriæ cum ingenti gaudio canere persuasit. At illi continuo signi hujus mirifica novitate oppido confortati, virum a Deo approbatum signis et prodigiis quæ fecit Deus per illum, sanctum videlicet Nicolaum, vident et agnoscunt vota eorum et actiones aspirando prævenire et adjuvando prosequi, et monita illis dantem hujusmodi : *Quare moras nectimini? Quare quod tractatis sermone non exercetis opere? Animadvertite et videte, quoniam sum ex multis annis volens a terra hac et a gente non sancta longe fieri. Et ecce hodie voluntas mea est hinc vobiscum proficisci ad locum quem Dominus Deus daturus est mihi. Considerate miraculum istud, et meum corpus, quod hic per multorum annorum centenaria jacuit, sumentes abite ; quoniam viri Barrenses cum Apuliensibus omnes sub mea perpetua lætabuntur protectione.*

20. Cum igitur beatissimus Nicolaus quibusdam incitamentis roborasset animos virorum, juvenis quidam audacissimus, qui eidem operi insistebat propensius, nomine Matthæus, cum altero suo coætaneo viribus et armis præstantissimo, de regione Arvernorum genus ducente, nomine Alexandro, efferato animo irruit super unum de ecclesiæ monachis cum gladio evaginato, et, nisi certissime ostenderet ei sancti Nicolai sepulcrum, quod usque ad horam eamdem ipsi monachi monstrare eis detrectaverant, in furore et in ira magna jurat per Eum, cujus regnum est sempiternum et potestas in generationem seculorum, quod jam sine respectu aliquo percuteret eum in ore gladii, ipso eodem quo stabat loco.

21. Quem cum vidisset unus ex monachis, sanctior atque prudentior ceteris, irrationabiliter furentem, accessit cominus et indignantis animum talibus mulcet alloquiis : *Et quare.* inquit, *o adolescens, circa Dei famulum sic irreverenter agis? Veritatem enim in Christo loquens non mentior, quia hic ipse est locus sepulturæ, quem semel et secundo jam supra tibi tuisque sociis ostendimus. Et ecce palam nobis datur intelligi per vos deberi adimpleri quod anno superiori piissimus hic antistes comminatus est nobis per visionem : a terra scilicet et a regno Argorum se suamque translaturum incunctanter habitationem.* Audientes autem hæc Barrenses ab eodem monacho, diligenter sciscitantur eum de visionis oraculo. Elevans autem monachus ille vocem cum fletu, dixit: *Audite, viri Barrenses, vestrum inexplebile gaudium, vestrum perenne solatium; audite mortis nostræ irremediabile tormentum, totius regni Græcorum lamentabile excidium. Anno superiori per unius alta silentia noctis, summisso vultu et tristi facie apparuit nobis, dormientibus in loco sancti monasterii hujus, beatæ recordationis sanctus hic pater noster Nicolaus, præcipiens nobis et dicens: " Loquimini verbis meis ad viros et ad habitatores istius civitatis, dicentes ad eos : Vos in hac urbe me solum reliquistis, et ego relinquam vos in manu barbarorum, nisi ad hanc inhabitandam civitatem mihique exhibendam caritate qua debetis servitutem revertentes reversi fueritis. Insuper et desiderabile oculorum vestrorum, hoc est corpus meum, auferam a vobis, si non me, ut filii patrem, ut oves pastorem, filiatione sincera audieritis. " Cives autem ejus, exagitati metu filiorum Orientis, habitantium in regione umbræ mortis, concluserant se in castello, quod erat in spatio stadiorum duodecim a civitate, Myrreum nomine, cui eadem ipsa civitas participium sui nominis donans, vocari instituerat hujusmodi appellatione. Sed, ut adimpleretur quod dixerat sanctus Nicolaus : " Nisi addideritis reverti ut maneatis una mecum in civitate, timore a vobis Turcorum expulso, non habitabo ultra vobiscum in loco isto : " loquentibus nobis in auribus eorum verba hæc, sic ab his, qui videre, visum est quasi in ventum pulverem portassemus; induratum enim fuerat insipiens cor eorum. Quocirca videre nobis veris datur indiciis hodie, eum infelicem Myrream doloris et luctus jam finem non habituram, velle ex toto relinquere orphanam et alterius, nescio cujus, orbis illustrare plagam. Et quoniam vestræ eum contemplamur affore voluntati, vester a nobis gladius jamjam longe fiat; sopiantur jurgia, quiescat indignatio non justa, et sic sine vestra perturbatione, sine nostra quoque læsione, desiderii vestri desideratas accipientes margaritas, pretiosa videlicet patris et pastoris nostri dilectissimi Nicolai lipsana, pacati abite: hoc scientes quia non, ut vos æstimatis, nos suæ pastoralitatis filios desolatos ex toto relinquet et orphanos, suave præsentia suoque beneficio faciet et indignos, licet quasi aquam iniquitatem bibisse atque coram eo inique egisse videamur.*

22. Tandem supradicti duo juvenes, Matthæus et Alexander, eximii,

Et virtute pares et sanctum ferre parati,

rejecta a corde qua tumebant vitrea bili et represso furore custodes feriendi, reposito gladio, malleum ferreum invadunt, viriliterque infringentes marmo-

ream tumbam, sancto superpositam corpori, penitus eam comminuunt. Et cum nihil eis exinde eveniret adversitatis, fiduciam audendi majora pie volentes concipiunt; sociosque adhortantes ad laborem altius fodiendi, fortissimum cæmentum quod confractæ tabulæ subjacuerat, pilo comminui et pila extrudi ocius compulerunt : donec tumba parii marmoris, in qua sanctus jacebat Nicolaus, inhiantibus apparuit. Qua usque ad medium detecta, sese circumspicientes effringere non audebant, donec prædictus juvenis Matthæus, ceteris ardentior devotionis instantia, ipsam quoque in latere effregit marmoream tumbam, excipere paratus si qua pro sui præsumptione immineret sibi vindicta. Statim ab intus aspiravit tanta suavissimi odoris fragrantia *, quantam solius Dei gratia ad piissimi servi sui Nicolai fundebat gloriam. Cujus odor inæstimabilis nullique hujus vitæ delectationi comparabilis, non tantum præsentibus affluebat, verum, continuis spirantibus auris, socios in littore relictos quasi præsentes afflabat; qui quidem tribus millibus a civitate distabant. Ea respersi jocunditate, agnoscunt sanctum Nicolaum sociis suis consensisse et seipsum illis permisisse. * *codd.* fraglantia.

23. Interea juvenis ille præfatus, tam felices urgens successus, sancto liquori, qui fracto sarcophago exundabat, immersit manus, et reliquias beati viri Nicolai penitus disquirens et abstrahens insatiabiliter deosculabatur, et presbyteris Lupo et Grimoaldo supra memoratis in quodam eorum oloserico paludamento reponendas commendabat attentius. Qui ardens desiderio eas omnino colligendi, tum etiam facta difficultate caput inveniendi, quod se impediebat cooperculum removit : et ut erat vestitus et calciatus, sarcophagum intrepidus introivit. Tantoque perfectius quanto et licentius non solum caput, sed et singula quæque ossa vel minima, in oleo natantia, corripiens abstraxit. Quo liquore et ipse totus perfusus madebat, et suæ fidei admirationem simulque spectaculum magni timoris spectantibus ingerebat. Ille autem fatebatur numquam se tam securus fuisse, numquam se tantæ lætitiæ gaudium habuisse. Unde et Deo nostro maximas gratias agebat, cujus et voluntati et dispositioni obsequium præbebat.

24. Barrensibus in commune super his gaudentibus, custodes sancti Nicolai, quos ibidem inventos violenter detinebant, amarissime lamentabantur et solum quod poterant, tales beato Nicolao improperabant questus : *Et unde tibi, o sancte Dei, tam facilis erga extraneos patientia? Unde erga tuos tam inexorabilis inclementia? Ubi compassio et benignitas? Ubi tot miseriis te reclamantium præsens ubique pietas? O in quæ tempora nostra devenit vita, quibus ipsa morte gravior talis infertur miseria! Ecce transfertur a nobis illa nobilis quondam gloria nostra, et, te permittens alienigenis, nos olim filios tuos projicis a facie tua. Siccine probas nostra tibi placuisse obsequia? Et * hæc nobis et patribus nostris tuæ dilectionis rependis præmia? Ploret quem amittit patrem patria, ploret tuo quondam patrocinio famosa, jam autem te orbata miserabilis Myrrea. Ploret Lycia detrahi sibi tantæ suæ gloriæ coronam, ploret se hodie perdidisse defensionem hactenus tutissimam. Sancte Nicolae, pastor et nutritor noster gloriosissime, quare non prius morti tuos addixisti filios, quam tuam* * *ita 499 ; cod.* Ut.

a nobis videremus divisionem? Factus nobis impius ex piissimo, filios tuos relinques orphanos, quibus utilius mori fuisset quam tantos tuæ amissionis continuare dolores? Quo fugiemus, quos cœlestis vindicta barbaris exposuit? Quis orabit eamdem vindictam nobis absolvi? Quis ante Deum reatus nostros excusabit? Sed quid ut credimus divinam dispositionem et sancti pontificis voluntatem nostra insequitur conquestio? Ut nulla exclusæ spei remaneat consolatio? Valeas millies, o beatissime pater Nicolae, huic patriæ tuæ damna perpetua relinquens; et quibus teipsum subtrahis corpore, piissimo respectu digneris repræsentare. Habebatur autem in eo loco unde sanctum corpus abstulerant, quædam iconia retro altare muro affixa, quæ antiquo opere pulcherrime depicta imaginem sancti Nicolai se videntibus repræsentabat. Hanc tollere volentibus nullo modo concessum est, ut ex hoc daretur intelligi ecclesiam Myrreorum a suo antistite funditus non relinqui.

25. Barrenses autem quæ cœperant velocius exequentes, utpote qui timebant ne quid adversi tardantibus eveniret, sicuti corpus sanctissimum in paludamento serico involverant (neque enim certi tanti eventus loculum sibi prævideraut deportandum), imposuerunt duobus presbyteris, et sic ad mare recurrentes armati, gaudia sua divinis laudibus conclamabant, ut erant laici. In ipsa autem deportatione nullum onus sentiebant portantes; sed guttatim oleo sancto in vestimentis, eorum stillante, mirifici odoris delectantur suavitate. Sed neque partes marmoreæ tumbæ, quas confregerant, ibidem reliquerant; quæ postea divisæ pontificibus per Italiam, consecratæ sunt in altaria et tabulas itinerarias. Similiter et paludamentum olosericum illud, quo involutum fuerat sanctum corpus, in partibus divisum pro fide expetentium profuit utilitati multorum. Interea qui ad naves remanserant custodiendas, auditis laudibus processerunt sociis obviam cum lætitia magna, et dulcissimas fundentes lacrimas Dei omnipotentis in commune laudabant magnalia.

26. Quibus convenientibus super maris oram, de sancto corpore portando contentionem suscitavit pietas, quibusque certantibus in sua navi portare illud : donec pari consensu placuit illi committere deducendum, cujus periculo et instantia lætabantur eo usque fuisse deductum, ea interposita conditione ut jurejurando firmaret nihil sibi ex eo retinendum, nisi omnium assensu et voluntate. Hoc illo annuente, sanctum corpus componentes et involventes ut melius potuerunt pro loco et tempore, velocius ascenderunt rates, ne quid tantos eorum felices successus perturbaret, velociter fugere cupientes.

27. Interea præfati custodes ecclesiæ, libera a Barrensibus accepta abeundi potestate, nuntiaverunt hæc omnia incolis Myrrei castri, quod, ut supra diximus, duodecim stadiis aberat a vetusta Myrrea civitate. Edici non potest quantum pondus horroris incussit illis fama tanti doloris. Mirabantur audire quod non credebant potuisse evenire, vel sanctum Nicolaum de se talia alicui consensisse, vel aliquem de eo tale quid præsumpsisse. Sed cum mœror et lacrimæ custodum fidem astruerent verborum, videres cunctis incubuisse quasi ipsam præsentem mortis imaginem, et sensibus attonitis omnium obstupuisse consi-

lium et rationem. Ruit repente ad mare virorum ac mulierum, juvenum et virginum, senum et infantum, parvulorum publicus totius castelli concursus; ingravatur passim quasi extremæ desolationis planctus. Nullus sibi parcit ut satisfaciat dolori, tum evulsis crinibus et barbis, tum laceratis pectoribus et genis, tum confusis clamoribus cum lacrimis. Aiunt itaque Barrensibus : *Qui estis, et unde huc advenistis, talia ausi pertinaciter nostris committere locis? Unde in vobis temeritas ista tanta talisque orta, ut auderetis nostra contingere sancta, a diebus antiquitatis sanctæ huic Myrreorum ecclesiæ reposita? Ecce, secundum nostram Eolicam notitiam septingenti et septuaginta quinque anni transacti sunt, in quibus nulli aliquando imperatorum Constantinopolitanorum, nulli regum Græcorum, nulli quoque seculi istius principum potentum talia commiserunt. Satis superque magnum et admirabile exenium vobis vestræque patriæ contulit hodie rex cœli et terræ, Dominus Jesus, beatissimus quoque confessor ejus Nicolaus, qui nos relinquit orbatos, vosque omnino sibi ignotos renovat in filios.* Cumque querulis singultibus Myrrenses cum Barrensibus loquerentur, nullomodo se cohibere valentes a luctu, a magno quoque et intolerabili planctu, sicut erant vestiti et calciati, saltu præcipiti in mare mergebantur; et replentes littora simul et aera gravi et intolerabili clamore et ululatu, arripiebant temones navium, remos quoque et gubernacula cum aliis armamentis earum, et abstrahere volebant de manibus nautarum, dicentes ad eos : *Viri Barrenses, reddite nobis patrem et dominum nostrum, pastorem et episcopum animarum nostrarum, qui salvum faciebat populum suum de manu filiorum alienorum; qui etiam factus fuerat die ac nocte clypeus et hasta, arcus et arma filiis populi sui; non solum autem ipsis, sed et omni regno Græcorum. Et si nobis illum ex integro reddere non vultis, portione una reservata vobis, alteram misericordia moti reddite Myrreæ civitati, ut non penitus infelix Myrrea, suis spoliata triumphis, sedeat pauper et dolens sine benedictione sacerdotali.*

28. Quorum ejulatibus et lacrimis irremediabilibus Barrenses adeo compatiebantur et pietate ducti dulcia illis responsa, responsa inquam consolatoria, præstare videbantur. Dicebant autem : *Audite, viri fratres, vos et filii vestri et omnes qui astatis. Audite et intelligite id quod actum est non nostri esse consilii, sed Salvatoris nostri Dei, immo per eum sui dilecti famuli Nicolai. Nos autem a terra Romanorum, ex Apuliæ scilicet partibus, oriundos esse agnoscite, et ex Barrensi urbe ad hoc sacratissimum corpus tollendum, revelante a Deo honorato pontifice Nicolao, advenisse. Dum vero hoc signis evidentibus ipsius sit gestum voluntate, quare tantarum miseriarum affligimini calamitate? Et quare cœlum et terram horridis et lacrimabilibus replentes clamoribus, tribulationem hanc mortiferam inducitis animæ vestræ? Ut ex omni pene regno et gente Romanæ dignitatis imperio subjacente gloriam et honorem afferat illi Dominus Jesus, et coruscare eum faciat super terram in diebus vestris, gloriosis virtutum exhibitionibus, magis quam habitare hic in tabernaculis peccatorum, Scytharum videlicet sensu perditorum et Deo odibilium Turcorum, vos ægre ferentes indignamini : et illi contradicendo præstare obsequium arbitramini?*

Et quis ex vobis omnibus homo est sic sapiens corde et fortis robore, qui audeat resistere Deo ejusque electo ex millibus Nicolao? Ecce, secundum quod in sacra ac veraci Græcorum legitur historia, et ut ipsi paulo supra accepimus a vobis, septingentorum et septuaginta quinque annorum circulus est evolutus ex eo tempore quo veniens paterfamilias hunc fidelem servum suum vigilantem, primam et secundam ac tertiam feliciter servantem vigiliam, invitare dignatus est ad regnum et gloriam. Jam huc usque sufficiat vobis vos illius firmatos fuisse benedictionibus et miraculis. Sed neque vos ex toto desolatos ejus patrocinio arbitremini, cum ex ejus tumba marmorea semper exundantem sanctum liquorem habeatis, immo et iconiam illam ad similitudinem sui factam vobis serraverit, quam nulli nostrum tollere permisit. Vestro quoque permittimus judicio: utrum Barrensem, metropolitanam civitatem, conveniat honorari, sublimari ac frequentari tanto tamque honorificentissimo principe sacerdotum glorioso, an quasi, quod dictu nefas est, desolatum negligi in hoc deserto? Verumtamen, quia levius fit patientia quidquid corrigere impossibile est, jam non ulterius majori et immoderata absorbeamini tristitia. Vere etenim a Domino Deo excelso et non ab homine exiit sermo iste. Unde et doloris vestri mitigatores existere cupientes, exinanire desideramus suspendium quod elegit anima vestra et mortem, quam elegerunt ossa vestra.

29. Igitur dum sine fructu alicujus emolumenti plura conferrent viri Barrenses cum Myrrensibus, iidem ipsi Myrrenses, ut erant amaro animo, quemdam ex paramonariis suæ orbatæ et lugentis ecclesiæ vident sibi astantem et plorantem cum ceteris, quem quasi conscium hujus furti calumniabantur pretio accepto sanctum Nicolaum vendidisse extraneis. Quem etiam dum per capillos capitis et barbam modo huc modo vero illuc detrahentes, affligerent in multis verberibus et ille sibi oppositam calumniam viriliter negando sanctum appellaret Nicolaum, ut eum erueret de manibus eorum, injuriam injustæ oppressionis paramonarii sui piissimus Christi confessor miseratus indoluit, et clementi defensione præsentialiter repressit, stuporemque eis ingerens, suo illo more sanctissimo se reclamantem cum lacrimis paramonarium suum misericorditer liberavit.

30. Interea Barrenses, nautis navigare certantibus, littus reliquerant et prospero flante vento jam in altum devenerant, cum viri Myrrenses lacrimis eos insequentes acriores planctus ingeminabant, adeo ut a Barrensibus auditi per duo millia, ipsos quoque ad compassionem et lacrimas excitarent. Et cum jam fracti desperatione ad civitatem Myrream singuli redirent, subinde restantes et ad mare oculos iterum iterumque referentes, quamdiu navigantes vix illos de longe videre poterant, doloris impatientia cadentes in facies suas terram morsibus attrectabant.

31. Barrenses autem, hortati seipsos, cum tremore et lætitia velocissimo cursu maxima transvolaverunt spatia et ad insulam quæ dicitur Cacavus devenientes, ibidem prima nocte quieverunt tandem securiores. Et retractis anchoris progredientes, transierunt insulam, nomine Magestram, et objiciente se illis

Aquilone inter ipsius altissimi pelagi pericula maxima difficultate victi applicuerunt ad Patheram civitatem, non multum a Myrrea distantem. Et quia exinde Dei confessor fuerat oriundus, facta ad invicem dubitatione, verebantur ne ibidem vellet remanere, neve eos vellet dimittere, donec eum vel in eadem civitate Pathera reponerent, vel Myrrensibus redderent. Non tamen omnino diffidentes, nec ab eadem navigatione desistentes, nautis certantibus sese in altum quasi ad viginti quatuor milliaria retorserunt, et cum nimia fatigatione ad insulam quæ dicitur Machra applicuerunt. Duobus igitur diebus et tribus noctibus maxima mole ventorum et maris periculo fatigati Barrenses, ne viderentur vexari quasi casuali infortunio, et non potius divino insequi judicio, egressi ad terram, cum viderent quod subita serenitas frementes sterneret undas, animadvertebant quod propter eos eadem suscitaretur tempestas. Unde et conquerentes ad invicem dicebant : *Quare nobis tantus undarum accidit tumultus? Quare præter solitum ingravatur cœli fragor et ventorum fremitus? Forte præter spem desiderio nostro frustrati sumus : et aut beati Nicolai nobiscum corpus non habemus, aut, si habemus, ulterius ferre non permittimur ; et idcirco, antequam stillet furor ejus super nos, reportare eum ad ecclesiam Myrreorum debemus. Displicuit quippe in oculis ejus verbum istud quod factum est, quemadmodum ipsa rerum veritate erudimur. Sed hæc Dei relinquamus misericordiæ, qui et incertos potest certificare et amici sui Nicolai gloriam notificando amplificare.*

32. Horum quidam, Eustachius nomine, eadem nocte visus est somnium vidisse, ejusdemque somnii horrorem graviter pertimuisse. Videbatur enim sibi quod linguam ejus hirundines morsibus attrectarent et attrectatam omnino discerperent. Quam visionem Eustachius secum reputans, seipsum reprehendit quod, quasi sibi specialius expressum indicio divinæ revelationis, non indicasset sociis se revera sanctum Nicolaum habere, eisque nullomodo dubitandum esse, hoc ipsum quod fecerant eidem sancto viro placuisse : excepta jusjurandi conditione quam de servando integro ejus corpore condictam constabat eos violasse. Hoc illi quasi oraculo partim respirantes, partim vero inter se rixantes, dum seipsos circumspicerent, ut quos arguebat furti conscientia vultus probaret verecundia, pudore convicti, unus eorum, nomine Rodoardus, cum quo et alii IIII, professi sunt se hujus rei conscios fuisse, et duos de dentibus sancti Nicolai in marsupio quodam reposuisse, ipsumque marsupium sancti olei liquorem apud eos jamdiu stilasse. Quibus reliquo corporis restitutis, posito in medio sancti Evangelii textu, generali decreto juraverunt singuli nil sibi retinuisse ex ipsis reliquiis, nil amplius subtrahendum, cum hoc evidenter sancto displicuerit Nicolao. Nec defuit favor divinæ voluntatis, quin ipsa rerum experientia probaret hoc factum placuisse sibi : quia et a fervore suo statim mare conquievit et aura conveniens navigare parantibus aspiravit, eosque in Marchianam insulam cum gaudio transportavit.

33. Deinde cum præterirent Culphum, castrum Trachiæ, quidam eorum, Desinianus nomine, cum lassus obdormiret, beatum Nicolaum vidit sibi in

somnis apparuisse, atque, ut est pio ore, dulci affatu illum ita lætificasse : *Æquo animo esto tu, et qui tecum sunt viri Barrenses isti, cooperatores tui, quia sicut corpore, ita et spiritu vobiscum habeor hic in præsenti.* Viro autem illo honorificentissimum patrem interrogante : *Tu quis es, domine?* ait illi angelicum illud os : *Ego sum Nicolaus, Myrreæ civitatis episcopus, regioni Apuliæ katapan a Deo donatus. Quem si quis vestrum non esse putat Nicolaum,*

Perspicuum dabo vobis signum ne dubitetis :
Auxiliante mea vobis pietate paterna,
Solibus emensis simul octo cum duodenis,
Ad portum Barris gaudentes pervenietis.

Expergefactus quæ viderat narravit, sociosque exposita præsentia et promissione beati Nicolai lætificavit. Igitur jam securiores agendæ navigationis et laxatis sinibus pelagus ingressi, de Cerasana insula panem et aquam dulcem tulerunt sibi, et biduo navigantes venerunt ad insulam nomine Milium, quingentis et eo amplius milliariis expletis. Igitur de Cerasana insula Barrenses sub aurora egressi jam tenebant alta pelagi, jam subductis montibus et insulis fruebantur tantum cœlo et mari, cum ecce avicula quædam, alaudæ similis, eis mirantibus supervenit : et in dextro temone navis, in qua sanctum corpus jacebat, satis familiariter assedit. Quæ quasi ad gratiam salutantis circumvolans, ipsumque vas quo vehebatur summisso rostro deosculans, singulis subinde nautis adgarriebat et gaudentibus adgaudebat. Nec tantum prædictæ navi obsequium lætitiæ exhibebat, verum ceteris circumquaque discurrens, commune gaudium omnibus nuntiabat, et quasi divini favoris interpres, ad laudem et amorem sancti pontificis singulorum animos suscitabat. Nec multo post, recedente avicula, venerunt in Staphnum insulam, et ab ea exeuntes venerunt ad nobilissimum portum qui dicitur Gerecha, ac postea læti et hilares intraverunt Monobasasiam civitatem. Hac relicta, applicuerunt in Methonem insulam, ibique ementes necessaria diverterunt in Sucheam insulam. Hic iterum consolati, sancto confessore Nicolao eis apparente secundo, tandem venerunt ad portum sancti Georgii, gloriosi athletæ Christi et martyris beatissimi, qui quatuor distabat millibus ab urbe Barrensi. In eodem vero portu scrinium quoddam ligneum composuerunt, et de palliis, quæ apud Antiochiam in foro rerum venalium comparaverant, unum pretiosius elegerunt ceteris et ligneum illud scrinium decentissime intus et foris ex eodem pallio adornaverunt, et sic sacratissimum corpus a loculo priore amoventes, post effusas lacrimas et dulcia impressa oscula, cum honore et reverentia qua merebatur, devotissime illud in præparatam sibi thecam deposuerunt.

34. Post hæc omnia de suis quosdam conscendere unam facientes cymbam, miserunt ante se nuntios ad clerum et populum civitatis, qui nuntiarent gaudium et gloriam tam novæ et insperatæ admirationis. Quibus ad portum usque Barrensem navigantibus et necdum vestigiis littora calcantibus, a parentibus et cognatis et amicis curritur undique obviam illis; statimque signa et mira-

bilia quæ apud eos fecerat Deus excelsus disseminantur ab eis per vicos et plateas civitatis, intacibili ore narrantes suis civibus quanta fecit animæ eorum magni consilii Angelus, antidotum salutis et vitæ impertiens his qui longe et his qui prope in allatione corporis sui dilecti famuli Nicolai. Nullus igitur facundia dicendi, nullus officio scribendi declarare sufficit quam dulcis quamque mirabilis emicuerit relatio tantæ novitatis. Videres omnes attonitos, quasi hoc Dominus intonuisset de cœlo; videres exultantes gaudio suosque vix non explicantes jubilos. Non solum tota civitas Barrensis obviam ruit, sed ad concursum et occursum totam provinciam volans fama excitavit. Omnis sexus, omnis ætas novam quasi lætitiam apud se affectabat, et cum vocibus incognitis laudes extorqueret affectus, erumpentibus præ gaudio lacrimis, easdem interrumpebat singultus. Tantam in se populorum devotionem suscitabat pietas Nicolai, quam licet in omnibus sanctis commendet gratia generalis, ipsa rerum experientia in eo quodammodo videtur specialis. Sic ex vicinis urbibus, ex villis et castellis circumquaque jacentibus catervatim populis ruentibus, adhuc procul de littore salutatus et omnium in se oculis intentis, cum maxima laude ad portum usque deductus, quibusque sacri ordinis monachis et clericis in solemni veste sibi procedentibus, officiose præstolabatur.

35. Et cum jam gauderent sanctum excipere corpus, naucleri missa legatione mandaverunt civibus, voto communi apud Myrream metropolim seipsos obligasse : scilicet ut, si beatus Nicolaus Deo annuente seipsum transferendum eis permitteret, quod in dominica curia extra civitatem templum ædificare deberent, in eo loco ubi katapan, id est præfectus totius regionis, consueverat palatium habere. Hujus sponsionis relatione audita, vario assensu divisa est populi sententia : potentioribus eum episcopio inferendum judicantibus, pluribus vero in præfata curia tumulandum conclamantibus. In hoc utrisque adhuc dissentientibus, domnus Helias, venerabilis abbas monasterii beati Benedicti civitatis ipsius, cum monachis suis descendit ad navem quæ sanctum continebat corpus; et post debitam adorationem inter pia oscula, quibusque lacrimantibus, fidei suæ merito obtinuit ut sibi sanctæ reliquiæ servandæ in suo monasterio crederentur, donec redeunte ipsius civitatis domno Urscione archiepiscopo, ejus consilio locus conveniens eis procuraretur. Cujus devotæ petitioni omnium unanimitas consensit; sicque terminata contentione sustinebant ut sanctus Dei exponeretur a mari. Igitur exponente eum nautis et abbate Helia, curvatis genibus procidit ei clerus et populus cum gaudio et reverentia, laudesque Deo magno personantes, qui solus facit mirabilia, ipsius summi Dei qui se glorificantes glorificat, fluentibus præ gaudio lacrimis laudabant et glorificabant in commune magnalia. Hoc itaque modo, monachis et clericis amore ardentissimo submittentibus brachiis de navi est receptus, et multo super eum effuso aromatum diversi generis fumo multorumque thymiamateriorum odore suavissimo circa eum resperso, cum crucibus Dominicis et luminaribus accensis quamplurimis, dispositis ante eum ordinibus psallentium in vestibus albis et palliis operosis, præeunte etiam ac subsequente virorum ac mulierum infinita multi-

tudine laudantium Deum et dicentium : *Benedictus qui venit in nomine Domini; pax in terra et gloria in excelsis*, sanctus Nicolaus, qui et victoria populi dicitur, Barrensem metropolim est ingressus, ex benignissimi Jesu Christi Domini nostri imperiali jussione, a regalibus sedibus veniente, campanis omnium ecclesiarum pulsantibus, pro honore et gloria amici sui Nicolai, Romanæ dignitatis arces introeuntis. Igitur cum maximo cleri plebisque tripudio, hospes hic tantus, tam potens, tam magnus, tam felix et gloriosus infra urbis mœnia deductus. Processiones sacri ordinis, infinitus etiam numerus diversæ ætatis, qui faciem terræ cooperuerat et ad hoc cœleste spectaculum undique occurrens convenerat, ad Sancti Benedicti monasterium, quod in eadem urbe situm est, pari assensu parique affectu omnes viam dirigunt, et eo usque venientes domnum Heliam, monasterii illius abbatem, sacri scrinii custodem statuunt; et sic super altare ejusdem magni Patris Benedicti sacrum illud scrinium, corpus continens sanctissimum, cum psalmis et hymnis et canticis spiritualibus gloriose et decenter inferunt. Et eo super altare collocato, pro concesso eis divinitus pontifice tanto gloriam et honorem et benedictionem Deo viventi præcordialiter dederunt; et cadentes pariter in faciem super terram proni adoraverunt. Qui autem eum a Myrrea metropoli detulerant, armati undique ibidem circumstabant, parati satius mori quam aliquam vim sibi paterentur inferri a primis et magnatibus civitatis, qui dissenserant eorum supradictæ sponsioni.

36. Interea ad domnum Urscionem archiepiscopum legatio dirigitur : qui tempore illo apud Canusinam et Tranum civitates morabatur (quarum pontificatu una cum Barrensi archiepiscopio fungebatur), inde post biduum, Johanne archidiacono suo se comitante, Hierosolymam iturus. Audito itaque tantæ novitatis nuntio, renuntiavit continuo intentioni Hierosolymam progrediendi, et moram non passus in redeundo, dolebat se vel ad horam defuisse tanto civitatis suæ gaudio. Eadem hora surgens archiepiscopus, quia a magno Jesu Deo nostro, qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, principem et advocatum meruit habere in diebus suis talem ac tantum, gratias agens benedixit eum; iterque suum accelerans, ad suam metropolim gaudens et exultans quantocius remeavit. Et veniens ad eam, versus monasterium Sancti Benedicti sitiens et ardens desiderio illuc veniendi, cum Johanne, archidiacono suo, omnique sua familia viam arripuit; et ingressus, continuo se ante sacratissimum corpus in terram prostravit, ibique præ gaudio diutissime flevit. Surgens vero ab oratione, gloriosum Dei famulum Nicolaum benedixit devotissime, et cum omnibus illic astantibus hymnum angelicum : *Gloria in excelsis Deo*, devotissime decantavit. Et ita festinus ad suum remeans palatium, ordinabat quomodo cum laude et gloria cœlestem illam margaritam ad suum deferret episcopium. Quam illius ordinationem naucleri audientes, congregaverunt ad se de civitate sponsionis suæ fautores, statimque ad sua convolantes arma non pigritantur exire episcopo obviam in prælium. Unde et præsul idem confractus est corde, quia videbat dissipatum suum insipiens et futile consilium. Delegerunt autem ipsi cives ex seipsis quosque nobiliores, ut animos episcopi aut ratione flecterent aut aucto-

ritate frangerent, ut in quo videbatur populo dissentire mutata sententia consentiret. Erat autem sententia episcopi vel vi vel dolo tollere corpus sibi beati Nicolai : unde et nullomodo petitionibus potuit attrahi. Ergo qui missi fuerant redierunt inacti; ortaque seditione tumultus popularis cœpit nimium ingravari, adeo ut arreptis armis invaderent satellites episcopi, duobusque juvenibus altrinsecus interfectis discordia suscitaretur inexorabilis.

37. Sub ipso autem discidio sanctum corpus sublatum est a multitudine virorum armatorum, magna voce clamantium : *Christe, Kyrie, eleison ;* et eductum per portam ipsius monasterii a parte maris, cum honore, laudibus et hymnis translatum est ad locum qui dicitur *Katapan*, ubi erat in dominica curia præfecti. Erat autem idem locus in quo eum naucleri præfata sponsione locandum devoverant, immo eum divina dispositio per revelationem tumulandum signaverat. Nam præsens ibi quidam religiosæ vitæ monachus, divinitus sibi revelatum fuisse fatebatur, antequam piissimus et Deo amabilis pontifex Nicolaus ab urbe Myrrea transferretur, scilicet quemdam potentissimum regem, universæ terræ imperantem, unum *Katapan* de suis magnis et primis ducibus destinasse omni Apuliæ regioni, qui eam specialius acquireret suæ fidelitati, et in eadem curia sibi statuens mansionem, sua tueretur defensione omnem regionem. Ergo domnus Helias abbas cum omnibus Barrensium nobilibus, electo loco, qui ædificandæ ecclesiæ aptior videbatur, dejecerunt, quæ in eadem curia habebatur, ecclesiam beatissimi protomartyris Stephani et primi archidiaconi Christi, ecclesiam quoque Eustachii martyris invictissimi, tempore Ælii Adriani cum uxore et filiis Romæ martyrio coronati; et fundamenta ædificandi templi jacientes, eorumdem sanctorum memoriam restituerunt solemnius infra ambitum ecclesiæ illius. Interea multitudo copiosa plebis cum gladiis et fustibus et armis multis custodiam die ac nocte diligenter adhibebat artubus sacris, donec in eadem ecclesia fieret crypta, ubi mansionem sibi a Deo paratam * carissimus et desiderantissimus hospes hic sanctus acciperet Nicolaus. * *add. ex G. 499.*

38. Si quis autem requirere voluerit quantum temporis ab incarnatione Filii Dei usque ad hanc translationem fluxerit, secundum supputationem veritatis inveniet eam celebratam fuisse anno millesimo et octogesimo septimo, decima indictione. Myrreorum vero ecclesiæ Deo auctore declaratus et ordinatus pontifex floruit virtutibus et signis, maxime autem spectabili et speciali gratia benignissimæ pietatis, tempore Flavii Constantini Augusti, Constantii Cæsaris et Helenæ Augustæ filii. In ultimis igitur suis temporibus jam plenus dierum provectæque ætatis, unus trecentorum decem et octo patrum Nicæno concilio interfuit : et solemni edicto * evocatis episcopis totius orbis terrarum, suis impensis christianissimus Cæsar Augustus tam celebrem tamque frequentem detinuit conventum ; donec publice convicta Arii secta hæretici, firmataque veritate catholicæ fidei, quasi quodam cœlesti oraculo ecclesiasticis perturbationibus aspiraret serenitas, et elimatis sententiis, usque in finem seculi ex eodem concilio constaret canonica auctoritas. Quod enim dignum relatu videtur, tanta devotione, tanta humilitatis dignatione sese contemperavit imperialis potestas * *add. ex G. 499.*

eidem sancto conventui, ut infra episcoporum coronam, posita in medio humili quadam sellula, prædictus Flavius Constantinus Augustus, suam ibidem inferret præsentiam, et hoc non nisi exorata circumsedentium ibi episcoporum licentia. Quibusdam vero ex episcopis inter se disceptantibus et mutuæ accusationis libellos eidem christianissimo principi Flavio Constantino offerentibus, statuit diem, quasi eosdem libellos suscipiendi et generalem sententiam omnibus referendi, ut interim hac expectatione suspensos de retractanda fide catholica attentiores faceret. Cumque dies constituta venisset, famosissimus imperator libellos sibi oblatos suscipiens, coram omnibus in concilio dixit : *Istæ quidem accusationes tempus habent proprium, id est diem judicii magni; judicem vero, illum misericordem qui tunc venturus est omnibus judicare. Mihi ergo homini constituto de hujusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium et simul accusatorum : quos minime convenit tales monstrari, qui judicentur ab aliis. Nunc autem imitantes divinam clementiam, in alterutrorum veniam accusationes aboleamus alterutras, et de his quæ ad fidem pertinent catholicam, agere studeamus, cujus gratia huc venimus. Nam novit ipse Deus meus et Dominus Jesus Christus, cujus peccator Constantinus et esse et dici desiderat servus, quoniam, si propriis oculis viderem ministrorum Dei aliquem, clericum vel monachum, peccantem, chlamydem meam exuerem eumque operirem potius quam publicarem.* His a beatæ recordationis magno principe Flavio Constantino benignissime dictis, ignem copiosum accendi in medio concilio præcepit; et congregans omnium accusantium libellos et chartas, sua manu ipse Deo amantissimus princeps ad comburendum in ignem jactavit, fidemque catholicam omnium Patrum subscriptione firmavit. Quibus etiam venerandæ speciei quidam pontifex visus est interfuisse : de quo cum nullus indagare posset quis esset vel unde advenisset, constat multorum testimonio ipsum Dominum Jesum Christum fuisse. Contigit igitur ipsa die, qua Nicænum celebratum est concilium, vicennalia Constantini imperatoris provenire; et est consuetudo Romanorum imperatorum unumquodque decennium publica devotione celebrare. Opportunum ergo judicans rex et princeps Constantinus invitavit tunc ad convivia synodum, et donis competentibus honoravit, admonitosque de concordia fidei et communi inter alterutros pace, petita ab eis oratione, valedixit universis, in Nicæa, civitate Bithyniæ, scribens absentibus quæ fuerint in concilio celebrata et invitans ut, ab omni discordia recedentes, concordarent in exposita concilii fide : quæ non nisi beati Dei sententia et judicium videretur, ex consonantia tantorum et talium sacerdotum Spiritu sancto præsidente constituta, et post inquisitionem subtilissimam et animadversionem omnium dubitationum comprobata.

39. Inde digressus cum ceteris beatus Nicolaus brevi tempore supervixit, jamque senex et plenus dierum ad Deum quem desiderabat, ut præfatum est, lætus migravit. Sepultus autem in majori ecclesia Myrreorum, jacuit ibidem per septingentos et septuaginta quinque annos, et ac si vivens in corpore, miraculis specialiter solemnis. Et non solum præsentibus, sed etiam in toto orbe terrarum se reclamantibus pio affectu se Deo vivere semper declaravit.

40. Exigentibus vero culpis inhabitantium, cum jam pene omnis illa terra vastaretur invasione Turcorum, XII Kl. Maii ordine quo prædiximus ab eadem civitate sublatum est corpus sanctissimum et VII° Idus Maii, ut credimus Deo volente, die dominico, hora vespertina, exceptum est in urbe Barrensi et a domno Helia abbate, credente sibi clero et populo, in basilica sancti Benedicti depositum. Hoc autem factum est disponente Deo et permittente eodem pontifice sanctissimo, anno incarnationis Dominicæ millesimo octogesimo VII°, indictione decima, tenente arces regni Græcorum sanctissimo et Dei cultore domno Alexio, imperatore christianissimo, in urbe regia quæ ex nomine Constantini Constantinopolis est appellata.

41. Quibus autem miraculis sanctum suum Dominus declaraverit, quibusque beneficiis ejus corporalem præsentiam ibidem esse innotuerit, cum longum sit enarrare, non tamen omnino convenit reticere. Dæmoniacus quidam in Beneventana regione vix a duodecim viris poterat contineri. Audita fama pontificis almi, destinatus est ad eum deduci. Sensit miser quod nolebat fieri, et vi qua poterat, reluctari conatus cœpit reclamare beatum non illic esse Nicolaum, immo ad curiam regis cœlestis abisse; et, donec die tertia rediret, conatus eorum ad se curandum nihil valere. Qui licet mendax ab initio mentiri videretur, tamen ad beatum Nicolaum duci cœptus, die tertia curatus est; in ipso adhuc itinere constitutus.

Superveniens quidam leprosus a quodam Barrensium parum sancti olei quod secum a Myrrea urbe detulerant, petiit; quo impetrato manus utrasque intrinsecus et extrinsecus linivit, et corpus suum quod erat miserabili morbo percussum ante et retro diligenter fricavit; statimque Dei virtute et sancti Nicolai intercessione a lepra plenissime curatus fuit.

In eadem die dominica exceptionis ejus, hora vespertina sani facti sunt quadraginta et septem homines, qui ex diversis partibus delati, ad propria reversi sunt gaudentes et sani. Inter quos sanus factus quidam nobilissimus Barrensium, nomine Armenius, habens aridum sinistrum latus; lunatici quoque tres, et quidam homo surdus et mutus; manci duo, infantes gibbosi tres; tres vero cæci lumen sunt adepti. Quidam denique homo de civitate Pisanorum habens brachium aridum et pedibus claudus est sanitatem consecutus; et alii, quos longum enarrare duximus, qui omnes erant incolæ ejusdem Barrensis civitatis.

In tertia vero feria ex multitudine populorum concurrentium ex villis et oppidis atque civitatibus circumquaque positis in monasterio S. Benedicti curati sunt multi variis languoribus detenti. Primo infantulus unus, habens brachium aridum et oculum de capite evulsum, et quædam mulier mendicans et surda et ambobus pedibus clauda, et alter infantulus dæmoniacus, et quædam puella, nomine Armenia, multis diebus ab immundo spiritu possessa. Cum qua etiam sanari meruerunt tres mulieres quarum una tota erat arida et alia gravi ægritudine possessa, tertia vero lunatica et paralytica; et quidam peregrinus sinistra manu aridus oculisque cæcus.

In quarta quoque feria delatum est corpus illud sanctissimum in publicam curiam, quæ dicitur Katapan, ubi sani facti sunt triginta quatuor infirmi cum aliis

novem. Primum quædam mulier tota arida de villa, quæ dicitur Telliacus, puella de urbe Netonto; dæmoniacus unus de civitate Asculo; et quædam mulier dæmoniaca, nomine Asulina de civitate Tarento. Curati sunt etiam lunatici tres et cæci duo; mulier quoque curva incedens et sursum aspicere non prævalens, et altera de castello S. Viti, quod est sub castro montis Scaviosi : quæ quotidie cadebat de caduco morbo, graviter anxiata usque ad exitum animæ. Hæc diligenter inquisita a clericis quid vidisset quando sanata est, dixit venisse super se columbam speciosissimam et super pectus ejus stetisse, et expansis alis cooperuisse se. Qua recedente, subito subsecutus est tam suavis odor, ut æstimaret in paradisi amœnitate consistere. Quod et alii ex curatis hominibus affirmabant sic se habere. Unde indubitanter credendum est quod fuerit ejusdem sancti confessoris angelus, qui sanctum jugiter custodit corpus. Post quam sanata est quædam puella Barrensis nimio fatigata genuum dolore, et alii quos longum est enarrare.

In (1) quinta feria ipse sanctus revelavit se cuidam monacho venerabili, præcipiens ei ut diceret omni qui convenerat populo ne desperarent de sanitate eis præstanda a Deo, quoniam ipsa die jussu Omnipotentis in partes erat iturus Græciæ, tamen priusquam id fieret, videret virtutem Dei in gratiam miraculorum promerentibus non defore. Nam ipso die ante solis ortum liberatus est quidam juvenis a spiritu immundo, qui mutus, surdus ac cæcus vexaverat eum per quinque annos.

Sexta quoque feria Arnulphus, civitatis Vetuntinæ episcopus, ad salutandum sacrum corpus venerabiliter cum suis processit, et interpellans pro suis peccatis Dominum ejusque confessorem Nicolaum. Ipsa vero die supramemoratus Barrensis archiepiscopus cum Godoino, Argentanæ urbis archiepiscopo, et Leone, Cupersanensi antistite, et aliis tribus episcopis atque cum omni clero et populo nudis pedibus accessit et debita reverentia sancto pontifici Nicolao satisfecit.

Sabbati quoque die, hora nona sancto revertenti Nicolao de partibus Græciæ undecim infirmi optata potiti sunt sanitate.

Nec multo post decem et novem cæci curati sunt ab eodem sancto pontifice.

Factumque est infra hebdomadam ut centum viginti quinque sanarentur infirmi, quibuscumque fuissent infirmitatibus detenti.

42. Cum quibus etiam, sicut ipsi perspicere meruimus in tempore illo, per meritum sui dilecti famuli Nicolai a pio Domino de morte ad vitam tres mortui sunt mirabiliter revocati. Quorum unus adhuc ætate parvulus, cujusdam matris familiæ nobilis de Beneventana regione filius, doloris molestia vexatus, spiritum salutis amisit. Cujus corpusculum cum maximis et exquisitis muneribus mater subsecuta, feretrum ante se ad magnum Dei virum, pontificem Nicolaum, a pueris suis portari fecit. Statimque in ipso introitu portarum sancti monasterii, in conspectu scilicet civium et peregrinorum qui ad hoc mirabile confluxerant spectaculum, infantulus ipse qui ferebatur mortuus commovere se in loculo et discooperire cœpit sudario, animamque recepit non sine magno omnium gaudio. Ad cujus staturam mater ceream imaginem fecit, et ob tantæ rei miraculum eam coram altari sancti Nicolai pependit.

(1) *Sequentia hujus num. et num.* 42 *omm. in cod.* 499.

43. Tres viri consanguinitate propinqui pariter comitabantur, beati Nicolai suffragia petituri. Quorum duo pecuniæ viatico inter inter se communiter concorditerque disposito, tertium, quia pauperior erat, immo pecuniæ nihil habebat, a suo reppulerunt consortio. Ille vero propinquitatem generis opponens eos per Dei sanctique Nicolai amorem obtestatus est ne eum desererent. immo quasi quemlibet extraneum in eleemosyna sua assumerent, quatinus Dei et sancti Nicolai auxilium celerius impetrarent. At illi, nullis obtestationibus flexi, illum omnino a suo abjecerunt comitatu. Qui ira tædioque affectus, in lacrimis resolutus somno est depressus. Sed qui auro virginum pudorem redemit earumque patris inopiam fugavit, misero affuit, ejusque dormientis sinum duodecim aureis ditavit. Qui somno excitus Deique dono exhilaratus, maxima celeritate socios est assecutus. Quos diu non latuit unde socio quem abjecerant tanta cursus velocitas tantaque hilaritas advenerit. Instinctu deniqne illius qui totius est caput mali, forsitan cupiditate auri illecti, die quadam cœperunt rixari, adeo ut illum quem Deus solatus fuerat, vulneribus affectum traderent neci. Timentes autem deprehendi cadaver occisum in proximum nemus traxere atque frondibus et foliis illud texere. Sicque cœptum iter tunc aggressi sunt explere. Sed pater piissimus Nicolaus, cui cum Deo habitanti nihil potest occultari, condoluit miseris et, quia ad eum peregrinabantur, noluit eos perdere laborem tanti itineris. Ergo apparuit eis in specie cujusdam peregrini, habitum gerens clerici, qui, associatus eis, quo pergerent cœpit sciscitari. Quibus quia ad sanctum Nicolaum irent fatentibus, talia intulit : *Miseri et infelices, revertimini, quia Deum ejusque famulum nimium offendistis, dum socium vestrum nequiter crudeliterque peremistis ; quem etiam illo in loco frondibus texistis.* Illi vero videntes se esse deprehensos, pedibus ejus provolvuntur, et ne eos publicaret, immo misericordiam impenderet lacrimabiliter deprecabantur. Misericors autem pater, eorum flexus lacrimis, cadaver occisum cum eis adiit, signoque crucis super illud facto vitæ reddidit; sicque ab oculis eorum evanuit.

44. Quidam adolescens beatum Nicolaum adivit; sed quanto fervore dilectionis id fecerit, executio operis, quæ est probatio dilectionis, demonstravit. Rebus ergo suis posthabitis, in urbe insignita sancti Nicolai corpore remansit, seque gratuitum operi basilicæ, quæ miro studio plurium supra beati Nicolai pignera construitur, mancipavit. Diabolus autem, cujus invidia mors in orbem terrarum introiit, illius benivolentiæ invidit, illique per quemdam pretio conductum socium mortem in hoc modo intentat. Die quadam prædictus adolescens cum ipso nequam socio suo administraverat lapides in opus ædificii, donec occasus solis ab opere quemque discedere coegit. Hi duo quorum facta est mentio, benivolus scilicet et invidus, paululum remanserunt in ædificio : unus, quia erat ei circa sanctum corpus remorari devotio ; alter, quia jam meditabatur corde subdolo necem inferre socio. Ipsa enim die pariter rixati fuerant, alterque in alterum convitia * intorserat. Denique, cunctis fere absentibus, nequam socius benivolum lacessivit, injuriis injurias adjecit, immo instinctu diaboli ferro quod * tenebat librato vulnus intorsit, sicque mortem innocenti socio intulit. Quem occisum inter acervum lapidum abscondit,

* *ita G. 499 ; cod.* convitiis.

* *ita G. 499 ; cod.* quo.

ut sic lateret quam perpetraverat immanitas sceleris. Sed non est prudentia, non est consilium, non est ingenium contra Deum. Per effusionem enim sanguinis vestigia quædam inventa sunt, per quæ inveniretur cadaver occisi. Inventum ergo delatum est ad basilicam sancti confessoris; sed quoniam in ejus servitio fuerat occisus juvenis, diu morte teneri non potuit, cui per beati Nicolai merita vivere Christus fuit. Igitur surrexit, qualiterque ab æmulo occisus fuerit palam cunctis edixit. Nequam vero homicida, sibi male conscius, aufugit et non multo post arreptus a dæmone coactus rediit. Qui et ipse per gratiam Dei ac interventu beati Nicolai liberari meruit.

45. Sed et ex tunc et nunc divina virtute potens et speciali quadam benignitate omnibus se reclamantibus compatiens. non solum ubi corpore præsens quiescit, sed quocumque terra vel mari fideliter vocatus fuerit, omnibus adest necessitatibus et periculis: adeo ut etiam in viis et plateis, in civitatibus et castellis, quadam corporali forma seipsum ad consolationem præsentium obvium exhibeat, quibus sibi complacuerit.

Gratias ergo agamus Deo omnipotenti, qui singularis et incomparabilis fons totius benignitatis per beatum Nicolaum speciali quadam abundantia tam largiter affluit, ejusque memoria suam ampliare gloriam non desistit. Hujus itaque intercessio confessoris clarissimi qui innumeros sanitati restituit languidos, nos virtutibus faciat floridos. et sic in hac vita adjuvet Deo placere ut inter cœlorum rutilos choros in perpetuum valeamus lucere: ejus auxiliante misericordia qui vivit et gloriatur Deus in perenni seculorum tempore. Amen.

MIRACULUM S. NICOLAI. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 185, 36°.)

Hæc eadem narratio quæ hic edenda erat, locum jam invenit, quia idem textus occurrebat, in Catalogo codicum hagiographicorum bibliothecæ regiæ Bruxellensis, in Appendice ad codicem 581 (pag. 257). Ad hanc ergo nostram collectionem lectorem remittere liceat.

Ex codice n° 308 (W. 210; St-G. 150).

VERSUS IN LAUDEM S. BAVONIS. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 190, 4°.)

Nuper editi sunt (hoc ipso anno 1885) in *Neues Archiv*, tom. X, p. 371-72.

DE SANCTA LANDRADA. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 190, 7°.)

Qualiter corpus sanctissimæ virginis Landradæ divinitus translatum fuerit a Belisia in Wintreshovum.

Operæ pretium ducimus huic inserere opusculo qualiter sacratissima virgo Landrada, spiritu æetherea transvolans humo commendavit hominem, fidem gesto-

rum ponentes in hominum veterum auctoritate, et eorum inlustrium, plus ignorantes quo pacto videtur habere gravitatis.

Igitur sceptrum regni Francorum optinente principe Pippino, in saltu Beilæ, in villa nuncupata Belisia *, suo sumptu utpote expectabilibus orta natalibus, cœnobium construxit, et honori sanctissimæ semperque virginis Mariæ dedicari fecit. Ubi cum sancte sanctis præesset sanctimonialibus, post multa virtutum insignia, Deo sibi revelante remunerationis suæ diem, perpaucis ante obitum diebus, ac si præsagiret, mandavit venerabili viro, sancto scilicet Lanpberto, se velle sui colloquio perfrui, ante corporalis præsentiæ modum. Quod sanctus præsul ut agnovit, ejus jussioni libenter paruit. Verum eo in itinere jam directo, sed sero veniente, beata hæc carnis ergastulo soluta est. Quod ut agnovit, properare studuit, quo vel sacro obsequium impenderet funeri. Cumque post solis occubitum se sopori dedisset, ecce, intempesta noctis quiete, nondum perfecte oculis somno solutis, sed quasi in extasi mentis posito, notissimus jam dictæ Dei famulæ offertur vultus, hisque verbis sanctum datur compellare virum : *O sacerdotum doctissime veritatisque antistes, o decus ac nostræ merito pars maxima famæ, quam ob incuriam nostra adnullasti monita, nostrum minime præoccupando exitum?* Cui blando affamine sic sacer responsum reddidit heros : *O Christo dilecta cunctisque christicolis amata, ut hujus legationis nuntium comperi, sagaci studio assensum præbere non distuli ; sed nequaquam citius explere quivi. Nunc igitur imploro, ne me celes, tibi quovis familiarissimum * ; sed patenter revelare dignare qualiter qualive loco tuum velis commendare corpusculum.* At ipsa : *Suspice*, inquit, *cælum ac rutilantia cælorum astra, ibique me scito velle sepeliri, quo sacrum sanctæ crucis micans apparet vexillum.* Aspexit, et ecce in villa quæ nuncupatur Wentreshovum *, cœlitus enituit miræ pulchritudinis inæstimabilisque decoris signum Salvatoris. *Hunc*, inquit, *locum tibi divinitus ostensum scias me jam olim elegisse.*

* *Bilsen* in tractu Limburgensi.

* *cod.* familiarissimo.

* *Wintershoven* prope Tungros.

Sacer vero sacerdos his excitus verbis, ad reliquias sacri corporis Belisiæ positas venire maturius maturavit, cunctisque sibi revelatam innotuit visionem. Quam populus accipiens, sancto resistentes pontifici, non alias eam sepeliendam una voverunt conspiratione, quam quo Christo dicata Christoque gubernante cuncta sibi regebat commissa. Quos inexorabiles cernens, pro re pauca respondit : *Amabile est*, inquiens, *præesse civibus, sed placere difficile, cum et inter cognitos semper dura constantia sit. Si vero hanc partem cura vestri respexerit, vobisque secunda suffragia asspiraverit, non magnopere officii mei prætendo responsa. Jussis vestris paremus. Immo oraculum expectabimus, quo salubriter, ut suo numini familiare est, decreta confirmet. Proinde, quia in rebus dubiis una salubritatis est via, ut diva et Deo proxima consulantur, et quoniam illustrior laus est de cælesti progressa judicio, pro reverentia suæ* nostri labor ducat excubias. Fides rerum, ut spero, gestis cohærentibus explicabit, ut famam seculi suggestionum veritate tueatur.*

* *pro* sanctæ?

Quid multa? Sepulta sane est debito fidelium honore in villa antefata Belisia. Post hæc sacro pontifice diversa secum tacito tractante animo de ammi-

rabili sibi ostensa divinitus visione, solitis precum incumbebat solatiis, summissa Deum exorans voce, ne se celaret quid de sacrosacræ virginis ageretur corpusculo. Patuit itaque cœlum divinis sancti præsulis precibus, atque summæ vis orationis ad supernos pervenit auditus. Nam tertio exacto die post corporis commendationem, sic adorsus est populum : *Nemo nostrum est qui ignoret famosissimam claritatem beatæ virginis nuper cœli palatium intrantis. Quare agite, o fratres, jam nunc exanimes revisemus artus, experiemurque quid mihi, ut credo, divinitus ostensa portendat visio.* Cujus obsequentes jussioni eoque præcedente, ad tumbam sacræ virginis properant, atque, detecto * humo, cunctis contemplantibus hujusque raritatem spectaculi stupentibus, nil divini reppererunt thesauri. Sed summus eos consolans blande pontifex, omnes una ad vicum procedunt jam dictum Wentreshovum, ipsoque in loco quo sacrum præsuli Dominicæ virtutis demonstratum est signum, sacri corporis glebam cum ipso sarcofago, mirabile dictu, sic ordinate tamque decenter inveniunt relocatam, quod nulli dubium sit quin id Christo disponente angelicis extiterit factitatum amministrationibus. Sacrum quoque cooperculum thecæ Belisiæ remanserat tantum, ne quis dubitaret de tanti assertione miraculi, nullisque seclis jam abolendo invisibili Christi dextra translati cadaveris inde monimento.

* sic.

O mira cunctipotentis Dei in sanctis suis operatio, qui sic multimodis illos facit coruscare meritorum virtutibus! Ecce, quicquid hominibus impossibile difficileque videtur, facillimum Deo comprobatur. Numquid dubitandum quis credat hæc Christum suæ non egisse meritis famulæ, qui martyri suo Clementi angelica amministratione templum stabilivit in profundo? Hanc igitur beatissimam possidius * excolentes, natalis suæ diem VIII idus julii omni mundo innotescimus, in qua illi Christus, vitæ vitalis remunerator, contulit palmam perhennis gloriæ, et stolam jucunditatis æternæ.

* potius? pro viribus?

Ex codice 487 (W. 211 ; St-G. 164).

MIRAC. S. BAVONIS. (Vid. *Analecta*, tom. III, p. 201, 6° in fine.)

Arnoldus de Oosterzele, vir dives et nobilis, adjacentem sibi invasit terram Sancti Bavonis. Super hoc facto monitus semel atque secundo, induratus non destitit ab incepto. Arguitur in publico, canonice proclamatur coram ecclesia in Sancti Bavonis cœnobio. Ille tamen, non dans honorem Deo, sed spem suam ponens in homine, subjacere maluit maledictioni legitimæ. Quid multa? Natalis aderat apostolorum dies festus: exportatur ad Holthem sanctus Dei martyr Livinus, quem comitatur multus ex undique populus, fontem ibi misericordiæ frequenter expertus. Ubi, sicut ab initio, coram sancti præsentia Arnoldus ipse monetur; monitus ipse arguitur, argutus obsecratur ut desinat jam amplius malignari, et ne differat. Ne diffidat veniam deprecari, ne pro contemptu mereatur per maledictum exterminari. Sævit ille gravius, utpote in reprobum sensum traditus et in desideria

sui cordis derelictus. Statuto autem die decernendi fines terræ quam rapuit, præsens esse noluit. Tunc fratres qui aderant, terram S. Bavonis perlustrantes. veluti potentes patriæ et nobiles docuerunt, sancto Livino ductore, terminum autem ejus multorum judicio diffinitum statuere, transgressorem gladio sancti Spiritus constringentes. Quo facto, sanctus Livinus Gandavum reportatur; reportatus honorifice ab omni clero simul et populo suscipitur; susceptus digna cum reverentia intra sancta sanctorum collocatur. Arnoldus vero terram prius invasam sibi detinuit, in malitia aliquanto perseverans tempore.

Interea solemnis erat dies elevationis sancti Macharii et dedicatæ ecclesiæ Sancti Bavonis, Christo et omnium sanctorum honori. Ad has igitur solemnitates diversi populi confluxerunt. Inter quos ille miser accessit. Qui veniens usque ad ostium, cum vellet ecclesiam ingredi dum vespertinale parabatur officium, quidam suorum comitum ei consuluit suam prius mundare conscientiam, ne contempta excommunicatione temerarie sanctam intraret ecclesiam. Et ille inquit: *Denarium offeram reconciliationis gratia. Sancti Dei misericordes sunt.* Hac securitate domum Domini introivit; denarium in manu, non decalogum in sensu portavit, et in fine templi coram sancta cruce oratum stetit. Et quid in oratione illa spiritus hominis egerit nescitur; homo tamen quasi orandi gratia cadens in faciem, moritur. Moriens autem Sancti Bavonis terra simul et vita destituitur, et, ut scriptum est, subito tollitur qui diu toleratur. Fama volans populum timore concussit, et omnes qui audierunt mirati sunt, Deum in sanctis suis magnificantes. Arnoldus itaque mortuus ab ecclesia quam incaute vivens intravit exponitur, donec a propinquis ejus inito consilio per Balduinum de Ganda et Arnulfum et Gerbodum, nepotes ejus, terra sancto Bavoni ablata restitueretur. Tunc demum, illis de cetero emendationem pollicentibus, ab abbate et fratribus absolvitur, absolutus autem fidelium more sepelitur.

Villam Sancti Bavonis Holthem deprædavit quidam de Merbeka Sygerus, sepulcrum sancti Livini quod eo loco veneratur non veritus, nullum relinquens armentum in præsepibus, nec aliquid de omni supellectili in domibus. Hic iterum a fidelibus arguitur, monetur, et ne tam impie Deum et ejus militem exacerbaret increpatur. Lætatur ille capta præda, et in sanctum Dei evomens suæ vesaniæ verba, tibiam manu percutiens: *Eia,* inquit, *Bavo vester quid aliud est quam in tibiis papula?* At cives loci illius, colligaturas perditorum animalium Gandavum deportantes, partim super altaria partim super scrinia projiciunt, et sic lacrimabiliter exclamavere: *Bavo, Dei miles, ubi es? Exacerbavit te Sygerus, diaboli satelles; conturbavit et male distraxit tibi servientes. Immuniti sumus propter peccata nostra hodie; sed contritos corde et humiliatos spiritu non sinas opprobrium gentibus esse.* Mulieres vero femineo clamore sanctum Bavonem flebiliter inquietaverunt, quem dolebant in tribulationibus suis quasi dormitare. Quorum lacrimis condescendens concio fratrum, corporibus sanctorum super terram depositis, attentius divinis instabat officiis. Multum quidem populorum tribulationem et injuriam lamentabatur; sed multo magis de sanctorum depositione contristabatur. Sigerum quidem in primis ad satisfactionem admonebat; sed, quia noluit intelligere ut bene ageret,

excommunicabat. Populum insuper hortabatur expectare Dei et sanctorum patientiam. Igitur Sygerus in incepta permanens malitia, nigrum Arnulfum quemdam, sibi similem, combussit obsessum in domo sua, et cum Juliano apostata ex improviso vulnusculum in tibiis sed gravissimum excepit, eo scilicet in loco ubi sancti Bavonis nomini papulam assignavit. Mox omnium membrorum usu destituitur : et qui superbiendo illuc venerat, aliorum manibus cum dolore reducitur. Accersitus denique a Gandavo præpositus, dolentem illum invisere perrexit. Quem licet in extremis vidit angustiantem, tamen, quia pollicitus est emendationem, pro qualitate temporis absolvit. Ipse autem inter angustias imminentis mortis, anxius finem præstolatur sui, et ingravescente carnis molestia æger spiritus exhalatur. Deinde præpositus Gandavum revertitur; sancti cum letaniis et missarum solemniis relocantur; Deus et Dominus noster in commune ab omnibus mirabilis in sanctis suis prædicatur.

Ex codice 488 (W. 204; St-G. 156).

VETUSTISSIMUM OFFICIUM S. LANDOALDI. (Vid. Catal., cod. 488, præfat.)

De S. Landoaldo.

Ad Vesp. ℟. Prudens. Hymn. Iste Confessor. ℣. Ecce sacerdos magnus. In Evang. Rex regum et Deus universorum, Domine Jesu Christe, dignare his sacris interesse solemniis, dilecti tui Landoaldi gloriæ et honori dicatis : quem gloriosum nobis patronum in terris et piissimum interventorem providisti in cœlis.

Invitatorium. Jubilemus unanimes Christo regi, qui Landoaldum sanctum diademate regni coronatum sacro sociavit collegio præsulum. *Ps.* Venite.

In primo Nocturno. — [Ant.] Regnante Christo et christianam monarchiam pacifice moderante, athleta ejus Landoaldus materno prodiit ab utero. — Ant. Fonte ergo baptismi renatus, elegit divinæ nativitatis nobilitate clarere et ad cœlestia mente transire. — Ant. Hunc Romulea educatum sophia, apostolicis atque evangelicis Spiritus sanctus decenter instituit disciplinis. — Ant. Beati papæ Martini adhærens magisterio, sancti sacerdotii promeruit sublimari fastigio. *Ps.* Verba mea. — Ant. Beato Amando his diebus apostolorum limina visitante, idem Romanus Pontifex sanctum sociavit Landoaldum ad evangelizandum gentibus Dei regnum. *Ps.* Domine Dominus noster. — Ant. Ad arbitrium domini Apostolici tanto adjunctus præsuli, Trajectum sanctus venit Landoaldus, ubi ejus favens nutibus decenter amministrabat vices pontificatus. *Ps.* In Domino. — ℣. Amavit eum Dominus.

Responsorium. Beatus Landoaldus, nobiliter mundo natus, sed nobilius cœlo renatus, per singulos ætatum gradus magnarum virtutum adolevit incrementis. ℣. Quotidie proficiens de virtute in virtutem, secundæ nativitatis nobilitate studuit clarere. Per singulos.

℟. Prudens adolescens, sanctissimus Landoaldus, in diebus dulcis juventæ thesaurizavit thesauros, in populo Dei opportune spargendos. ℣. Repletus spiritu sapientiæ et intellectus, per virecta Ecclesiæ immarcessibiles decerpsit flores. In populo.

℟. Mediante beato papa Martino, anima Landoaldi animæ adhæsit Amandi, quem Spiritu sancto plenum consedere sibi fecit Trajecti. ℣. Christus Ecclesiæ suæ satis utile providit consilium, quod Landoaldum suum suo sociavit Amando. Quem Spiritu.

℟. Dum ergo Deo amabilis Amandus, armatura Spiritus sancti accinctus, gratia fidei externas adiret nationes, sanctus Landoaldus sacerdotale decus Deo digna amministravit gloria et honore. ℣. Illo denique sponte pro Christo exulante, si forte purpureas martyrii inveniret palmas. Sanctus. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sanctus.

II Noct. — Ant. Sancto igitur Landoaldo Deus adauxit ad gloriam ut Lantbertum, almæ indolis puerum, Christi quoque pretiosum martyrem futurum, susciperet nutriendum et cœlestibus studiis informandum. *Ps.* Domine quis habitabit. — Ant. Medius horum Spiritus sanctus utrumque respexit: seni quidem sancto sapientiæ thesauros, puero autem ingenium docile tradens. *Ps.* Domine in virtute. — Ant. Huic ergo viro sancto digne est sociatus tantus adolescens, ut in peragendis ab eo miraculis cooperator adesset herilis. *Ps.* Domini est terra. — Ant. Horum prædicat gloriam fons limpidissimus, quem puer Dei orando et vir Domini crucis signum protendendo manare fecerunt. *Ps.* Cantate I. — Ant. Talium favor magnalium regis Francorum penetravit palatium : unde et rex cum optimatibus et omnibus aulicis collaudavere Dominum in excelsis. *Ps.* Dominus regnavit I. — Ant. O Pater Landoalde, magna est apud Deum et homines gloria tua : per eamdem te quæsumus gloriam, ut piis precibus vitam nobis obtineas sempiternam. *Ps.* Cantate II.

℟. Quædam namque christicola inclementer legione dæmonum vexata, mox ut ex nomine sanctum inclamavit, horrendam immundorum spirituum phalangam ex ore vomuit. ℣. Orante pro ea hoc cœlesti medico et repropitiante ei Domino Jesu Christo. Mox.

℟. Diversorum catervæ languentium ad hunc cœlestem confluebant medicum : a quo tam corporum quam animarum vitale mox hauriebant antidotum. ℣. Sanatis succedunt sanandi et medicatis medendi. A quo.

℟. Tunc generosæ stirpis adolescens Lambertus, gloriosus pontifex et martyr futurus, tanto patri adhærere cœpit. Qui eum paterna caritate et materna sibi dulcedine conglutinavit. ℣. Interfuit eis Spiritus sanctus, qui mentem dulcissimi juvenis informavit doctrina venerandi senis. Qui eum.

℟. Sicut quondam sanctus Clemens sub pedibus Agni fontis venam aperuit, ita sacer Landoaldus fontem lucidum per signum crucis produxit, in testimonium aquæ vivæ ex ejus ore manantis et in vitam æternam salientis. ℣. Ejus nimirum Spiritu plenus fuit, quem æquali in opere Deus honoravit. In testimonium. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. In testimonium.

Ad Cantica. — Venerandus confessor Landoaldus, expleto vitæ cursu, a Domino vocatus et a sanctis gloriose susceptus, aulam cœli petiit coronandus, ubi æterno regi astat, angelis sociatus.

℟. Pretiosus Domino Landoaldus more patriarcharum cum Deo ambulavit et peregrinationem adiit cum Adriano martyre, qui in purpura Agni stolam tinxit, et cum Amantio levita, qui cum Stephano in Domino obdormivit. ℣. Comitatæ sunt eos præclaræ virgines, Vinciana et Adheltrudis, Agnum Dei prosequentes cum septem aliis septiformis gratiæ Spiritu plenis. Cum Adriano.

℟. Hi sancti, Deo et angelis dilecti, quomodo in vita sua caritatis fœdere connexi invicem se dilexere, ita post excessum solemne decus sepulturæ in una basilica suscepere. ℣. Virtus divina in ossibus recondita vivificis, mira cœpit prodere miracula de sepulcris. Ita.

℟. Divinis ergo ammonitus responsis et attonitus miraculis, sancta sanctorum adire non distulit Florbertus, dignæ memoriæ episcopus, qui simplum dedicationis gaudium duplicavit sanctæ translationis gaudio. ℣. Affuit plebs fidelium cum hymnis, cum votis et precibus; affuit clerus et venerandus sacerdotum chorus. Qui simplum.

℟. Gaude, desiderator bone, sanctissime Landoalde, qui desiderantem te Christum desiderasti et talis desiderii compos esse meruisti. Gaude ergo, cui Christus extat gaudium, corona et præmium in gloria angelorum et contubernio sanctorum. ℣. Ecce etenim gaudet super te Deus, Deus tuus, quem in decore suo cum angelicis civibus mundis aspectas luminibus. Gaude. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

Ad Laudes. — Ant. Sanctus Landoaldus, cum apostolo Paulo dissolvi et cum Christo esse cupiens, aiebat cum lacrimis: " Quando veniam et apparebo ante faciem tuam, Domine? „ — Ant. Anhelanti ad Deum talibus precum suspiriis condelectatus Spiritus sanctus, et pia eum consolatione fovit et desiderio satisfecit. — Ant. Cumque procedentem de Patre Natoque Spiritum mellifluo hauriret pectore, animam divinis mysteriis refectam in manibus sanctorum efflavit angelorum. — Ant. O felicem per omnia virum, qui angelorum et sanctorum officio suscipi meruit et de manu Domini coronam regni accepit. — Ant. Quam jocundum cum Christo perpetim gaudere et sanctis omnibus interesse : quod promeruit Deo dilectus Landoaldus, cœtibus angelicis admixtus.

℟. Sancte Landoalde. Hymn. Iste confessor. ℣. Ecce sacerdos magnus. In Evglio. [Ant.] Angelorum decus et gaudium, Christe, qui sanctum tuum Landoaldum, eximium decus Ecclesiæ, in decus transtulisti Hierusalem supernæ, da nobis per hæc festa, quæ in honore ejus celebramus annua, suspirare ad ea quæ sunt continua.

Ad horas diei, ant. de Laudibus. — **Ad secundos Vesperos**, ut mos est.

Exulta et lætare, dignissime pater Landoalde, qui gloriosus apparuisti in conspectu Dei, quem in decore suo conspiciunt oculi tui. Ora pro Ecclesia universali, ora pro statu christiani imperii et omni populo sancto Dei.

VETUSTISSIMUM OFFICIUM S. LIVINI. (Vid. Catal., cod. 488, præfat.)

De sancto Livino.

Ad Vesperos. ℟. Inter proceres. HYMNUS. Deus tuorum. ℣. Magna est gloria ejus i. s. t. IN EVANGL. Lætentur filii Ecclesiæ inter flores martyrum, beati Livini exultantes celebritate : qui adeptus quam meruit palmam victoriæ, nobis, petimus, apud Deum * subveniat pia intercessione.

* *cod.* eum.

Invitatorium. Personis trinum, simpla deitate sed unum, laudemus Regem Livinum glorificantem, qui testem tantum sibi legit sanguine dignum. *Psalmus.* Venite. HYMNUS. Martyr Dei.

In primo Noct. — [ANT.] Floruit egregiis infans Livinus in actis, Scotia quem genuit, patronum Gallia sentit. *Ps.* Beatus vir. — ANT. Qui dum viscerea matris membratur in aula, nondum natus homo, dignatur amore superno. *Ps.* Quare fremuerunt. — ANT. Spiritus in specie rumpens nocturna columbæ, lacteolis guttis ter lustrat basia matris. *Ps.* Cum invocarem. — ANT. Ortu pusioli lætantur cuncta Livini, nec lætis hominum dissentit gratia rerum. *Ps.* Verba mea. — ANT. Tempore baptismi proceres cum principe regni fonte levant puerum, nec defit ab æthere signum. *Ps.* Domine Dominus. — ANT. Dextra superveniens aderat puerum benedicens : o quam felices tantæ prolis genitores. *Ps.* In Domino confido.

RESPONSORIUM. Electus Christi martyr Livinus, ex utero matris a Deo præelectus, regalem qua pollebat libertatem ad regis æterni transtulit servitutem. ℣. Intendens summis animum puerilibus annis. Ad regis.

℟. Inter proceres regni sanctus martyr famulatum exequens Dei, per sacræ justitiæ observationem gloriosam meruit virtutum operationem. ℣. Nondum incedens annos pubertatis, regalis signifer superni regis. Gloriosam. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Venerandæ indolis puer condolens torqueri vexatos miserabiliter, oravit et exoravit liberari mirabiliter. ℣. Expansis in cœlum manibus et lacrimabiliter surrectis luminibus. Oravit.

℟. Compatiens nutrici clementia adolescentis ingredienti * viam universæ carnis, dum adest ubi jacet conclamata, jam euntem revocat ab inferis ad superna. ℣. Inter deflentes appellans judicis aures, perfusus lacrimis, dum transit cœlica votis. Jam euntem. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Ab inferis.

* *cod.* ingredientis.

In II Nocturno. — [ANT.] Sanctus Livinus, populari laude remotus, terrea vota fugit, et celsa palatia spernit. *Ps.* Domine quis. — ANT. Inter desertæ loca cunctis invia silvæ, silvestris victus teneros depascitur artus. *Ps.* Domine, in virtute. — ANT. Turbavit regni faciem discessio sancti. Rex accersitum monet, orat degere secum. *Ps.* Domini est terra. — ANT. Sollicitum curis Livinum religiosis angelus hærentem solatur, et ire nolentem. *Ps.* Exaudi, Deus, orationem. — ANT. " Vade, ait, Anglorum manet insula glorificandum te, per eum Regem cui servis, cuncta regentem. " *Ps.* Te decet. — ANT. Ecce cui ductor sum missus, necne viator : non percuncteris, per Christum nam gradieris. *Ps.* Bonum est.

℟. Fidelis Christi servus, angelo præeunte deductus, quasi florentum per gramina camporum, inmersis pedibus supergreditur mare procellosum. ℣. Quo transit sanctus tanto ductore Livinus, unda jacet, non aura nocet; liquor invius hæret. Inmersis.

℟. Sacerdos Dei Livinus, pontificali cathedra sublimatus, dum susciperet sanctam benedictionem, vox a superuis intonat ad ejus comprobationem. ℣. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. Vox.

℟. Ingrediens sanctus domum paralysi laborantis, nullum præter linguam movere membrum valentis: " Surge, ait, homo, et aquam mihi porrige lasso. " ℣. Surrexit sanus: nescientis meritum prævenit virtus. Surge.

℟. Gemma Dei martyr Livine, flos cœlestis, lux patriæ, liberator magnificus pereuntium: servorum offer laudes intra summæ pietatis sacrarium. ℣. Qui super mare pedes cucurristi, et naufragum * pereuntem tecum reduxisti. Servorum. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Servorum.

* *cod.* naufragium.

Ad Cantica. — Beatus Livinus qui confidit in Domino, facere fructum non desinens, aliquando patriam linquens et honorem patriæ, nomen æternum sibi tendit hereditare. — **cc.** Beatus vir. ℣. Magna est g. e. i. s. t.

℟. Sanctus Domini sacerdos Livinus, Dei providentia Gandavum ingressus, a venerando patre Florberto monasticæ caritatis suscepit hospitium: ubi ad sepulcrum sancti Bavonis ter denis diebus celebravit solemnia missarum. ℣. Officiose se amplectens susceptum, cuntis ibidem morantibus se præbet officiosum. Ubi.

℟. Dum circuiret prædicando terram Brabatensium, imperio liberans hominem a dæmone vexatum, puero lumine privato lumen restituit oculorum. ℣. Ad salutem multorum oculos carnis habentium, sed oculis cordis carentium. Puero.

℟. O summæ virtutis auctorem, incisam servi linguam officio restituentem et incidentes igne cœlesti subito consumentem. Sancte martyr, averte servis tanti judicis iram ultricem. ℣. Jam tortores tuos torquet ignis gehennæ, et te coronandum expectat gloria vitæ. Sancte.

℟. Gloriose igitur sanctus martyr Livinus cursu consummato, ad palmam martyrii confortatus a Domino, tandem transmissus ad vitam, purpuratus sanguine. Hodie feliciter laureatus obdormivit in pace. ℣. Ipse nostris subveniat precibus, qui dignis tormentorum triumphis a Deo coronandus. Hodie. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Hodie.

Ad Laudes. — [Ant.] Anima justi ab angelis suscepta, videntibus qui aderant, in cœlos est delata. Mors sanctorum o quam pretiosa. — Ant. Concurrunt fideles quique, inter quos Craphahildis cum Briccio infante, quem sanctus martyr susceperat de sacro fonte. — Ant. Ut vidit vero hominem Dei decapitatum, erumpens in vocem: " O, inquit, injuria rerum, non est in terris lex et judicium. " — Ant. Insiliens unus satellitum caput mulieris secuit per medium, et super matrem in tres partes concidit innocentem filium. — Ant. Gloria tibi, Christe, qui in gratia Trinitatis sanctæ hos pariter dignatus es coronare.

℟. Sancte Livine. Hymnus. Deus tuorum. ℣. Magna est gloria e. i. s. tuo. In Evglio. [Ant.] Pretiosus athleta Domini, matre seorsum, sed filio secum posito,

in loco sepulcri hodie tripudiat feliciter in cœlestibus, cum quibus laudat Deum et dicit " Benedictus Deus. "

Ad horas diei. Ant. de Laudibus. **Ad IIos Vesperos,** antiph. de primo Nocturno et psalmi de uno martyre.

* Magnificet sanctum devotio festa Livinum, sanguine purpureum civem super astra polorum. O noster salve, salve per secla patrone. Suscipe servorum pia semper vota tuorum.

* *adscriptum in cod.* In Evglio A.

Ex codice 499 (W. 205; St-G 154).

EX TRANSLATIONE S. MARIÆ MAGD. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 206, 3o.)

Verbo retransmisit (*apud Faillon, op. cit., p. 747, lin. 8*) *hæc adduntur:* Deinde vero sub anathemate interdixit, ac pontificalibus privilegiis roboravit, ut nemo aliquando cujuscumque gradus aut ordinis seu dignitatis ex omnibus quæ prædictus Gerardus sacris locis liberali donatione largitus fuerat, demere aut immutare arroganter auderet. Quod si quispiam præsumeret, perpetuo anathemate feriretur. Ipsi quoque Francorum reges, Ludowicus videlicet et Karolus, pari conditione præceptorum chartis, suorum anulorum sigillis insertis, summam eisdem locis munificentiam * sui vigoris regii stabiliverunt. Quorum formidabilis opinio, longo in processu temporis obtinuit vigorem. Post...

* *cod.* ymnificentiam.

Ibidem, lin. 16, post domorum *add.:* Nemo enim ab eis tutus evasit, nisi quem munitio alicujus castri aut clausura civitatis defendit. Ecclesias...

Ibid., lin. 29: Dicitur enim Viceliacum, quasi inde videatur orizonta cœli circumtuentibus peramplissima. Seu etiam Viceliacum dicitur, quod...

Lin. 15 a fine, post partem : Ecclesias quoque et monasteria igne cremata cum ceteris rebus humanis ad solum usque deduxit. Interea... capiens universam supellectilem illius diripuit, captivorum...

... Perduceret (*p. 748, paragr. 1, lin. 4 a fine*). Dum hoc siquidem ageret, occurrit ei videre circa majorem quæ fuerat in civitate ecclesiam mandronarum tuguriolis victos * senes ætatis decrepitæ, præstolantes alicujus transeuntis adventum, victus edendi gratia. Hos cum vidisset, divertit ad illos, caute inquirens ubinam locorum fuisset ecclesia in qua corpus beatæ Mariæ Magdalenæ a sancto Maximino olim sepultum a fidelibus veneraretur, sentiens se ad hoc illuc devenisse, non solum ad præsens adoraturum, verum etiam ob amorem illius sanctæ Christi famulæ ibidem diutius permansurum, nec minus etiam in quantum valeret sacris reædificandis inserviturum. Illi, hæc audientes admodum læti, promiserunt se illi in cunctis fideliter parere et quæ vellet ostendere. Dehinc, oratione completa, invitat illos ad prandium, quoniam diutina videbat illos deficere inedia. Ac sic utrique refocillati, surgentes a prandio, perrexerunt ut locum desideratum præfatus Badilo certius inviseret, nutu eorumdem senum. Qui pariter egredientes, ostenderunt illi veluti jam civi domestico mausoleum intra sacrarium principalis ecclesiæ honorificentissime...

* *sic.*

... Fecerunt (*p. 749, lin. 5*). Deinde altaribus restauratis, pannisque ex more circumpositis, interdum missas celebraverunt. Post aliquod vero dierum aliquanti indigenarum, repedantes a Sarracenorum captione ad patriam, eumdem Badilonem paterno affectu sibi præpositum et in cunctis advocatum instituerunt. Ipse quoque concorditer agebat ad omnes, tam animarum quam corporum, quæ profutura cernebat. In reædificandis quoque utensilibus * assiduus laborator existens, universis complacebat. Sicque quinquennali lustro ibi degens, plurimarum facultatum copiam adquisivit. Quo tempore evoluto cœpit...

* *cod.* utensibilibus.

... tentabant ad propria, sicque veloci cursu (*p. 750. lin. 14*) properantes venerunt ad Neumausam...

Ad finem, post ultimum verbum reposuerunt, *add.:* Quo in loco ex hinc diversis atque innumerabilibus, Domino cooperante, signorum virtutibus claruit.

MIRACULUM S. NICOLAI MYRRENSIS. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 207, 7°.)

De sancto Nicolao. — Duo mercatores consocii fuerunt, qui lustrando diversas regiones vendendo et emendo infinitam congregaverant pecuniam. Deinde repatriantes, in cujusdam noctis crepusculo in hospitio unius eorum magno sunt recepti gaudio. Nec * mora, post susceptam cibi potusque receptionem fessa corpora dormitioni dederunt. Interea antiquus ille humani generis persecutor fallaciæ venenum in pectus mulieris infudit, ut domino suo consiliaretur illum socium suum clam intempesta nocte interimere, quatenus divitias utrorumque labore partas solus obtineret. Quod dum mulier perfida auribus viri primo renuentis hortando, admonendo, obsecrando sæpius instillavit, instinctu antiqui serpentis voluntati suæ pestiferæ acquievit citissime. Igitur mitem immites, fidelem infideles sopori deditum more lupi membratim distrahunt, membra quidem in penetralibus suis occultantes, et immensam illius pecuniam in receptaculis abscondentes. Matutinali vero tempore fama undique replevit confinia unum illorum cum gaudio reversum, alterum vero nusquam comparuisse. Uxor igitur illius, hac dira legatione suscepta, quasi amens socium mariti sui aggreditur, quærens quo vir suus devenisset. At ille, plenus fallacia, affirmabat multimodis juramentis hesterna nocte eum cum copiosa pecunia ab hospitio suo discessisse, nec postea vidisse. Mulier vero his verbis utpote sagittis vulnerata letiferis, ad statuam sancti Nicolai, quam adorare consueverat, recucurrit, dolore dictante, in hæc verba prorumpens : *Tu gemma sacerdotii**, *electe Dei confessor, Nicolae, cujus misericordiæ et pietati virum meum, me ipsam et res nostras commiseram, quare nos oblivioni dedisti? Quamobrem virum meum mihi non reddidisti? Vere nunc, si maritum meum tibi commissum mihi non reddideris, nomini tuo amodo nec gloriam conferam, nec honorem.* Hæc et his similia postquam flendo dixerat, discessit, obvians sancto Nicolao. Cui sanctus his usus est verbis: *Quid fles? cur lacrimis manas?* Cui dum mulier omnia sicut gesta erant seriatim exposuerat, a sancto Nicolao ducta est ad viri sui occisorem. Quem electus Dei servus his aggreditur interrogationibus:

* *cod.* Hæc.

* *cod.* sacerdotis.

Dic mihi, miser, dic ubi sit maritus istius mulieris. Qui postquam juramentis multimodis affirmavit socium suum in præteritæ noctis crepusculo sanum et incolumem discessisse, egregius Dei amicus, invocato Creatoris cœli et terræ nomine, occisum admonuit ut, si in receptaculis illius hospitii occultatus fuisset, responsum non denegaret. Mira res : vix sanctus sermonem finierat, cum lingua dilaniati corporis aperta voce se adesse respondit. Cujus vocem vir Domini hilari corde percipiens, membra illius dilacerata sibi præsentari jussit; et invocata summi regis majestate, anima ad corpus rediit. Quo viso, postquam electus Dei servus omnipotenti Deo dignas persolvit gratias, erectum virum uxori reddidit, dicens : *Ecce, per Dei misericordiam virum quem mihi commendasti tibi sanum reddo.* Unde mulier lætificata gratias egit sancto Nicolao et omnipotenti Deo, cui est honor et gloria in seculorum secula.

ALIA MIRACULA DUO EJUSDEM SANCTI. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 208, 13º.)

Edita jam paulo superius, pag. 191, in Appendice ad cod. Gandav. 289, ubi constituunt numeros 43 et 44.

EX S. GERULPHI MIRACULIS. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 208, 16º.)

I. Anno Domini Mºcccºxxxviº, ante festum Purificationis, quidam frater Gandensis Ordinis Fratrum Prædicatorum et prædicator notus * a multis, in villa et in conventu Gandensi, ante festum Purificationis percussus gravi infirmitate, perdidit usum omnium membrorum. Qui, factis diversis votis ad diversos sanctos et adhibitis diversis medicamentis et herbis, nihil sibi valuit, sed remansit decumbens usque ad sabbatum ante Nativitatem Domini. Qui jacens in lecto, audivit narrari diversa miracula quæ Dominus per gloriosum martyrem suum, beatum Gherulphum, dignatus est operari. Qui prorumpens in lacrimas, se sibi devovit, promittens cum blado se ponderari. Qui statim manum cum cypho posuit ad os et bibit : et cum esset majus frigus de toto hyeme incepit dormire, cum prius quasi nihil dormiret. Et dormiendo sudavit illa nocte et dominica sequente et feria secunda et tertia : et sudando nervos extendi, in tantum quod feria quarta, in vigilia Nativitatis Domini, vidente toto conventu ecclesiam intravi, et quotidie postea, et partem promissi implens quanto citius * potero devotus implebo quod restat *, ad laudem * et gloriam Dei et gloriosi martyris ejus. Impletum anno Domini Mºcccºxviiº (*sic*).

II. Anno Domini Mºcccºxliiº, in die Trinitatis Domini *, quando corpus beati Gerulphi in ecclesia de Merendre requiescit, accidit quod quidam juvenis natus de Tronchinio, cum secundum antiquam consuetudinem cum suis coævis lac atque alia quibus vesci deberent acquisivisset, ipsi ob amministrationem talium litigantes, prædictus juvenis in vanum juravit per caput beati Gerulphi. Qui cum jurasset, confestim de morbo caduco cecidit. Astantes ob hoc perterriti, auxilium

* *cod.* notis.

* *cod.* sicius.

* (q. r.) *in marg.*

* *cod.* laudum.

* *sic.*

prædicti martyris humiliter implorarunt. Mox ille ab hac infirmitate liberatus, ** in marg.* peregrinationem suam toto tempore vitæ suæ ad corpus * prædicti martyris vovit, et de cetero malum non sentiit.

III. Ad illum in necessitate recurritur, de cujus fiducia nullatenus hæsitatur. Hinc est quod quidam in parochia de Lederne cum cecidisset maxime vexatus morbo caduco, astantes non hæsitantes de adjutorio beati Gerulphi, immo verius de intercessione ejusdem confidentes, peregrinationem suam in ecclesiam de Tronchinio, ubi corpus ejus requiescit, voverunt: ipse etiam confestim ab hac infirmitate liberatus, similiter peregrinationem vovit et perfecit, et de cetero ab hac infirmitate vexatus non fuit. Benedictus Deus, qui talia dignatur ostendere, ob merita beati Gerulphi. Actum fuit hoc anno XLIII.

IV. Possumus narrare aliud miraculum simile huic de quadam puella duodecim annorum vel circiter, nata de Gandavo. Ista multum vexata fuit sexies vel circiter morbo prædicto. Parentes nimirum multum inde dolentes, peregre venerunt ad ecclesiam Tronchiniensem, ubi corpus prædicti martyris requiescit. Consilium etiam a sacerdote parochiali, quid super hoc facere possent, postulaverunt. * *pro* quod ? At ille dedit eis parvam particulam sudarii super quam * caput prædicti martyris requiescit, et illam ad collum puellæ filo appendi jussit. Pater etiam tantum bladi quantum puella ponderare posset, se daturum esse promisit. Quod dum factum fuit, puella ab hoc malo de cetero detenta non fuit. Factum fuit istud miraculum ad gloriam et honorem beati Gerulphi anno XLIIII, post Pascha.

V. Anno Domini M°CCCC°XXI° fuit quidam cives Gandensis captus ab Erminacensibus * juxta Parisius, ac suspensus per pedes, eo quod nollet reddere unam summam pecuniarum, quam libenter habuissent. Eo sic pendente, invocavit multos sanctos ac sanctas; sed nihil sibi profuit. Tandem invocans nomen sancti Gerulfi, accesserunt ad eum et dimiserunt eum ire in pace, sicut ipsemet dixit postea. * Armagnac ?

VI. Anno Incarnationis Domini M°CCC°XLVII° accidit in ecclesia Trunchiniensi quod quidam puer masculus, nomine Johannes, ætate X annorum vel circiter, natus de parochia de Arsele, qui fuerat obsessus quodam dæmone, unde nimium vexabatur : accidit enim, cum parentes ejus diversas peregrinationes vovissent et minime profecissent, tandem, cum visitarent limina beatæ Mariæ Sancti Petri in Gandavo, transiverunt per Trunchinium, ubi corpus beati Gerulfi martyris quiescit. Appropinquaverunt cum puero Trunchinii ecclesiam ac visitaverunt corpus et feretrum beati Gerulfi; voverunt beato Gerulfo, si posset puer sanitatem consequi et precibus beati Gerulfi liberari, quod quamdiu vixerit beatum martyrem Gerulfum peregre annuatim visitaret ac cum ipso parochiam circuiret. Sed quid accidebat? Puer cum parentibus remanserunt coram beato Gerulfo novem dies, puero multipliciter vexato et dæmone fugato per singula membra pueri: unde semel puer dæmonem senserat in pollice suo. Et captus ibi a sacerdote cum stola, bene per quatuor vel quinque dies sensibiliter in pollice tenebatur. Deinde balneato puero coram conventu, locutus est dæmon ille patulo ore pueri, et maxime aperto et horribili. Dixit coram conventu et astantibus multis aliis, viris et mulieribus

nomen suum, et quod alias fuisset ibi in quadam muliere de parochia de Meerendre, quæ curata fuit coram beato Gerulfo, et quod ipse proxima die mane exiret, coactus precibus beati Gerulfi. Altera die mane venit ad puerum curatus ecclesiæ Trunchiniensis. Invenit puerum coram beato Gerulfo incolumem et ab omni dæmonio curatum et sanatum; nec de cetero quidquid molestiæ diaboli sensiit. Actum anno prælibato, feria III^{a} post Quasimodo.

VII. Accidit aliud miraculum eodem anno Incarnationis Domini, inter Pascha et Pentecosten, de quadam juvencula annorum decem vel XII vel circiter, orta de parochia de Trunchinio. Accidit enim, cum sederet cum sua cœna ad custodiendas vaccas in agro qui dicitur Coppinsbelc, in parochia prædicta, vidit dæmones multos in specie horribilium corvorum ac volucrum nigrorum. Unde quasi amens et nimium perterrita, venit domum, immoderato et horribili modo se gerens. Ad requestam materteræ et aliorum cum quibus morabatur, narravit se istos corvos sic vidisse, et circum se et in se volasse. Stupefacti omnes illi, timuerunt quod phantasma seu fatuitas fuisset. Nescientes quod possessa fuit a dæmonio, venerunt cum juvencula ad ecclesiam, ad percipiendam ægritudinem ejus. Quam minime perceperunt. Hinc abeuntibus, altera die multum horribilius se habuit. Iterum venerunt Trunchinium; consilium a sacerdote parochiali requisiverunt parentes ejus, quid super hoc agendum esset. Percepit enim curatus ecclesiæ quod juvencula possessa esset a dæmonio, consulens eis quod, quamdiu ipsa viveret, limina beati Gerulfi martyris annuatim peregre visitaret: voventes namque hoc idem parentes ejus, si posset sanitatem consequi, quod quamdiu viveret peregre beatum Gerulfum visitaret. Qui modicum coram capite beati martyris expectantes, audiverunt omnes ibidem astantes dæmonem loquentem quod alias duabus vicibus ibidem fuisset, et nomina possessorum nominavit; et quod immediate discederet precibus beati Gerulfi martyris, quem nominavit dæmon *illum cum rubro capite*. Quid accidit? Statim adducta illa creatura ad feretrum beati Gerulfi et iterum reversa ad caput in parochia, dixit se videre nigrum virum coram se, modo stantem et modo se intrantem: et statim conjuratus martyrio beati Gerulfi in momento exivit. Et juvencula plausis manibus benedixit Deum et beatum Gerulfum, et sic incolumis et sanata recessit.

VIII. De quadam alia matrona orta de parochia de Lederne: quæ miro modo et diu, bene per spatium trium mensium, ut asseruit, jacuit impos sui ipsius, adeo quod nullum membrum corporis sui movere potuit. Auxilium intimo corde et diligenti affectu a beato Gerulfo sibi postulavit: quod, si posset motionem membrorum ac corporis sanitatem adipisci, cum oblatione sua peregre beatum Gerulfum visitaret. Accidit enim quod quam cito hoc idem bona intentione vovisset, motionem membrorum ac incessum adepta est. Veniensque ad beatum Gerulfum, duo crura cerea sibi offerebat, narrans ibidem singula prout accidebant.

IX. Anno Domini millesimo CCCC^{mo}XLVII°, XVIII^{a} die mensis junii, accidit in parochia Trunciniensi quod uxor Symonis de Zuttere puerum quem habuit in brachiis, graviter cadere ad terram ex negligentia permisit, ita quod puer ex petra in facie omnino denigrabatur et mater de vita ejus desperabat. Tandem invocabat

sanctum Gerulphum, cum interno cordis desiderio ut ipse intercederet pro puero suo ad Deum, vovitque, si inde posset sanari, quod ipsa antequam comederet aut aliquid biberet ipsum cum oblatione visitaret. Ita cito quod vovisset cum firma fide, vidit quod puer aperuit oculos suos lætanter, et cito sanatus est. Quæ veniens læta mente ad sanctum Gerulphum in ecclesia Trunciniensi cum oblatione, retulit curato ibidem prædicta, sicut acciderant.

Ex codice 537 (St-G. 596).

DE S. JOANNE APOST. (Vid. *Analecta,* tom. III, p. 212, 9°.)

In natali sancti Johannis apostoli et evangelistæ.

Johannes, apostolus et evangelista, filius Zebedæi, frater Jacobi, virgo electus a Domino atque inter ceteros magis dilectus. Qui etiam super pectus magistri recumbens, Evangelii sui fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit, et quasi unus de paradisi fluminibus verbi Domini gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Quique in loco Christi Christo jubente successit, dum suscipiens Matrem magistri discipulus par, post Christum alter quodammodo derelictus est filius. Hic dum evangelium Christi in Asia prædicaret, a Domitiano Cæsare in Pathmos insula metallo relegatur; ubi etiam positus Apocalypsim scripsit. Interfecto autem a senatu Domitiano, exilio resolutus recessit Ephesum, ibique ob hæreticorum refutandas versutias, efflagitatus ab Asiæ episcopis, Evangelium novissimus edidit. Cujus quidem inter alias virtutes magnitudo signorum hæc fuit. Mutavit in aurum silvestres frondium virgas, litoreaque saxa in gemmas. Item gemmarum fragmina, in propriam reformavit naturam. Viduam quoque præcepto populi suscitavit, et redivivum juvenis corpus remeante anima reparavit. Bibens letiferum haustum, non solum evasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitæ reparavit statum. Hic autem anno sexagesimo septimo post passionem Domini Salvatoris, sub Trajano principe longævæ vetustatis senio fessus, cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, jussisse fertur effodere sibi sepulcrum, atque inde valedicens fratribus, facta oratione, vivens tumulum introivit. Deinde in eo tamquam in lectulo requievit. Unde accidit ut quidam eum vivere asserant; nec mortuum in sepulcro, sed dormientem jacere contendunt, maxime pro eo quod illic terra sensim ab imo scaturiens ad superficiem sepulcri conscendat, et quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora pulvis ebulliat.

SEPTILILIUM B. DOROTHEÆ (1).

[TRACTATUS IV. DE CONTEMPLATIONE.]

Incipit [1] hic tractatus quartus, de contemplatione [2].

Capitulum I. Quod venerabilis domina Dorothea fuerit ad vitam contemplativam per Dei gratiam debite præparata.

Domina Dorothea per Dominum vera contemplatrix in revelationibus est nuncupata, et fuit ad vitam contemplativam bene per gratiam Domini præparata et ab his quæ contemplationem impediunt, quantum humana permittit fragilitas elongata. Sane ad ascendendum in scala contemplationis fuit primo in gratiis sacramentalibus instituta, quæ percipiuntur in sacramentis baptismi, confirmationis, pœnitentiæ et eucharistiæ. Fuit secundo virtutum [3] habitibus, scilicet [4] quatuor cardinalium et trium theologicarum virtutum, induta; tertio fuit septem donis sancti Spiritus circa virtutum actus excellentiores et perfectiores [5] directa ultra communem hominum vitam, etiam virtuosam. Aggressa est enim valde ardua, de quibus in libro Vitæ ejus habetur; quæ delectabiliter egit, quia primitias patriæ cœlestis dulcedinis prægustavit. Quarto, quia hujusmodi deliciarum prægustatio non solet hic esse continua, propter hoc quia carnis sensus propriam habent actionem et passionem, ne ergo deficeret in prædictis donorum actibus et contemplationis [6] gradibus, fuit refecta duodecim spiritualibus fructibus, quos enumerat apostolus in epistola ad Galatas. Quinto, ut adjuvaretur in suo desiderio vitæ æternæ et spe patriæ contra laborem, fatigationem et tædium viæ vacaretque [7] magis libere puritati contemplationis, fuit dotata octo beatitudinibus quas expresse [8] Dominus et beatus recitat Matthæus [9]. His ergo fuit ad contemplationem præparata ac per hæc ab impedientibus contemplationem remota. Unde tria sunt contemplationem impedientia, scilicet peccatorum infectio, temporalium affectio et mentis distractio. A primo elongata fuit per conscientiæ suæ mun-

[1] *ita G ;* incipitur *V, C.* — [2] venerabilis domine Dorothee *add. C.* - [3] *deest in G, C.* - [4] *deest in G, C.* — [5] *scripta hic in G vox* actus *secunda vice, sicut mox* propriam *iterum post* actionem. — [6] actibus seu *add. G.* — [7] vacabatque *G, C.* — [8] *ita omnes codd.* — [9] (et-Matt.) per beatum recitat Matthæum *G.*

(1) Cfr. *Analect.*, tom. III, p. 408. — Capitibus II-IV hujus tractatus de Contemplatione, respondet caput 84 Vitæ latinæ minoris *(Act. SS.,* t. XIII Oct., p. 553).

dationem, quæ acta est per frequentem suorum peccaminum confessionem et Spiritus sancti missionem [1]; a secundo remota est per hoc quod seipsam maxime castigavit, spiritualiter exercitavit, omnia et seipsam dereliquit [2], juxta consilium Domini dicentis : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me* [3]*;* et alibi dicitur [4] : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me.* A tertio remota est per mentis recollectionem, quæ fiebat in ea abstrahendo mentem suam a vanis et vagis rerum corporalium similitudinibus, a superfluis et noxiis cogitationibus et delectationibus et a fallacibus rerum dissimilium proportionibus. Et sic potuit dicere : *Meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar et scopebam,* id est purgabam [5] *spiritum meum ;* supple, abstrahendo ipsum a prædictis similitudinibus et occupationibus. Hæc autem mentis recollectio et ab omnibus creaturis liberatio fiebat in ea plus Domini operatione quam suo labore. Qui ei multoties condescendens, quasi nullo deprimente et retrahente ipsam supra se ad contemplandum se Deum elevavit et per contemplationem delectabilem in cellam vinariam introduxit, juxta illud [6] : *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Et ibi fuit ab ubertate domus Dei inebriata et torrente voluptatis divinæ potata.

Capitulum II. Ostenditur per qualia signa homo cognoscitur in vita existere contemplativa.

Postquam hæc præelecta Dei sponsa de vita activa ad contemplativam venisset et in ea multas consolationes experta fuisset, Dominus ipsam quadam vice valde [7] ferventer [8] incendens dixit : *Tibi volo vitam sanctissimam ac dignissimam dicere quam nullus hominum habet nec habere potest, nisi habeat caritatem ferventer ardentem et alios caritatis gradus. Hæc autem vita est vita contemplativa, quæ non est otiosa et infecunda, sed est valde operosa et fructuosa inter vitas alias super terram. Et dic ad tuum C[onfessarium] : Cum debuero narrationem revelationis mihi factæ tibi facere de vita contemplativa, de statu altissimo ad quem* [9] *in hac vita homo valet pertingere, non loquar de illa penuriose, sed ditanter et locupletative. Revera ad hunc vitæ statum requiruntur tot bona virtutum, multæ divinæ bonitates et perfectiones, quod singulas has non valeo tibi enumerare et exprimere, etiam illas quas mihi dignatus est Dominus revelare. Porro qui in tali vita debet existere, ille debet esse ante omnia a peccatis depuratus, in*

[1] ut in tertio libro Vitæ, c. II, *add. in marg. C.* — [2] ut in II libro Vitæ *add. in marg. C.* — [3] *add.* Mt. XVI *G ; sed V in marg. :* Mt. 16. — [4] Matth. XVIII (pro XIX) *add. C ;* et Matth. XVIII dicentis *G.* — [5] *ita G ;* porrigebam *V, C.* — [6] Cant. primo *add. C.* — [7] *om. G, C.* — [8] frequenter *G.* — [9] quam *G, C.*

valde multis pietatis operibus exercitatus et bonis moribus[1] *institutus. Non sit autem instabilis et simulator, non iron*[2], *non subsannator, sed carnis et vitiorum mortificator magnarumque virtutum operator. Nullus enim carni*[3] *aut vitiis non mortificatus est ad vitam contemplativam idoneus; nec pauper in bonis operibus est ad hoc*[4] *aptus. Quia oportet hominem ante hujus vitæ ingressum multa amara pati et cor suum conteri ac multipliciter gravari, antequam ad vitam tam dignam valeat adaptari*[5]. *Nimirum, quia oportet eum prius pati varias mortes spirituales ac vulnera spiritualia ex vero amore, quo nihil debet intentius diligere quam Deum, quia dilectionem Dei et proximi debet tota mente custodire nec aliquid debet sibi esse dulcius aut sapidius quam Deus, nec aliquid debet reputare dignius aut pretiosius quam Deum. Ob hoc, soli desiderio inhærens Creatoris, omnia debet relinquere, immo dudum reliquisse. Et quia inardescit faciem Domini contemplari, sibi est et debet esse pœnale: primo, quod aliquod corporale gaudium cum aliqua creatura eum oporteat habere, aut ab ea aliquam consolationem recipere. Secundo, quod oportet eum uti fructibus perituris. Tertio, quod cibum bonum et delectabilem oportet eum habere et accipere. Quarto, sibi debet esse pœnale quod non semper valet bene agere et sancte vivere et quod ita pauci sunt qui bene agunt et sancte vivunt. Quinto, debet sibi esse amarum et pœnale quod a Domino seu contemplatione oportet eum separari et a cœlesti patria retardari.* Amplius dixit sponsæ Dominus : *Tu es jam in vita contemplativa, quæ est ita digna quod nullus valet scienter dicere se esse in ea, nisi a me certificatus per certa indicia, nempe quando me homo apprehendit magnifice et*[6] *in tantum habet me, quod mecum aliquid aliud habere non solum non delectatur, sed in tantum affligitur quod se habere aliquid præter me non patitur, quia vult me solum, nec potest aliud*[7] *habere præ amoris magnitudine. Talis habet certa indicia quod in vita sit contemplativa.*

Capitulum III. Homo contemplativus debet habere quasi omnes caritatis gradus.

Ad præmissa addidit Dominus, dicens quod homo contemplativus debet habere quasi omnes caritatis gradus prius enumeratos. Præcipue semper debet habere caritatem ferventer ardentem, qui multoties debet tam vehementer ardere quod[8] quandoque infra unam, quandoque infra duas hebdomadas non valet quiescere. Ex cujus fervoris magnitudine non potest bene ad se cibum corporis suscipere nec extrinsecum laborem exercere, neque curis hujus mundi inten-

[1] operibus *G.* — [2] *codd.* yron, *pro* ironicus? — [3] *ita G, C;* carnis *V.* — [4] (ad hoc) adhuc *C.* — [5] aptari *G, C.* — [6] *om. G.* — [7] (nec p. a.) *deest in G, C.* — [8] quod *om. G.*

dere. nec aliquod [1] temporale gaudium desiderare. Sed ex magnitudine gaudii quod cum Domino habet, aliquando actus dilectionis tam [2] intense et extense exercet quod nimis fatigatus libenter quiescere vellet, si Dominus eum permitteret. Multoties autem non permittit, quia eum scilicet diligentem rediligens tunc ferventius quam prius incendit, ita quod cupit præ ardoris et dilectionis magnitudine a facie ejus fugere ac se in lecto aut angulo abscondere, ut posset quiescere. Dominus autem non permittit, sed continue ferventius eum incendens majus gaudium tribuit, sicque per magnum amoris ardorem ac gaudii magnitudinem ejus quietem, corporis refectionem et exteriorem operationem impedit. Et tandem tam fervidum ac tam plenum gaudio efficit, quod præ nimio gaudio et ardore ipse sibi ipsi videtur velle deficere, sentiens non posse manum Domini effugere. Ideo, ultimum cum difficultate trahens spiritum, conquerendo alloquitur Dominum, dicens: *Domine mi dilectissime, quare non permittis me parumper quiescere aut dormire, nec permittis me corpus reficere neque victum laborando acquirere? Visne me non sinere perire? Unde tamen debeo sustentari?* Porro: *Ego Dominus post hoc efficio eum tam ferventer ardere, quod oportet eum ab omni actione exteriore, a cura rerum temporalium ac sollicitudine quiescere ceu cessare. Quippe sic ardens potest bene magnifice* [3] *contemplari me in variis bonitatibus et beneficiis meis ei factis et in anima ejus sensibiliter perceptis secundum spiritum. Sane homini tali vitæ necessaria deberent apportari sicut ægrotanti et* [4] *in lecto præ infirmitatis magnitudine decumbenti.* Amplius: *Inter priores caritatis gradus, licet omnibus indigeat homo contemplativus, specialiter tamen,* inquit Dominus, *ipsum habere* [5] *oportet caritatem inebriantem et caritatem violentem, per quam anima ejus supra se elevetur et rapiatur, ut cœlestia perspiciat. Filius enim specialiter dilectus, qualis debet esse homo contemplativus, merito debet scire in quali* [6] *domus patris sui sit regimine et dispositione. Inebriantem autem caritatem eum necesse est habere, ut laudabilem* [7] *ascendendi habeat ausum, non nimium metuens casum. Ascendere enim debet* [8] *per raptum et contemplationem, ut contemplando vocem meam intelligat, bonitatem meam* [9]*, omnipotentiam meam pariter et justitiam cognoscat; bonitatem et misericordiam nunc omnibus esse paratam, in novissimo autem die fore imparatam.*

Capitulum IV. Quod homo contemplativus debet [10] habere VII dona Spiritus sancti.

Item: *Homo contemplativus,* inquit Dominus, *indiget et habere debet*

[1] *om. G.* — [2] *om. G.* — [3] *om. G.* — [4] *om. G, C.* — [5] (ips. hab.) *om. G.* — [6] qua *C.* — [7] laudabiliter *G.* — [8] *om. G.* — [9] *om. G, C.* — [10] debeat *C.*

septem dona sancti Spiritus. Nam magna fortitudine indiget ut possit mundum et omne quod in eo est vincere, valeatque per contemplationem ascendere et Dominum majestatis apprehendere. Quo apprehenso, indiget sapientia quoad gustum bonitatis, et ut summum bonum apprehensum bene custodiat, ne amittat : sicut filii seculi prudentes appellantur qui diligenter bona transitoria custodiunt. In tali vero custodia indiget dono intellectus, ut vere summum intelligat et acute videat [1] *et circa hoc cognoscat quomodo circa* [2] *illud magnum bonum, scilicet summum, se habeat, ut ipsum conservet. In hoc etiam indiget consilio divino, ita quod in electionibus agendorum aut vitandorum sapienter vivat et discrete se in mundo gerat, præcipue sequatur Dei consilium; et ut hoc intelligat*[3] *et obtineat a Domino, debet tendere vires suo conamine magno. Circa hæc debet habere scientiam magnam quæ* [4] *dirigit in agendis, quam nullus scit et potest ita bene* [5] *docere sicut ego Dominus Jesus. Nimirum, quia debet esse ita scientificus, in scholis meis dudum institutus* [6] *et imbutus, sicut homo in Scripturis divinis instructus. Et, ne sit de aliorum ignorantia vel defectu indignans aut aliter quam pie se habens, ipse debet habere pietatem, ut sit cordis pii et perfecti interius et in exhibitione exterius affabilis et amicativus. Revera in quocumque* [7] *homine est invidia, non favor, aut in quo est impatientia, talis non est idoneus ut sit in vita contemplativa. Inter hæc omnia debet habere septimum Spiritus sancti donum, scilicet timorem castum et filialem, ut timeat tanquam filius virtuosus patris cœlestis offensam et indignationem, et tanquam* [8] *sponsa casta timeat ne separetur a me, faciendo aliquid contra meam voluntatem.*

Capitulum V. Homo contemplativus debet esse dives in spiritualibus, ab omni exteriore occupatione et cura absolutus et ad moriendum paratus.

Quamvis autem contemplativus, ut prædictum est, a rebus corporalibus [9], saltem secundum affectum, debeat esse pauper et nudus, attamen debet esse dives in spiritualibus [10]. Unde dixit huic sponsæ Dominus : *Homo qui debet esse contemplativus, non debet esse pauper sed dives, quia debet multa spiritualia habere. Nimirum oportet eum habere meipsum. Quippe ipse debet esse ita dives in gratia, quod aliquando præ gratiæ affluentia cœlum et terram reputet esse sua, et circumcirca se tanta bona* [11], *quod ab eis avertere putet se non posse. Repleturque tanto gaudio et amore quod non valet aliquod gaudium*

[1] custodiat *G.* — [2] *om. G.* — [3] *om. G.* — [4] qua *G.* — [5] *add.* scilicet *G*, *C.* — [6] institutis *G.* — [7] quo *G.* — [8] (et t.) *om. G.* — [9] temporalibus *C.* — [10] (*loco* in spir.) quia debet multa spiritualia bona habere *C.* — [11] (*loco* habere. Nimirum tanta bona) bona quod ab eis *G.*

corporis aut seculi desiderare : intellige eum non posse aliud gaudium desiderare [1], stante illa dispositione. Sic enim multoties huic sponsæ accidit quod se ita divitem reputavit quod aliud desiderare non potuit; et hoc erat propter abundantiam gratiæ et magnitudinem jocunditatis internæ. Ac ipsa non solum tunc omnibus renuntiavit, sed dudum ante omnia propter Dominum dereliquit, qui hujus rei testis extitit et eam sic dicere jussit : *Domine Jesu Christe, tu* [2] *bene aspicis quod dimisi propter te omnes creaturas ac omne corruptibile; omnibus enim* [3] *præter* [4] *te dimissis, nihil adhæret mihi neque ego inhæreo alicui. Idcirco, Domine Jesu Christe, adjuva me, ut tibi firmiter* [5] *adhæream et cito ad te perveniam.* Hæc Domino dicente, sponsa magnifice illuminata fuit sibi totaliter transparens et perspicua, supra se elevata; quasi spiritus esset fuit levis et subtiliata. Nullum tunc sensit retinaculum quo retenta fuisset deorsum. Rursus dixit Dominus : *Homo contemplativus debet esse ab omni cura exteriori et occupatione exoneratus, quia sollicitudo*[6] *non solum circa bona exteriora sed etiam quæ habetur pro laude mea, ad cantandum in choro, mentem hominis aliqualiter distrahit et limpiditatem contemplationis impedit. Oportet ergo eum esse magis a cura liberum et ab omni exteriori occupatione alienatum, tanquam aviculam per aere volitantem* [7] *; quæ tamen ita nutritur et vivit ex providentia mea sicut aliqua creatura alia quæ in hac vita est multum sollicitudine onerata.* Concluditur ex diversis revelationibus quod ad hominem perfecte contemplativum requiritur quod a peccatis sit depuratus, ab amore et temporalium occupatione liber et absolutus, mente recollectus, acute videns, cœlesti lumine illustratus et non cæcus : quia eum qui lumen increatum est [8], irreverberato aspectu intueri debet [9]. Porro affectuose rogitet orari pro se, ut ad portum cito perducatur salutis æternæ; sit paratus abire ex hoc seculo ex intenso ad Dominum desiderio, ut dum Dominus jusserit [10] absque trepidatione exire possit. Talis homo est felix et beatus super terram. Qui propter mortem imminentem nullam relinquit neque gerit retro se curam, qua sollicite cogitaret [11]: Hoc aut illud tibi necessarium esset ut faceres, antequam abires; sed sedet exspectans continue cum elevato desiderio, ut audita Domini voce semper possit esse paratus et promptus ei obedire. Ita quod non trepidet exire propter timorem pœnæ in purgatorio aut in inferno ; sed ex amore magno intense desiderat mori, immo ex amore debet mori. Rursus dixit Dominus : *Qui in tali vita debet existere, ut possit mori ex amore, talis debet semper me præsentem tanquam speculum habere, ita quod*

[1] (intellige-desiderare) *om. G.* — [2] benedicte *add. G.* — [3] *om. G.* — [4] propter *G.* — [5] ferventer *G.* — [6] *add.* mea *G.* — [7] volantem *G, C.* — [8] est *add. ad sensum.* — [9] debet *deest in G, C.* — [10] jussit *G, C.* — [11] recogitaret *G.*

omnem spem suam ad me habeat et omnem consolationem suam de vita æterna exspectet et requirat. Homo sicut præmissum est dispositus, est ad vitam contemplativam idoneus et vita æterna dignus potestque Dominum in sua potestate limpide contemplari.

Capitulum VI. Quod vita contemplativa sit actionibus plena.

Quia homo contemplativus debet esse valde pius, ideo, inquit Dominus, *quod ipse non solum debeat contemplari cœlestia et æterna, sed etiam transitoria aliqua, utpote cognoscat defectus hominum ad* [1] *eis intime compatiendum. Unde in caritate ferventer ardente a qua nusquam debebit exire seu separari, debet aliquando sic esse illustratus a me, quod oculis animæ suæ possit contemplando cognoscere omnem penuriam quæ est in purgatoris et super terram. Qua cognita, valeat ex dicta caritate vehementer ardente indigentibus succurrere seseque apud me pro eis interponere, ut hujusmodi penuriæ immutentur. Quippe homo contemplativus hæc faciens est magis activus et plures cognoscit hominum defectus quam ille qui quotidie cursitando circuit et infirmorum et quorumcumque aliorum defectus oculis corporalibus cognoscit.* Hæc Domino dicente, sponsa ab ipso inflammata est caritate, et illustrata magnifice jussa est contemplari omnem penuriam quæ est in purgatorio et super terram et fideliter rogitare ut tolleretur per gratiam divinam. Dumque hoc fecisset et vires suas fortiter tetendisset, ad ejus præsentiam valde multi venerunt defectus. De quibus dixit Dominus : *Aspice et attende quam magna sit penuria et quam multa sint agenda. Idcirco vires tuas* [2] *vehementer tende, et poteris cognoscere quod vita contemplativa sit operosa pariter et fecunda. Dicque ad Matrem gratiæ : O Maria, alte laudabilis regina, me adjuva ut hoc opus vitæ contemplativæ possim laudabiliter agere.* Hoc dicto, virgo Maria gratiosam se exhibuit et ad auxiliandum ei paratam se ostendit. Addiditque Dominus ut etiam suum imploraret auxilium, dicens : *Dic : Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, adjuva me, quod sic ardeam in tua caritate ut cum multis aliis ad te valeam pervenire.* Rursus alia vice inquit Dominus : *Vita contemplativa non est omnibus data ; quam nullus sine me potest inchoare, nec omnes valent se ad eam applicare. Nempe, quamvis multi sunt qui dicunt de Maria Magdalena, quod contemplativam agens vitam bene fecerit et quod otiosa sederit, attamen non multi sunt qui otium Mariæ volunt attingere. Sane sanctus Johannes evangelista et Maria Magdalena fuerunt diutius in vita contemplativa quam multi alii de numero sanctorum bene magni, attamen non fuerunt otiosi, sed laboriosi, habentes satis agere, erantque*

[1] ab *G.* — [2] suas *G.*

in magna actione. Porro: *Homo qui est in vita contemplativa potest mihi multos fructus afferre et fieri utilis et fecundus propter amorem quem habet ad me et quia delectatur in me, libenter habens me præsentem, ut omnia gaudia sua et omnes consolationes suas habeat mecum in me et non alias; propter hunc amorem sibi magnam volo exhibere caritatem.* Amplius: *Actiones et labores contemplativi sunt majores quam activi, quia hi sunt interiores, illi*[1] *autem exteriores : ab istis potest homo quando vult abstinere et quiescere; ab his vero nonnisi quando ego volo. Nec reperiuntur multi labores exteriores quibus homo ad ultimum fatigatur et consumitur sicut interioribus exhauritur. Quippe ego hodie multum fatigavi te et alias sæpe, trahens te per contemplationem valde alte. Nec tu sic fatigareris laboribus exterioribus sicut illis contemplationis actibus : facilius enim faceres*[2] *operationes exteriores. Ob hoc quando anima in contemplatione supra se rapta suspenditur, corpus sudat, fatigatur et atteritur; ac per hoc vires multum tensæ in his actibus consumuntur.* His a sponsa auditis, Dominus elevavit ejus animam, trahens ad contemplandum vitam æternam, ad quam non valet ascendere homo per naturam, sed natura conante et gratia elevante et Deo trahente. Ubi mox ut elevata fuit, vidit quam magnum honorem et gaudium habeant hi aliis communicare, qui Dominum in vita præsenti perfecte dilexerunt et omnibus renuntiaverunt, se solum Domino committentes et ejus gratia innitentes[3], quorum vita contemplativa hic inchoata est, in patria consummata.

Capitulum VII. Quod homo contemplativus debeat esse spiritualiter fructuosus.

Supra immediate dixit Dominus quod homo contemplativus valeat multos afferre fructus. De quibus in alia revelatione dixit Dominus: *Homo,* inquit, *existens in vita contemplativa jam debuisset mihi multos spirituales fructus peperisse, videlicet filios spirituales mihi gignendo, multas animas de purgatorio liberando et spiritualiter multoties generando. Debet, inquam, esse et fuisse ita fecundus mei, ita capax et plenus, ut ego ipse sæpe velim me in anima ejus parere et voluerim etiam multoties peperisse, fierique posset ita fructuosus a me quod me super terram valeat gestare.* Porro : *Talis debet nuntios Spiritus sancti bene agnoscere et jam habere, ut possit eos multoties emittere ad invitandum ad se Spiritum sanctum, de quo talem habeat notitiam quod ipse pluries in anima ejus facit et fecit Patri cœlesti et Filio ejus naturali permagnum convivium, in quo occisus est vitulus saginatus et tanta deliciarum ac gaudiorum facta*[4] *sit abundantia, quod ex his anima ejus*

[1] alii *G.* — [2] facere *C, G.* — [3] (gr. inn.) gratiæ mittentes *G.* — [4] *suppletum ad sensum.*

fuerit [1] *liquefacta et omnia corporis ejus membra de animæ redundantia fuerint* [2] *dulcedine repleta.* Amplius : *Talis debet esse ita caritate vulneratus quod pluries sentiat cor suum tam spiculis amoris quam sagittis transsagittatum et totaliter vulneratum, ac per hoc tam vehementer flendo aspirare ut perveniat ad me Dominum, quod mori non esset terribile sibi sed optabile, et vivere amarum. Idcirco tu quanto plus in vita contemplativa me cognoscis et apprehendis, tanto* [3] *amplius lacrimaris; et continue oportebit te* [4] *plus quam prius anxia pro me desideria habere. Nimirum; quia* [5] *quando tribuo tibi me et Matrem meam dilectam contemplari, deberes* [6] *bene admirari quod unquam oculi tui possent siccari.* — Notandum est quod multa sunt hic succinte posita, præsertim illa quæ in prioribus sunt plenius expressa, et quæ debet habere homo qui debet esse perfectus in vita contemplativa illo magno perfectionis genere quam Dominus voluit [7] hic designare et quam potest diligens lector ex præmissis elicere. Nam forsitan non omnia hic [8] descripta sunt de necessitate perfectionis simplicis sufficientiæ, quæ requiritur et debet esse in quolibet vitam contemplativam agente : quæ appellatur perfectio sufficientiæ; sed requiruntur ad perfectionem abundantiæ et excellentiæ, quam hæc sponsa Domini Jesu Christi præelecta habuit, quæ singulas vitæ contemplativæ conditiones et proprietates in hoc tractatu tactas plenius percepit et persensit, non solum perfectius quam hic scriptor eas descripsit, sed etiam plenius quam ipsamet de mandato Domini expressit [9]. Quanta vero et qualia in vita sua contemplativa cognovit, ille, ut æstimo, solus novit, qui hæc sibi revelavit, qui etiam multa ei per ipsum patefacta ne exprimeret interdixit. Revera Dominus Deus qui eam introduxit in vitam contemplativam, locutus est ad ejus animam et ostendit ei aliqua ad statum viæ et aliqua ad statum patriæ pertinentia, ut patere potest legenti singula [10] hucusque scripta. Quantum ad statum patriæ, ostendit ei sanctissimam Trinitatem, sanctorum gaudium et gloriam, se in sua humanitate et suam Matrem ; viditque illuminata magnifice quod omnes sancti pariter et angeli sanctissimam personarum in divinis non valuerunt comprehendere sed dumtaxat apprehendere Trinitatem [11]. Cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen. — Nota : huic materiæ de vita contemplativa deserviunt specialiter capitula in quinto [12] libro Vitæ, c. XXV, XXVI et XXVII.

Explicit tractatus quartus [13].

[1] fuit *G.* — [2] fuerunt *G.* — [3] tam *G.* — [4] *om. G.* — — [5] *om. G.* — [6] debes *G.* — [7] valuit *C.* — [8] *codd.* hæc. — [9] *add. in marg. C.* Nota perfectiones tres : sufficientiæ, abundantiæ, excellentiæ. — [10] *om. G.* — [11] *om. G.* — [12] *add. ex C; deest in V, G.* — [13] de vita contemplativa *add. G, C.*

[TRACTATUS V. DE RAPTU.]

Sequitur tractatus quintus, de raptu.

Capitulum I. Ostenditur quid [1] sit raptus, descriptio et qualiter fiat spiritus ab anima divisio.

Quia in vita contemplativa domina Dorothea, sponsa Christi prædilecta, fuit contemplatrix perfecta et frequenter per excessum divinæ dulcedinis ac nimiæ exultationis supra se rapta et in divinitatis arcanum introducta, ideo nunc de ejus raptu consequenter est dicendum. Unde raptus, prout accipitur in proposito, est mentis elevatio a Spiritu divino ab eo quod est secundum naturam ad id quod est supra naturam, id est ad aliqua supernaturalia [2], cum abstractione a sensibili [3], id est sensuum alienatione. Pro hujus descriptionis intellectu est sciendum quod aliquando infirmi propter nimiam ægritudinem et similiter aliquando arrepticii [4] propter dæmonum potestatem patiuntur sensuum alienationem. Sed nulla talis alienatio a sensibus meretur dici raptus, quia non fit virtute divina ad aliqua supernaturalia, sicut fit raptus hic descriptus. In quo fit abstractio seu alienatio a sensibus, id est sensuum actibus per Spiritum divinum. Nam tunc quando fit hujusmodi raptus, tunc clauduntur sensus exteriores ne possint sensibilia actualiter percipere, ac per hoc mens hominis quoad sensus exteriores impeditur, ut eo quietius valeat [5] divina contemplari. Rapitur autem mens humana ad divinam veritatem tripliciter contemplandam. Primo, per similitudines imaginarias, quando Dominus Deus aut cœlestes spiritus aut aliqua alia videntur per imagines corporales : in spiritu tamen, sicut in multis fuit prophetis, qui in extasi veritatem quam Deus voluit eis [6] patefacere, per similitudinem viderunt imaginariam. Secundo modo hoc fit per intelligibiles effectus, ut David divinam veritatem sibi divinitus revelatam contemplatus est in excessu mentis, juxta illud : *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax,* id est nullus homo est verax ex se. Et hoc est ex gratia, se imprudentem cognoscere. In excessu, glossa " i. e. [7] in extasi. „ Dicitur autem hic extasis, cum mens cum pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis sursum assumitur. Tertio, in raptu contemplatur aliquis et videt divinam veritatem in sua essentia, ut sanctus Paulus et Moyses viderunt divinam essentiam nude in

[1] quæ *C.* — [2] spiritualia *G.* — [3] aut sensibus *add. C.* — [4] (aliq. arr.) arrepticii aliquando *G, C.* — [5] (quoad-valeat) impeditur *G ;* impediri *C.* — [6] *ita G ;* ei *V, C.* — [7] (glossa i. e.) gloriæ *C.*

lumine gloriæ, secundum illud prophetæ : *In lumine tuo videbimus lumen.* Hoc siquidem lumen gloriæ non infuit eis per modum formæ firmiter manentis, sed per modum passionis faciliter transeuntis. Nec viderunt essentiam per aliqua phantasmata, id est per aliquas species intelligibiles a sensibus vel mediantibus sensibus receptas; sed pro tunc fuit ab anima actualis conversio ad phantasmata ac [1] sensibilia ablata, ne ejus conversio ad Deum et ne elevatio quæ tota fuit in ipsum fuissent impeditæ [2]. Nimirum quia bonum illud summum excedit facultatem humanæ naturæ et omnia creata infinitum, ideo non potest videri nude nisi in lumine gloriæ animam elevante supra se, non per aliqua phantasmata neque in visione aliqua imaginaria. Et ob hoc necessarium fuit tunc eorum [3] intellectum a phantasmatibus et sensibilium perceptione fuisse abstractum et totaliter alienatum. Porro circa hoc est diligenter advertendum quod raptus animæ [4] non fit per separationem animæ a corpore, sed fit anima manente tanquam forma in corpore, secundum doctores sacræ theologiæ. Unde [5] dixit Dominus huic sponsæ : *Quando ad æterna raperis et a te alienaris, non recipio animam tuam, separans a te; sed facio in anima tua cœlum, i. e. tribuo tibi cœleste gaudium et* [6] *revelo tibi arcanum.* Sane hæc sponsa in raptu cognovit multa quæ dicere non est permissa. Et illorum quæ in raptu contemplata fuit, aliqua primo modo, aliqua vero secundo modo supradicto cognovit; nulla autem, videre meo, vidit aut cognovit tertio modo, quamquam multoties ejus spiritus Deo intime fuit conjunctus et ab omni creaturæ effigie separatus. Rursus, ut melius intelligatur qualiter fit raptus, est sciendum quod hominis anima, in se secundum essentiam indivisibilis et unica, duas dicitur habere partes, scilicet superiorem et inferiorem. Anima prout est corporis forma dicitur pars inferior; prout vero ad optima deprecatur et in cœlestibus conversatur aut ad supernaturalia sublimatur, dicitur spiritus et pars animæ superior. Quæ quandoque ab inferiore dividitur secundum illud apostoli ad Hebr. IIII : *Vivus est sermo Dei* [7] *et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus.* Spiritus quippe tunc ab anima dividitur quando anima [8], prout est pars corporis forma et inferior portio, inferius demittitur [9] et spiritus, id est superior pars animæ, ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur et in eamdem imaginem transformatur.

[1] ad *G.* — [2] inexpeditæ *G.* — [3] earum *G.* — [4] ille *G.* — [5] Ut *G.* — [6] sed *C.* — [7] *om.* *G.* — [8] illa *G.* — [9] *codd.* dimittitur.

Capitulum II. De his quæ sponsæ raptum præcedebant.

Consequenter videnda sunt quæ in hac sponsa fuerunt ejus raptum præcedentia, quæ concomitantia et quæ sequentia. Quoad primum, generaliter spiritus ejus faciliter abstrahibilis, in exercitio amabilis vitæ contemplativæ intra se recollectus et amoris igne inflammatus super se ferventer elevabatur virtute divina et transcendit omnia creata. Et hoc ex tribus fiebat quæ ipsa [1] dicebat, videlicet quandoque [2] ex magnitudine inflammante [3] devotionis seu dulcis dilectionis, aliquando ex vehementia magnæ admirationis et aliquando ex magnitudine nimiæ exultationis [4]. Unde dixit ei Dominus de beneficiis in raptu sibi factis admiranti : *Tu,* inquit, *miraris de bonitatibus tibi a me factis, quæ non facio alicui nisi illi qui me diligit intense et desiderat magnifice ac mihi blanditur suaviter et amatorie. Hunc diligo et ad ipsum veniens amplector animam ejus, quæ mox per meum amplexum pervenit ad raptum. In quo tunc jacet homo velut mortuus, non valens totum scire quod sibi factum est a me. Nam, si totum sciret, ex nimia pro me aspiratione exspiraret.* Porro quando raptus imminebat, hoc tali signo sponsa cognoscebat. Nam quando fuit in magna dulcedine, gaudio et admiratione, vel [5] Spiritu sancto instigante vel Domino jubente dixit sic : *Domine Jesu Christe, suscipe animam meam ad te!* Aut sic : *Domine Jesu Christe, ego recommendo tibi animam meam.* Tunc statim cognovit se cito rapiendam. Illa enim verba raro dixit a seipsa, a Spiritu sancto non instigata aut a Domino non jussa. Quippe post dictorum verborum expressionem solebat se appodiare aut ad stratum [6] reclinare. Quæ postquam se reclinavit [7], si non cito rapta fuit, illico se erexit et orationi, meditationi aut contemplationi inhæsit, quæ mirabiles habet delectationes et hominem supra seipsum rapit, cœlestia aperit et spiritualia mentis oculis patefacit [8].

Capitulum III. Qualia fuerunt sponsæ raptum concomitantia.

Quoad secundum, scilicet concomitantia, raptum quidem concomitantia [9] erant varia; spiritus enim ab [10] anima dividebatur et Domino nunc profunde, nunc profundius copulabatur. Hinc regulariter omnium exteriorum obliviscebatur, et aliquando non solum

[1] illa *G.* — [2] quando *G, C.* — [3] inflante *G, C.* — [4] dilectionis *G.* — [5] (et adm. vel) vel adm. et *codd.* — [6] statum *C.* — [7] inclinavit *C.* — [8] *codd.* patefecit. — [9] *scriptum hic* raptum *in G, C, secunda vice.* — [10] illa *add. G, C.*

eorum quæ in carne gerebantur ignoravit, sed per vim fervidi amoris tam intime Domino Jesu uniebatur, quod etiam nec seipsam cogitavit. Spiritus autem innitebatur super Dominum, dilectum suum, et corpus jacuit velut mortuum quoad sensualitatis actum, quia vires inferiores, id est sensus exteriores, tunc ab actibus suis quieverunt et sopiti fuerunt. Ob hoc virtus naturalis corporis pluries nimium aggravata defecit, sicut Esther, viso rege Assuero in gloria sua, corruit. Amplius : Sponsa in raptu uno tempore diutius quam alio permansit; nam quandoque decem horis aut pluribus et alias regulariter paucioribus horis quam decem ejus spiritus in raptu suspensus permansit. In quo, ut frequenter, sidereas perlustravit mansiones, sanctorum conspexit glorias et jubilationes, eorum processiones vidit et cantum suaviter resonantem audivit. Nunc ad nuptias Agni, nunc ad cubile sponsi introducta suscepit Domini amplexus et oscula, susurria et gaudia inæstimabiliter magna. Ob hoc post reditum cor ejus aliquando permansit per integrum diem inquietum, saliit ex desiderio animæ quo tota die satagebat ad convivium redire in quo fuerat. Rursus. In nuptiis cœli solemnibus fuit [1] honorabiliter suscepta, novis vestibus induta, in capite convivantium locata, delicate refocillata, optimo poculo spiritualiter inebriata. Nunc innumerabilis sanctorum numerus eam circumdabat et ut cum eis maneret invitabant; nunc munera offerebant; variaque alia ibi percepit beneficia, tam in visione intellectuali quam imaginaria. Nam multoties non permittebatur scire in specie [2] qualia [3] sibi facta fuerunt beneficia, sed dumtaxat in genere. De quibus solebat dicere : *Anima mea habuit gaudia valde magna, et sibi fuit ita bene ac si in vita fuisset æterna.* Unde dixit ei Dominus : *Quando animam cujusquam ad me traho et mihi intime unio, tunc in consolationibus meis eam ita alte elevo quod exteriorum quæ in mundo aut in cœlo sunt nullam habet memoriam nec alicujus creaturæ retinet imaginem aut speciem* (supple : per quam se convertit actualiter ad illius creaturæ inspectionem seu cognitionem), *sed omnium creaturarum oblita me solum habet in memoria. Ex tunc in somno spirituali,* id est raptu, *inter animam et me Dominum secretum fit colloquium et delectabile susurrium.* Aliquando cantus angelorum et aliquando aliorum sanctorum tam altisonus in auribus animæ sponsæ extitit, quod per hoc de regione lucis rediit et evocata fuit. De quo jussa a Domino ad C[onfessarium et] P[ræpositum] dixit : *Filii dilecti, hac nocte audivi cœlestem cantum tam dulcisonum et gaudiosum, quod pro illo oportebit me omnibus diebus [4] vitæ meæ aspirare. Revera, si hic super terram nunquam habere deberemus pro corporis consolatione unam bonam diem, nos libenter possemus hoc sustinere,*

[1] *om. G.* — [2] (in s.) *om. G.* — [3] qualiter *G, C.* — [4] *deest in G.*

quatenus valeremus ad talem cantum et sanctorum gaudium pervenire.

Capitulum IV. Qualia fuerunt sponsæ raptum sequentia.

Tertium, scilicet sponsæ raptum sequentia, inter alia fuerunt talia, quod sponsa fuerat certificata quod ejus spiritus fuit vere ad cœlestia[1] raptus et in visione non deceptus. Nam de hoc certificavit eam Dominus : qui sibi in raptu visa nunc exposuit, nunc repetiit, nunc ad memoriam ejus revocavit, nunc incognita ei patefecit. Et aliquando sic ait : *Recordare quod hac nocte in raptu in nuptiis bene refocillata et bene tractata fueris, quomodo inebriata et quot acceperis bona. Modo sis larga et liberaliter eroga. Bona ista apprehendit anima tua in vita æterna, quando ei in*[2] *raptu fuerunt bona varia collata.* Item aliquando dixit : *Hac nocte anima tua fuit novis vestibus induta et illæ fuerunt igneæ, rubeæ*[3] *nobiles et pretiosæ. Volavitque*[4] *anima tua de uno cantu angelico in alium et de uno gaudio in aliud.* Item frequenter, quando largiter flevit et pro reditu ad visa languide aspiravit, Dominus ei dixit : *Hoc est bonum signum quod anima tua fuerit*[5] *in vita æterna.* Item alia vice dixit : *Istæ magnæ lacrimæ sunt signum verificum quod ista nocte in raptu prope*[6] *me fueris et quod multa tibi fecerim*[7], *magna mecum habueris bona gaudia, et quod varia tibi revelaverim mysteria quando plateas cœlestis curiæ transcurristi. Nunc terram percurre et rorem cœli sparge quem e cœlo tecum apportasti.* Porro Dominus alia sponsæ raptus dedit testimonia, quæ vide supra in libro Vitæ primo, cap. VI, et lib. VI, cap. XIX quasi per totum. Difficulter siquidem et cum tristitia a raptu rediit, quia sibi valde amarum fuit quod a Domino separari[8] debuit et quod debuit esse in tempore bonisque ibi degustatis[9] carere. Ob hoc frequenter rediens habuit redeundi desiderium impatiens et inconsolabiliter flevit, trahens alta suspiria ; et labore tendentiæ nitebatur omnibus viribus suis ad Dominum redire. Causa autem propter quam tam vehementer desiderans laborabat redire, aliquando hæc extitit, quia sine imaginis impressione visorum rediit; aliquando hæc, quia vita presente meliorem vitam et patriam cognovit, aliquando hæc, quia[10] non contentative inebriata fuit, et aliquando hæc, quia[11] valde fortiter per Dominum tracta fuit, eratque ferventer incensa caritate ad bene agendum, sancte vivendum, Deum et proximum diligendum, ad peccata detestandum, ad vere pœnitendum, ad mundi et rerum temporalium contemptum, sui ipsius despectum

[1] (quod-cœlestia) *deest in C.* — [2] *om. G.* — [3] (i. r.) r. i. *G.* — [4] volitavitque *C.* — [5] fuit *G.* — [6] *om. G.* — [7] bona *add. G, C.* — [8] *add.* non *C.* — [9] (i. d.) d. i. *G, C.* — [10] (quia vita-hæc quia) *om. C.* — [11] (non cont.-quia) *om. G.*

et ad zelandum pro fide et justitia, et ut haberet fortitudinem et patientiam, discretionem et prudentiam, humilitatem et temperantiam. Revera caritatis incendium multoties quando ad se rediit fuit tam magnum quod desideravit refrigerium. Et hoc tam in corpore quam in anima fuit sibi multoties in susceptione sacramenti Eucharistiæ præstitum [1]. Unde de tam vehementi incendio dictum erat ei per Dominum : *Hoc*, inquit, *magnum fervere et ardere non oportet te assimilare alicui fervori et ardori super terram; sed assimilare debes fervori et ardori* [2] *quem sancti mei in vita possident æterna. Inde illud attulit anima tua.* Rursus. Aliquando rediit cum magna energia, cum sudore et nimia fatigatione corporis et ingenti vigoratione mentis; aliquando caritate vulnerata, limpide illustrata et zelo fidei induta; aliquando gaudiis et deliciis tam plena, quod anima ejus liquefacta velle defluere videbatur. Et aliquando tot bonis replebatur quod Dominus ei dixit : *Ego in tantum beneficiavi sponsam meam et satiavi ejus familiam totam quod nulla earum valet a me plus desiderare : et tu habes in te vitam æternam,* i. e. Deum, *et tu ipsa es cœlum. Hoc quoque de vita æterna est signum.* Amplius. Quia in raptu sibi fuit sæpe propinatum nunc dulce nunc forte poculum, ideo quandoque inebriata a caritate non contentative inebriante, et aliquando inebriata a caritate contentative inebriante [3], rediit in prima inebriatione pro poculi fortis degustatione : oportuit eam ex desiderio redeundi fortiter flere et varia exercitia habere, antequam poculum forte potuit digerere et sui potens valuit esse. In secunda ebrietate omnia in ea motu exultationis moverunt se præ deliciarum et jocunditatis plenitudine. Cor ejus sæpe solebat nunc præ gaudii et deliciarum magnitudine, nunc præ desiderii intensione assidue saltare. Et quia erat subtilis et alleviata, nullum habens retinaculum, ideo de facili elevabatur anima sursum. Trahebatur etiam fortiter per Dominum ; qui dixit ei : *Illud poculum et laboricium sunt de vita æterna signum bonum.* Et addidit quoad salutis documentum in raptu perceptum : *Magna,* inquit, *bona de vita æterna non possunt sine labore super terram gestari,* id est manifestari. *Nimirum : nam illa quæ ibi jam apprehendit anima tua, non potes super terram gestare, nisi cum* [4] *labore et nisi tibi prius fuerit repetitum a me.* Postremo. Quia in varigena rediit actione nunc ex illa [5], nunc ex alia caritate procedente, quæ illam vulneravit et ad sacramentum Eucharistiæ desiderium et esuriem suscitavit, idcirco Dominus ei dixit : *Quando te a raptu dimitto, tunc illico respicito in quali sis dispositione. Considera etiam attente qualia tibi bona a me sunt facta ac qualiter in sacramento Eucharistiæ tibi velim venire.*

[1] *ita G, C;* præscitum *V.* — [2] (super-ardori) *deest in G, C.* — [3] (et-inebriante) *om. G.* — [4] magno *add. G.* — [5] alia *G.*

Sane in ultimo anno vitæ hujus sponsæ, quando a raptu rediit de nocte, regulariter cognovit qualiter Dominus ista die sibi in sacramento Eucharistiæ venire voluit. Multaque alia per multos annos [1] in raptu et a raptu rediens habuit consolationis beneficia et cognovit arcana : quorum aliqua sunt hinc inde [2] in præcedentibus jam scripta. Specialiter de raptus materia aspiciantur capitula in tabula libri Vitæ sponsæ, capitula 27-59. 69. 70. 76. 77 in quo ostenditur quod duplex est susurrium. Item cap. 79 et in festo S. Catherinæ legatur capitulum secundum, et [3] in tabula libri sponsæ de Festis notata seu allegata in hac dictione : *Raptus*.

Explicit tractatus de raptu.

[1] *om. G.* — [2] (s. h. i.) *om. G.* — [3] (et-Raptus) *in marg. V.* — *In G, post* aspiciantur *legitur :* tabulæ libri Vitæ sponsæ, et libro de Festis et notata *raptus.* — *In C post* Vitæ sponsæ *legitur :* et in tabula libri sponsæ de Festis in hac dictione *raptus* notata seu allegata.

[TRACTATUS VI. DE PERFECTIONE VITÆ CHRISTIANÆ.]

Sequitur tractatus [sextus], de perfectione vitæ christianæ.

Capitulum I. Perfectio vitæ christianæ consistit in caritatis perfectione.

Cum ad perfectionem quilibet in christiana vita debeat tendere et operam dare ut illam possit obtinere, Veritate testante [1], quæ ait Matth. 2 : *Estote perfecti sicut et ego perfectus sum,* merito hic aliqua ad perfectionem pertinentia et huic sponsæ revelata consequenter sunt dicenda. Consistit autem perfectio hominis essentialiter in præceptis, dispositive autem et instrumentaliter in consiliis. Unde ante omnia debet homo servare præcepta, præcipue illa duo de dilectione Dei et proximi, quibus præceptive dicitur : *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota menta tua* [2] *et ex omnibus viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum.* In his enim duobus præceptis dilectionis pendet tota lex et prophetæ; quia legis plenitudo est dilectio, quæ conjungit hominem Deo et est vinculum perfectionis, secundum apostolum dicentem ad Colossen. III : *Caritas est vinculum perfectionis.* Circa hoc tamen est sciendum quod duplex est dilectionis perfectio quæ potest haberi in hoc seculo, prout videtur sufficere in proposito. Una est necessitatis et sufficientiæ, alia est privilegiatæ sanctitatis et excellentiæ. Prima caritatis perfectio non excludit semper a dilectione Dei quemlibet affectum extraneum, sed omnem affectum contrarium, non admittens quod aliquid diligatur æque cum Deo aut supra Deum vel contra Deum. In dilectione vero proximi etiam non admittit aliquem affectum hujusmodi dilectioni contrarium et ordinat dilectionis affectum in omnes homines universaliter et in singulos habitualiter : et hoc facit secundum animi præparationem, ita quod facit hominem paratum cuilibet pro loco et tempore dilectionis opera exhibere; et sine hac caritatis perfectione caritas non potest subsistere. Ideo dicitur esse necessitatis [3] et sufficientiæ. De hac dixit Dominus sponsæ : *Omne quod super terram diligis, hoc dilectione perfecta dilige, in me, propter me, per me et mecum in caritate bene ordinata.* Sed perfectio secunda, scilicet privilegiatæ sanctitatis et excellentiæ, est aliqua dilectionis excellentia, sine qua vera [5] dilectio Dei et proximi potest reperiri et permanere : ut [6] est hæc omnia vendere et pretium venditionis pauperibus erogare, se propter regnum Dei

[1] *om. C.* — [2] (ex t. m. t.) *om. G.* — [3] necessitas *C.* — [5] vero *C.* — [6] et *C.*

castrare, homini propter Deum se totaliter subjicere, ut nudus, castus et obediens sequatur voluntarie Christum nudum, castum [1] et Patri obedientem usque ad crucis supplicium; se etiam propter Christum perdere, ita ut ex magnitudine dilectionis divinæ sequendo Christum cupiat homo [2] contumelias et tribulationes sustinere, inferentes diligere et pro eis orationem specialem [3] facere seque et sua non solum propter fidem et justitiam sed etiam propter proximi salutem exponere, dicens cum apostolo [4] : *Ego autem libentissime impendar et superimpendar ipse pro animabus vestris.* De illa secunda dilectionis perfectione dixit Dominus sponsæ : *Ille perfectam dilectionem habet, qui esse desiderat passione et dolore plenus interius et exterius; cumque plenus passione fuerit et vir aliquis maturus pie* [5] *compatiens ei dixerit : Si aliquid pati te oportuerit, patienter age et libenter sustine : si tunc de corde puro respondendo dixerit : Domine, ego non aliquam habeo passionem. Utinam deberem aliquid pati propter Dominum meum dilectum; sed ego timeo me non esse dignum, videlicet ut patiar propter ipsum : tunc talis potest judicari quod perfectam habeat caritatem. Nam passio, tribulatio et paupertatis perpessio est ita nobilis, quod ea nullus dignus est nisi ille qui benevole et libenter vult ac desiderat pati tribulationem vel paupertatem propter me, nec debet de passione querulari.* Porro hæc et consimilia procedunt et fiunt ex caritatis abundantia et consequuntur dilectionis perfectionem, præsertim si fiant [6] tunc, quando necessitas non requirit talia. Siquidem non sunt in præcepto extra necessitatem, nisi secundum animi præparationem, ut scilicet tunc impleantur [7] quando necessitas requirit. Dixi autem quod in consiliis perfectio dilectionis consisteret dispositive et instrumentaliter : quia paupertas voluntaria, castitas et obedientia, jejuniorum inedia, vigiliæ, corporis labores, in Scripturis divinis meditatio et omnium facultatum privatio, non perfectio sed perfectionis instrumenta sunt, ut dicitur per abbatem Moysen in Collationibus sanctorum Patrum, collatione secunda. Ordinantur tamen [8] tam consilia quam præcepta divinæ legis ad caritatem perficiendam, quamvis aliter et aliter. Nam præcepta ordinantur ad removendum ea quæ sunt caritati contraria, scilicet cum quibus caritas esse non potest; consilia vero ordinantur ad removendum impedimenta actus caritatis : quæ tamen caritati non contrariantur, sed possunt cum ea stare, ut sunt matrimonium [9], copia divitiarum, occupatio secularium negotiorum et hujusmodi. Talia enim ingerunt homini sollicitudinem actus caritatis quodammodo impedientem. Ideo dixit [10] apostolus I Cor. VII : *Volo vos sine sollicitudine esse.*

[1] *om. G.* — [2] *om. G.* — [3] spiritualem *G.* — [4] II Cor. XII *add. C.* — [5] (pie c. ei) ei. c. *C.* — [6] fiat *G.* — [7] impleatur *G.* — [8] tamen *om. G.* — [9] matrimonia *G.* — [10] *om. G.*

Capitulum II. Dantur septem doctrinæ per quas homo dirigitur ad perfectionem vitæ instrumentaliter et dispositive.

De præceptis dilectionis in quibus vitæ christianæ perfectio essentialiter consistit, sufficienter est supra habitum in tractatu de caritate. Ideo de his iterum dicere non est necesse; sed de his quæ ad perfectionem pertinent instrumentaliter et dispositive, concomitanter et contentative, consequenter et significative nunc aliqua sunt dicenda. Unde, ut instrumentaliter et dispositive possit homo ad perfectionem aptari, a Domino datæ sunt tales doctrinæ generales. Prima : *Bona temporalia, etiam juste acquisita, vix ad usum simplicis necessitatis, non ad usum ornatus aut voluptatis sunt recipienda. Nimirum victus et amictus necessitas ab homine vix reportatur ad me Dominum debite cum corporis et animæ diligenti conamine* [1]. Secunda : *Homo debet diligenter advertere ut se custodiat, ne suum desiderium habendi* [2] *temporalia aut consolationes corporis, ultra necessitatem crescat. Sæpe namque* [3] *reputantur aliqua necessaria, quæ sunt superflua.* Tertia, *quod volens perfectus fieri, sensus suos exteriores diligenter custodiat, eorum usum ad nudam necessitatem assumat, ab exterioribus occupationibus se separet et animum suum alte sursum ad me Deum elevet, omnemque cogitatum suum in me projiciat.* Quarta : *Homo attente advertat ne retrocedat aut immobilis permaneat; sed ut progrediatur assidue satagat. Porro homo qui longe est a me, festinet ad me celeriter venire; qui vero est prope me* [4], *mihi firmiter studeat adhærere et se mihi assimilare. Hoc siquidem est progredi, ad hoc* [5] *conari ut mihi similis fiat et mihi similis permaneat.* Quinta : *Homo de vita bona æstimata, quæ tamen non est bona veraciter aut certitudinaliter, recedere velociter festinet et ad vitam veraciter bonam celeriter accedat, in qua de salute sua securus fiat et mori fiducialiter præsumat.* Sexta doctrina : *Homo volens mihi servire et magnifice me habere, gerere curam debet ut in comedendo debitum modum servet. Et sicut sollicitus est ne nimis multum comedat, ita se* [6] *custodiat ne nimis modicum se reficiat. Nam quod necessitatis est, homo potest licite accipere et facere in comedendo, bibendo, dormiendo, vigilando, loquendo, calefaciendo, vacando seu quiescendo et aliis consimilibus corporis necessitatibus. Cavendum autem est ne quis in tantum de cibo et potu accipiat, ut inde dolorem, gravamen* [7] *aut ventris inflaturam sentiat, tepidus aut remissus in servitio meo vel laude mea fiat; ne etiam post refectionem corporis nimiam pro cibo et potu mentis amittat sitim* [8] *et esuriem : sed valde temperate se reficiat, non habendo sollicitudinem quod ex temperantia*

[1] *om. C.* — [2] *deest in G.* — [3] nam *G.* — [4] *om. G, C.* — [5] (ad h.) adhuc *C.* — [6] *om. G.* — [7] gravem *G.* — [8] *add.* et desiderium *G.*

deficiat. Nam ego eum volo bene satiare et ejus existere fortitudo. Septima doctrina capiatur in libro Vitæ quinto, cap. XVI et quinque sequentibus. Item in libro de Festis [1], in festo Ascensionis Domini penultimo : vide de [2] tribus comedentibus.

Capitulum III. Per tres sorores dispariter [3] confidentes [4] ostenditur quod confidentia magna ad Dominum sit habenda.

Confidentia magna est ad Dominum habenda, et sollicitudo pro corporis indigentia abjicienda. Hoc enim Dominus huic sponsæ pluries dixit ; et ad confirmandam hanc doctrinam adjunxit, inquiens : *Tres erant sorores, filiæ cujusdam confessoris spirituales, quæ, quadam die, facta confessione et accepto sacramento Eucharistiæ consederunt, ut se converterent ad me. Ad quas insimul consedentes pater confessionis ab altari recedens aspexit et vidit angelum præfulgidum [5], vestibus rubeis indutum, de cœlo descendentem et crinale de rosis rubeis in manibus habentem [6] : quod super caput primæ sororis valde curialiter adaptans collocavit, ita blande et amice sicut sponsus ex sincera dilectione crinale imponeret sponsæ suæ. Vidit alium angelum valde splendidum, albis vestibus indutum, de cœlo descendentem et crinale de rosis albis in manibus habentem : et hoc consimili diligentia capiti sororis secundæ proportionavit et super caput ejus cum magna lætitia collocavit. Ad tertiam autem sororem confessor aspiciens, vidit diabolum primo ejus dorsum mensurantem secundum longitudinem et latitudinem. Quo facto, cum quodam fossorio magnas partes terræ scindens effodit [7] et partes prægrandes effossas in gremium tertiæ sororis projecit. His visis, non longe post hoc dictis sororibus surgentibus [8] pater confessionis earum dixit : Ad domum meam venite et propter Deum mecum prandete. At illæ acquieverunt et secum comederunt. Facto prandio, pater confessionis eas amice admonebat, ut quælibet earum cogitatum suum post sacramenti Eucharistiæ perceptionem habitum referret. Hoc illæ audientes admirabantur quare hoc vellet. Et quia non audebant ejus voluntati resistere, prima dixit : Mox post acceptionem sacramenti ego nihil aliud cogitavi nisi effusionem rubei sanguinis Domini mei Jesu Christi. Secunda ait : Ego autem nihil cogitavi nisi mundissimam humanitatem Filii Dei, et quomodo illam ex maxima caritate assumpsit et ex hoc homo factus ad nos venit. Tertia vero soror conturbata et quodammodo coacta dixit : Ego, Eucharistiæ sacramento accepto, magnum frigus fui passa ; ob hoc extiti sollicita unde*

[1] (Item in l. de F.) et *G.* — [2] in *G.* — [3] *add.* comedentes *G.* — [4] confidenter *G.* — [5] præfulgendum *C.* — [6] *om. C.* — [7] fodit *G.* — [8] *om. G.*

vestes acquirerem et me a frigore præservarem. Circa hoc omnes per tempus meæ versabantur cogitationes. Post hoc, quia valde fortis esuries invasit me, cœpi sollicite cogitare ubi acciperem unde animam esurientem satiarem, cum in domo mea nihil ad comedendum aut bibendum haberem. His auditis, confessor earum hortatus est primas duas ut cogitationes suas frequentarent; tertiam vero, ne sic deinceps sollicita esset, sed Domino confideret, qui eam nullatenus derelinqueret eique necessaria præberet.

Capitulum IV. De tribus quæ perfectionem impediunt et aliquibus bonis quæ in perfectione sunt.

Requiritur ad perfectionem vitæ christianæ, ut homo a se removeat specialiter illa per quæ impediri potest ne ejus affectus totaliter in Deum pergat. Hujusmodi autem quæ impedire [1] solent, specialiter sunt tria : videlicet cupiditas bonorum exteriorum, concupiscentia sensibilium [2] delectationum et complacentia propriarum actionum et voluntatum. Ad quæ alia, si qua sunt, impedimenta reducuntur. Hæc per Domini consilia, tanquam per bona instrumenta, tolluntur : scilicet per contemptum divitiarum et honorum, per dimissionem carnis [3] delectationum, per displicentiam propriarum actionum et fractionem propriarum voluntatum. Per primum, homines qui volunt divites fieri, incidunt in desideria multa, in tentationem et laqueum diaboli et gloriam hujus mundi : a quibus præservantur per voluntariam paupertatem. Ideo dixit Dominus huic sponsæ : *Qui vult esse perfectus, ille* [4] *studeat esse nudus ab omnibus bonis temporalibus, quemadmodum ego fui, quando cœlum fui ingressus. Impedit etiam perfectionis puritatem vel ad minus ingerit difficultatem perveniendi ad perfectionem, quibus frequenter ab hominibus exhibentur reverentiæ et laudes. Unde si quis se præparans mihi, dimitteret seculum, ego vellem sibi præstare supereffluens bonum meum. Sunt autem aliqui qui bene vellent gratiam meam habere; sed utique volunt sibi aliquid proprietatis reservare : nam valde difficulter homines dimittunt propter me omnia temporalia; quia si uno propter me caruerint* [5]*, alio carere nolunt* [6]*. Et sic se mihi nude non offerunt; et ideo in via veniendi ad me se impediunt.* Per secundum, scilicet concupiscentiam delectationum sensibilium, profectus caritatis impeditur [7], et homo spirituali consolatione privatur. Unde sponsæ inquit Dominus : *Multa requiruntur ad hoc ut homo sit perfectus. Nam* [8] *perfectus debet mundo et sensualitati suæ esse mortuus ; nec oportet te putare quod hominibus divitem*

[1] *ita C;* impediri *V, G.* — [2] *om. G.* — [3] *om. C, G.* — [4] hic *G.* — [5] caruerunt *G.* — [6] volunt *C.* — [7] *codd.* impediunt. — [8] *om. C.*

mensam requirentibus gratiam meam impertiri[1] *sicut tibi sum paratus. Nec sunt multi qui meam exspectant consolationem; sed homines volunt per se scire unde corporaliter consolationem sufficientem valeant habere. Quare ergo consolarer eos, qui per se sufficientem habent consolationem? Quippe qui magnas sui corporis percipiunt delicias, de deliciis animæ per experientiam nihil noverunt dicere, scilicet*[2] *de cordis jubilo et consolatione.* Porro : *Homines qui in virtutum exercitatione corpori suo sciunt parcere, curam ejus superfluam gerentes, ne ipsum corpus nimis affligant, illos oportet me sequi a longe; nec valent ad aliquem altum perfectionis gradum cito pervenire. Et dic flendo largiflue : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, tu nosti quod ego creatura tua hic sedens pro nullo sim sollicita, nec volo aliquid requirere, nec volo aliquid habere, nisi quod tu de gratia tua largiflua mihi decreveris ordinare. Hoc dicto, Dominus ait mihi : Sis grata et a cura corporis libera; ego tibi sufficientem volo providere consolationem.* Per tertium, scilicet quod [3] homo in propriis actibus habet complacentiam vel suam sequitur voluntatem, retardatur etiam cito venire ad perfectionem. Hoc Dominus volens ostendere, dixit sponsæ : *Ad hoc quod homo sit perfectus, requiritur quod a seipso*[4] *sit derelictus, seipsum abneget et consiliis meis acquiescat. Sane melius est homini quod nullam propriam voluntatem habeat, quam quod si aliquam*[5] *haberet illam frangeret. Nam si nullam propriam voluntatem habuisset*[6], *ipsam voluntatem frangere non oportuisset nec confiteri quod suæ innixus fuisset prudentiæ aut propriæ voluntati.* Rursus inquit Dominus : *Ebrietas spiritus adducit perfectionem; talis enim ebrietas facit hominem carnis consolationes et bona temporalia non curare, propriæ voluntati renuntiare*[7] *et post me Dominum desideranter cursitare ac mihi*[8] *firmiter adhærere.* Amplius : *Volens ad perfectionem venire debet progredi et non stare.* Et hoc Dominus tali declaravit similitudine : *Homo,* inquit, *qui vult de uno loco ad alium itinerari, talis non debet stare, sed continue progredi, quousque ad locum perveniat peregrinationis suæ. Si autem ante terminum itineris alicubi fixus permanserit, ad viæ suæ terminum nunquam*[9] *perveniet præintentum. Quia vero pauci sunt qui continuum ad proficiendum et ad*[10] *ascendendum per gradus perfectionis habent conatum, ideo valde pauci sunt qui etiam infra multos annos perveniunt ad perfectionis statum.* Ex his habetur quod nulla bonorum exteriorum cupiditas et plena ab omnibus corporis delectationibus non necessariis abstinentia vel nuditas et perfecta obedientia, hæc tria propter Deum ex caritate facta sunt perfectionis signa

[1] impertiar *G.* — [2] (dicere, scilicet) *om. G.* — [3] *om. G.* — [4] seculo *G.* — [5] aliquando *G.* — [6] (quam quod-habuisset) *deest in C.* — [7] non curare *G.* — [8] *sub linea; prius* ei; ei *G, C.* — [9] nusquam *G.* — [10] *om. G, C.*

et in perfectione contenta. Unde Augustinus libro 83 Quæstionum, quæstio 26, dicit : " Venenum caritatis est cupiditas [1]; perfectio vero caritatis est nulla cupiditas. " Et Matth. xix: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me.* Hæc sequela Christi plus debet fieri mentis affectu quam corporis progressu, qui tulit crucem suam et fuit obediens Matri et Joseph ac Patri cœlesti usque ad mortem. Huic concordat beatus Gregorius in libro Moral. VIII, cap. xix, dicens : " Sunt nonnulli qui ad apprehendendum culmen perfectionis, dum altiora interius appetunt exterius cuncta derelinquunt; qui rebus habitis se nudant, gloria honoris se spoliant ; qui desideriorum æternorum [2] assiduitate se affligunt, de exterioribus consolationem habere nolunt [3]; quibus Paulus dicit [4], ad Col. iii : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* " Hæc ille, etc.

Capitulum V. De septem quæ perfectionem signant et sequuntur.

Perfectionem signant et sequuntur septem inter alia, quæ Dominus huic sponsæ revelavit. Primum est ex caritate continue ferventer ardere. Secundum, in gaudio puritatem intentionis habere. Tertium, non sollicitari pro corpore. Quartum, corporis delicias abhorrere. Quintum, animum pacatum in adversis retinere. Sextum, suarum cogitationum dominium obtinere. Septimum, se ad infimum humiliare [5] et imperfectum reputare.

Quoad primum : ex caritate ferventer ardere, bene [6] pertinet ad perfectionem antecedenter [7]; sed continue ferventer ardere est perfectionis signum, et pertinet ad eam consequenter. Nam quamvis perfectus in hac vita valeat vitare peccata mortalia et venialia grossiora, de communi tamen lege non valet assidue singula minora venialia vitare. Ideo dixit Dominus quod vir perfectus debeat habere caritatem ferventer ardentem, cujus ardore possit lacrimas ferventes effundere, peccata minuta deflere et delere. Hoc enim est ei valde necessarium et perutile, ut [8] animam suam valeat in munditia custodire et immaculatam conservare. Porro : *Quando anima non ferventer ardet aut non pure agit, tunc non velociter ad me Dominum currit; ac per hoc, quia cursus velocitas [9] impeditur, aliqualiter anima deformatur.*

Quoad secundum inquit Dominus : *Habenda est puritas intentionis in omnibus. Hæc tunc habetur, quando pure propter se in omnibus con-*

[1] *codd.* cupiditatis. — [2] internorum *C.* — [3] volunt *G.* — [4] (P. d.) apostolus *G.* — [5] *om. C.* — [6] *om. G, C.* — [7] antecedentem *G.* — [8] ac *G.* — [9] velocitatis *C.*

quæritur Dominus : et est signum perfectionis. Sane opera hominis nihil impuritatis habentia in intentione admixtum, quamvis sint parva et exilia, attamen benevole et amicabiliter volo acceptare illa [1]*; opera vero quantumcumque magna cum aliqua impuritate facta, non sunt mihi ita* [2] *accepta sicut unum opus parvum ex magna caritate et sine omni impuritate factum.* Rursus ait Dominus : *Homo debet se custodire ab intentionis impuritate in operibus suis parvis et magnis. Nam impuritas operum etiam paucorum impedit celeritatem cursus ad Dominum :* hoc est, quod homo non ita celeriter currit ad Dominum, sicut curreret, si nulla impuritas operum esset. Quamquam autem opera impura puris adjuncta cursus ad Dominum impediant celeritatem, attamen illa impura, aliquid impuritatis peccati venialis habentia, melius est esse [3] facta quam omissa; et, si sint de genere bonorum, sunt continuanda [4] et non omittenda. Nam continuans fideliter bona opera posset, gratia cooperante, unum agere cum [5] caritatis ardore, quod præcedentia purificaret.

Quoad tertium, sic [6] dixit sponsæ : *Homines curam corporis gerentes, ut ipsum sit mundum et coram hominibus habeat* [7] *odorem bonum, nolentes in carne sua aliquam habere immunditiam alicujus hominis offensivam, qui tamen nesciunt de animabus suis an sint mundæ vel immundæ, tales non diligo, sed fœtent coram me; homines vero qui sui corporis immunditiam et fœtorem patienter ferunt mihi ad laudem æternam, non gerentes aliquam curam, nisi ut animæ suæ obtineant munditiam mihique sint placentes et accepti, tales coram me suavissimum spirant odorem. Recordare Lazari ulceribus pleni ad januam divitis jacentis. An corpus ejus valuit esse suavis odoris? A quo tamen odor suavior ascendit coram me quam a divite, qui diligenter scivit corpus suum a sordibus custodire.* Amplius : *Dimitte Lazarum et respice Alexium. An fragrantia suavis odoris valuit ascendere de ejus vestimentis, quæ a servis ejus fuerant frequenter perfusa brodio?* At sponsa dum in spiritu hæc vidisset quæ sanctus Alexius passus fuerat et dimiserat, Dominus ostendit ei gloriam quam sancto Alexio pro meritis tribuit sempiternam. Et addidit : *Dic ad C[onfessarium] tuum : Melius est nobis hic in tempore aliquid fœtoris aut aliquid aliud voluntarie propter Dominum* [8] *sustinere, quam quod in inferno aut in purgatorio contra nostram voluntatem oporteret nos pati intolerabilem fœtorem. Quippe quicumque hominum vere et perfecte diligit alterum, ille non fugit nec odit illum propter corporis fœtorem horridum ; sed illius peccata sunt sibi ita abominabiliter fœtida sicut sua.*

Quoad quartum dixit Dominus : *Homo qui mihi soli per dilectionem*

[1] illam *G.* — [2] *om. G.* — [3] *om. G.* — [4] continua *G.* — [5] *V et C add.* quo, *sed redundans videtur.* — [6] *codd.* sicut. — [7] habeant *G, C.* — [8] Deum *G, C.*

adhæret, eo quod me summum bonum recognoscit, ille horret corporis delicias et voluptates, sicut corpus abhorret pœnas et tribulationes. Anima etiam ejus per rationem compescit desideria carnis; ideo divitias et delicias suppeditat nec curat quis habeat eas.

Quoad quintum dixit Dominus sponsæ, quadam vice qua sibi de aliquibus suis consanguineis absentibus graviter Deum offendentibus fuit relatum : *Hoc est,* inquit, *perfectionis signum, quando homo ad talem pervenit statum, quod æquanimiter sustinet adversa : quæ licet in se sint gravia et homini valde contraria, attamen contra ea aut inferentes non movetur ira aut impatientia, et potest se immotum et inconcussum exterius ostendere, ita quod nullum exterius signum ostendat animum suum per iram aut impatientiam esse motum.* Porro sponsa ex relatione [1] supradicta licet non fuerit aliqua ira aut impatientia mota, attamen de Dei offensa fuit in tantum contristata quod quasi per octo dies sensit incessanter capitis vertiginem et gravedinem; in quibus clamavit assidue ad Dominum, quatenus dignaretur illis dimittere peccatum. Homines etiam qui fuerant præsentes in sæpedicta relatione admirabantur valde quod permansit inconcussa sine impatientia et commotione. Rursus : Pluries dixit Dominus sponsæ : *Si quis te jam pedibus truderet aliaque mala quæcumque inferret, tu æquanimiter tolerares nec verbo contradiceres [2]. Et hoc tibi donatum est a me et gratia mea operatum in te.*

Quoad sextum ait : *Perfecti habere debent dominium suarum cogitationum, et sint veri reges in domo animæ suæ; ita quod valeant non solum motus bestiales aut alios quoscumque inordinatos compescere exsurgentes, sed etiam cogitationem, si qua se erigere voluerit contra rationem, statim allidere [3]. Sintque omnia sic domita et per dominium plenum rationi subjecta, ut ex uno parvo cogitatu motus vel cogitatus se erigens resideat, taceat et quiescat.*

Quoad septimum, perfectus ad imum se humilians et se imperfectum reputans debet dolere et dolenter deflere decem quæ sequuntur [4]. Primum, quod Dominum Deum non mane [5] cognoverit. Secundum, quod Domino Deo ab infantia sua non soli vixerit. Tertium, quod ejus timorem et pudorem non perfecte didicerit, sicque coram Deo non tantum timorem et pudorem habuerit quod valuisset se a peccatis abstinuisse. Quartum, debet timere quod os suum non sit veritate plenum. Quintum, timeat quod conversationem non habeat sanctitate repletam. Sextum, timeat quod cor suum Domino Deo suo [6] non sit plenum. Septimum timeat [7] quod non satis Dominum diligat nec satis diligere valeat. Octavum, sit sollicitus gratias sibi

[1] revelatione *G, C.* — [2] contradices *C.* — [3] elidere *G.* — [4] sunt *G.* — [5] *cod.* mae. — [6] *om. G, C.* — [7] habeat *G.*

concessas et beneficia facta se non posse ad debitum augmentum perducere. Nonum, timeat quod Domino Deo et Genitrici suæ dignissimæ non valeat esse satis devotus nec amicativus, nec eos posse satis amare. Decimum, timeat quod animam suam non valeat nec sciat per vias rectas ducere neque se in antea extendere seu [1] progredi, sed [2] retrogredi [3]. Horum quasi omnium causam Dominus assignans, dixit : *Pauci sunt homines qui sunt magni in perfectione et in* [4] *intellectu animæ, quia valde est difficile animam mundam in puritate munditiæ conservare. Nam qui vult animam suam mundare, semper sit sollicitus, ne ipsam maculet, tali sollicitudinis diligentia sicut custoditur oculi pupilla, ne in aliquo etiam modico offendatur. Et quemadmodum cito pulvis in oculum cadens sentitur, ita cito ab homine perfecto deberet percipi quando anima maculatur.*

Capitulum VI. Quod multi religiosi deficiant in profectu et perfectione singulari.

Jam dictum est de perfectione eorum qui actum habent et exercent dilectionis perfectæ, seu eorum qui attigerunt perfectam caritatem; quæ magnam tamen [5] habet latitudinem. Nunc est dicendum aliquid de statu perfectionis eorum qui se obligant perpetue cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis : ut est status religiosorum, qui se ad hoc voto adstringunt quod a rebus secularibus velint abstinere, quibus tamen uti poterant licite. Hoc facientes se et sua Domino in holocaustum offerunt, ut ei liberius valeant vacare; et in hoc consistit perfectio præsentis vitæ. De statu ergo illo dixit quod : *Religiosus ante omnia debet cum diligentia servare divina et suæ regulæ præcepta. Exuat etiam cor seculare, sicut vestes exuit* [6] *seculares, ne in spirituali apparentia vitam* [7] *ducat secularem. Ideo studeat mortificare omne illud in se quod contra animam suam tentat* [8] *exsurgere, petatque me, die ac nocte, ut omne illud in eo excitem et vivificem quod ab eo voluero* [9] *requirere et habere.* Porro : *Religiosus injunctum sibi officium et pertinentia ad ipsum tam cum magna caritate quam cum* [10] *fideli diligentia respiciat et gubernare studeat ac si sua propria essent. Si temporalium bonorum aut spiritualium habuerit administrationem, suis serviat fratribus tanquam veris Dei cultoribus, non magnam gerens sollicitudinem si non semper sit dispositus et aptus ad missam. Debent enim sese confratres mutuo relevare. Quippe religiosi debent fideles esse et sollicite timere quod dies suos delicatos non sufficerent cum gratitudine ad Dominum reportare, ac quod in com-*

[1] se *G.* — [2] non *G.* — [3] *sic.* — [4] *om. G, C.* — [5] *om. C.* — [6] *codd.* exuat. — [7] *om. G.* — [8] *om. C.* — [9] volo *G.* — [10] magna et *add. G, C.*

missis sibi in Ordine nunquam cum tanta providentia gubernassent quod omnia bene acta fuissent, bona Ordinis bene conservassent et quod tanquam fideles dispensatores bene præfuissent. Revera inter religiosos multi multa recipiunt in victu et amictu, non curantes unde illa venerint, aut quomodo illi venerint qui talia eis contulerunt vel qui industria sua illa procuraverunt aut fideli diligentia [1] *pro utilitate Ordinis conservaverunt. Sedent siquidem edentes et bibentes et sibi faciunt varia apportari, curam non gerentes debitam quomodo res Ordinis utiliter conservarentur, sicut facerent si in matrimonio essent aut in illo filios aut filias procrearent. Sed agunt sic ac si dicerent : Hic bona sunt sufficientia et satis in Ordine habemus quamdiu vixerimus. Nec orant sollicite pro benefactoribus qui illa eis aut Ordini contulerunt, neque pro fratribus* [4] *qui talia sua industria procuraverunt vel sua* [5] *diligentia conservaverunt.* Rursus. Cum religiosus teneatur ad perfectionem tendere, dixit Dominus : *Religiosus deberet aliquid suo Ordini supererogare jejunando, parcius vivendo, ab aliquo ferculo abstinendo vel aliud aliquid ultra illa quæ tenetur faciendo aut omittendo. Hoc si non fecerit, semper faciat tamen disponendo se ad festivitatem* [6] *et ad communionem et ad singularis gratiæ perceptionem.* Altera die Dominus dixit : *Inter religiosos multi remisse, multi voluptuose et multi tepide vivunt. Unde aliqui in legitimo thoro sunt homines quos facilius et melius mihi possum attrahere et educare secundum habitum religiosorum quam spirituales. Sane plures sunt legitimi qui gratia mea dum fuerint visitati et tacti, libenter dimitterent, si auderent, filias et compares seu conthorales suos, quos cordialiter diligunt, et omnia exteriora bona quæ laboricio acquisierunt, et sequerentur me ex instinctu gratiæ sibi factæ. Spirituales autem invite volunt exire religionem divitem et ingredi pauperem, etiam dum a gratia mea fuerint visitati. Multo tamen plures reperiuntur concupiscere ut Ordinem valerent exire pauperem* [7] *et intrare divitem. Nempe religiosi communiter non desiderant se affligere nec se humiliare propter* [8] *me, sed desiderant ascendere pro carnis deliciis, pro mundi gloria et divitiis. Nam aliqui religiosi libentius vellent esse divites quam pauperes et libentius episcopi quam canonici.* Amplius de quodam Ordine dixit Dominus sponsæ : *Contristare quod in tanto Ordine non sunt multi sancti nec in eo possunt directe fieri, saltem viventes modo communiter apud eos consueto. Communiter enim delicate vivunt et honores ambiunt. Ideo homo in Ordine illo, qui haberet animam excitatam, amantem et progredientem, deberet festinantius de illo exire, ut alium salubriorem animæ suæ intraret Ordinem, quam alius in matrimonio existens et consimilem*

[1] prudentia *G.* — [2] *codd.* conservarentur. — [3] *codd.* aut. — [4] confratribus *C.* — [5] alia *G, C.* — [6] festivitates *G, C.* — [7] *om. G.* — [8] pro *G, C.*

animam habens deberet festinare a matrimonio liberari; quia ibi plura occurrunt impedimenta homini in servitio meo quam in matrimonio.

Capitulum VII. Doctrina perutilis datur religiosis de supererogatione sui Ordinis.

Post hæc docuit Dominus sponsam suam religiosos aliqua supererogare debere [1], ut possint sicut tenentur ad perfectionem tendere et eam tandem apprehendere. Et quia hæc doctrina est pro majori parte quomodo ipsi debeant se mortificare et oculos suos spiritualiter frangere, memoriter est tenendum id quod est supradictum, lib. I, c. 8 et lib. IV, cap. 12 [2]. Unde in libro III [3] est habitum, quamdiu homo inhæret concupiscibiliter aliquibus creaturis, tamdiu impeditur ne factorem suum totaliter sequatur, quia ad rem quam concupiscit trahitur, et sic non totaliter in Deum fertur. Ideo concupiscentiæ est moriendum et carnis desideria sunt mortificanda. Et hæc fit, scilicet mortificatio, quamdiu illi quod impugnat resistitur et impugnatio sentitur. Quando vero mundus, caro vel diabolus impugnat et a salute hominem retrahere attentat [4] et homo non sentit nec curat, tunc homo taliter impugnatus [5] est mortuus vel moritur. Porro in cap. XII, lib. IV est summaliter dictum quod oculorum concupiscentiæ tunc fit fractio, quando ex Dei amore singulari homo perducitur in contemptum alicujus rei. Tunc oculus concupiscentiæ quoad illam rem frangitur et cæcutiens efficitur, sed oculus mentis quoad bonum spirituale illustratur, et cetera ibi [6]. Dixit ergo sponsa a Domino instructa : *In supererogandis ultra observantiam sui Ordinis studeant religiosi se mortificare, viriliter reluctando his quæ non solum salutem sed etiam eorum perfectionem [7] videntur impedire. Ad hoc autem vitandum oportet eos ante omnia communem et regularem observantiam sui Ordinis perficere et ultra illam [8] aliqua sine scandalosa singularitatis nota specialiter omittere et aliqua agere, in abstinentiis, castigationibus et exercitiis, ita quod specialiter sibi aliqua abstrahant; non solum ab illicitis sed etiam licitis [9] abstineant, se specialiter exerceant et castigent. Quippe non solum semel, bis vel ter se mortificent in die, sed toties quoties aliquid mali oritur quod foret contra Dominum, animæ salutem aut esset profectus impedimentum. Debet autem ista mortificatio fieri in videndo, audiendo, gustando, odorando, in [10] tangendo, jacendo,*

[1] *supplenda videtur hæc vox ad sensum ; deest in codd.* — [2] (lib.-12) *deest in G ;* capitulis I, 8 et IV, 12 *C.* — *Animadvertat lector quærenda esse loca hic citata in magna Vita latina.* — [3] *ita C ; in V, G loco* III *legitur :* I cap. VIII et lib. IV, cap. XII. *(Cfr. Vita B. Doroth., III, 25 ; Septil., III, 3.)* — [4] tentat *G.* — [5] (taliter impugnatus) tali impugnanti *codd.* — [6] ibi *deest in C.* — [7] *ita C ;* imperfectionem *V, G.* — [8] illa *G.* — [9] (sed e. l.) *om. G.* — [10] in *deest in C, G.*

sedendo, stando, ambulando, dormiendo, vigilando, loquendo, tacendo, in voluntate, desiderio, intentione [1], *exercitio et operatione, in abstinentia et castigatione, in malis moribus et mala consuetudine, in sensibus tam interioribus quam exterioribus. In his et in aliis quibusque occupationibus si aliqua fuerit delectatio mala vel profectus impedimentum, hoc cum magno desiderio mortificetur. Si vero fuerit bona et licita, iterum in illa cum intenso desiderio appetatur delectatio æterna.* Rursus: *Ista mortificatio debet tamdiu continuari quousque perveniatur ad oculorum concupiscentiæ fractionem et quousque omnia transitoria sint suppeditata et amarum sit uti vestimentis pulchre coloratis, ac donec mors adsit spiritualis et desiderium alte ad Dominum elevatum. Sitque tam vehemens quod habeatur caritas magna alte desiderativa, in qua Dominus Jesus trahit omnia quæ sunt in homine ad se. Hoc facto, adhuc mortificare et mori spirituale est continuandum, donec oculi rationis clarificenter et homini incipiat cœlum aperiri : hoc est tunc quando homini omnia transitoria subjiciuntur per rationis dominium, et in tantum contemnit ea, quod reputat ea quasi stercora nec curat quis talia habeat. Per hoc enim quod est super omnia transitoria elevatus, est levis et aptus ascendere ad contemplandum Dei gloriam et ejus majestatem. Ac per hoc est idoneus ut cœlum ingrederetur, si sic* [2] *moreretur. Et ideo cœlum dicitur sibi apertum.* Amplius : *Sic ut præmittitur mundo, carni et diabolo mortificatus et mortuus, est Christo et in Christo vivificatus et vivus, secundum illud apostoli, Col.* III : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est in Christo cum Deo* [3] *; in quo continue studeant religiosi vivificari, quousque ejus efficiantur magnifice capaces et in eis permagnificas faciat Dominus actiones. Quo facto, quanto perfectius valent se relinquant et Domino committant, ut Domino firmius adhæreant, purius vivant et se ei intimius* [4] *conjungant.* Amplius. Ostendit sponsæ aliquos apparenter mundo mortuos et etiam apparenter spirituales: qui cognoscuntur non [5] vere esse mortui et spirituales, si fiant [6] in tribulatione et vexatione impatientes aut se fortiter defendentes. Nam vere spiritualiter mortui et Deo vivificati patiuntur adversa et tribulationes sine impatientia et commotione, immo cum magna patientia et gratiarum actione.

Capitulum VIII. De quatuor generibus hominum, quorum quartum est perfectorum.

Quadam vice Dominus dixit sponsæ : *Tibi volo quatuor genera hominum ostendere, quomodo illi faciant animæ suæ. Primum* [7] *ani-*

[1] *om. C ;* ex intentione *G.* — [2] *deest in G, C.* — [3] *ita V ;* cum Christo in Deo *G, C.* — [4] intime *G.* — [5] non *deest in C.* — [6] fiunt *C.* — [7] Primi *G, C.*

mas suas in tantum oneraverunt et obtuderunt peccatis, quod jacent depressæ ac si essent mortuæ. Ipsæ sequuntur carnem et permittunt [1] *eam perficere voluntatem suam. Sane ita præsumptuose, postposito Dei timore, sequuntur carnis concupiscentias et suas occidunt animas, quod non apparet an* [2] *aliquam habeant cognitionem boni et mali discretivam.*

Secundi homines sunt quorum animæ aliquam habent bonorum notitiam, et ut faciant bona etiam habent inclinationem : ideo pro aliquo tempore operantur bona de genere et pro tunc sensualitas obedit animæ. Post hoc autem anima sequitur sensualitatem et operatur male ad illius instigationem. In quibus malis anima si fuerit deprehensa, non liberatur per bona opera [3] *prius acta.*

Tertii sunt homines me magnifice cognoscentes, recte agendi bonam voluntatem habentes ac cognoscentes se nunquam aliquid mali debere agere. Ideo habent firmum propositum semper bene agendi et me nunquam offendendi. Quippe quamvis hæc habeant laudabiliter, carnem tamen suam nolentes [4] *affligere, fovent delicate et delectabiliter, nolentes eam crucifigere, castigare et disciplinare ad totalem seu perfectam mortificationem. Ob hoc oportet eos assidue cum carne sua litem gerere; raro enim valent* [5] *per unum diem sine carnis pugna permanere. Et quia in pugna non semper obtinetur victoria, necesse est eos sollicitos esse pro anima sua, ut superent* [6] *et non succumbant.* Porro : *In pugna aliquando nesciunt mediante quo animæ suæ nocumentum inferunt, aut in quo me offendunt. Ideo oportet eos timere, quod seipsos neglexerunt, carnem suam non debite mortificando.*

Quarti homines sunt, qui se jam multum castigaverunt et carnem suam mortificaverunt. Ideo a carne sua jam non patiuntur tentationem et molestiam, sed a mundo et plus a diabolo suas habent tentationes et molestias. Quas si vicerint viriliter et perfecte, varias coronas victoriæ possidebunt laudabiliter in æternitate. His dictis, adjunxit Dominus : *Lege in me ulterius et reperies multos homines imperfectos, quorum aliqui habent cognitionem sed non bonam voluntatem; alii habent* [7] *bonam voluntatem sed mei Dei cognitionem et bonam* [8] *memoriam non habent assiduam, quia cogitationes admittunt nocuas atque vacuas* [9]. *Alii in fide deficiunt : quæ in aliquo est infirma, in aliquo parva, in aliquo mortua, in aliquo imperfecta. Sic animæ multorum sunt imperfectæ. Nam alius habet animam videntem sed non audientem; alius tantum audientem; alius nec videntem neque audientem. Alius habet animam gustantem sed non odorantem, alius e converso. Alius habet*

[1] *codd.* permittant. — [2] quod *C.* — [3] *om. G.* — [4] nolunt *G.* — [5] *codd.* valeant. — [6] *codd.* superarent. — [7] (*loco* alii habent) sed non agendorum cognitionem et *G* ; (*loco* alii-voluntatem) alii habent bonam voluntatem, sed non agendorum cognitionem *C.* — [8] cognitionem et bonam *deest in C.* — [9] vanas *C.*

animam progredientem, sed ad debite standum non pervenientem [1]. At sponsa postquam hæc omnia et multa [2] alia legit et varias animas imperfectas vidit, ait illi Dominus : *Adhuc pro anima perfecta lege amplius; talis siquidem anima est valde rara.* At sponsa in libro veritatis diligenter legente, non plures quam tres animas perfectas pro tunc valuit reperire. Hoc intellige de illis quæ fuerunt in illo perfectionis gradu seu genere quem [3] Dominus in præmissis voluit designare.

Capitulum IX. De quatuor statibus hominum, quorum quartus est perfectorum.

Alio tempore Dominus ostendit sponsæ alia quatuor genera hominum, quorum primi videbantur valde fixe et firmiter stare : et de illorum numero aliqui steterunt firmiter super incredulitate, a qua nolebant recedere; alii super sua propria voluntate, quam noluerunt dimittere; et alii super temporali consolatione, qua noluerunt carere. Quam etiam sibi non [4] reputabant unquam deficere, sed certos [5] sufficienter esse propter temporalium bonorum copiam; ad quam tantam habuerunt confidentiam, quod nullam de penuria gesserunt sollicitudinem. *Unde tales,* dixit Dominus, *habent ad illam bonorum copiam* [6] *tantam spei suæ immersionem* [7] *et dilectionem, quod de bonorum temporalium ablatione, si fieret* [8], *plus dolerent quam quod propter corporalem consolationem coguntur carere* [9] *spirituali consolatione. Ideo stant periculose et in præsenti vita coguntur carere divina consolatione, quia eorum desiderium, confidentia et exspectatio consolationis sunt nimis pro consolatione vitæ præsentis. Nec ipsi valent intense spiritualem consolationem desiderare neque advertere aut desideranter exspectare, quia eorum animus temporali consolatione est nimis* [10] *inviscatus* [11] *et innexus* [12]. Porro : *Hujusmodi si ad æternam voluerint pervenire consolationem, tunc videbunt* [13] *se die noctuque in* [14] *bene agendo exercere, ut post consolationem temporalem perveniant ad æternam; in præsenti tamen, anima* [15] *eorum non habebit* [16] *consolationem spiritualem.*

Secundi fuerunt qui se consolationi temporali dederunt. Non tamen ita firmiter innixi fuerunt illi consolationi, sicut primi, cogitantes : si non esses hic, esses alibi ubi non dimittereris in vitæ necessariis; et quamvis talium intentio sit servire Domino, ei tamen non perfecte

[1] permanentem *G.* — [2] et multa *deest in G.* — [3] *codd.* quam. — [4] non *om. C.* — [5] *sic ; adde* se. — [6] operum *C.* — [7] *codd.* iīnsionem. — [8] *codd.* fierent. — [9] *om. C.* — [10] est nimis *om. G.* — [11] *in codd. vox dubia : V* inuiscatus *(an pro* invisceratus ?); *G* mmstatus ; *C* invisitatus. — [12] *codd.* innixus. *Cum verbo* inniti *auctor noster utitur mox bis dativo.* — [13] *germanicismus ? pro* debebunt. — [14] (d. n. in) *codd.* in die noctuque. — [15] tamen anima *om. G.* — [16] anima *add. G.*

innituntur et confidunt, sic ut super ipsum anchoram spei suæ fortiter figerent et super ipsum Dominum firmiter starent. Sed aliquando se erigunt et progredientes Deo appropinquant, aliquando retrocedunt et [1] a Deo se elongant neque vias arctas ambulant. Et hoc accidit eis, quia implicati [2] sunt occupationibus et curis, ut sibi et aliis necessaria vitæ et consolationem temporalem [3] valeant procurare.

Tertii fuerunt qui nec consolationem temporalem neque spiritualem habuerunt. Hi incesserunt vacillando sicut ebrii, immo sicut infantes, non stare nec ambulare valentes. Per hos homines Dominus designavit illos qui non habent temporalia bona nec æstimant se habituros hominum subsidia, super quæ possent se remittere et fixe stare quod in temporali non deficerent consolatione; ideo dicuntur non stare nec temporalem [4] consolationem habere. Hi etiam dicuntur non ambulare et spiritualem consolationem non habere, quia non habent tantum de bono spirituali, quod valerent desiderium suum ad Dominum dirigere et illi fiducialiter inniti et progredi, ut, bonorum temporalium carentia non obstante, possint sine diffidentia et sollicitudine super spirituale bonum progredientes permanere.

Quarti homines apparuerunt erecti firmiter super Dominum stare et recte incedentes velociter ambulare, ac per hoc continue Domino plus appropinquare. Per illos sponsa intellexit, prout Dominus eam intelligere fecit, homines qui plena fiducia se Domino confidunt et consolationem ejus sentiunt, nolentes aliquam habere consolationem, sive temporalem sive spiritualem, nisi quam Dominus Deus dignatur eis ordinare per gratiam suam. Et illi firmiter stare super Dominum dicuntur, quia bonis Domini innituntur, et bonis temporalibus ac carnis consolationibus renuntiaverunt. De his etiam Dominus dixit quod hic et in futuro habituri sunt consolationem spiritus permagnam. *Hi statum habent securum, secundi periculosum, tertii periculosiorem; primi autem inter omnes prædictos habent periculosissimum statum. Et tali hi tres indigent adminiculo ut invitentur* [5] *a Domino et addiscant per vias rectas incedere in hoc mundo.* Amplius : *Illi de quarto statu indigent tali auxilio, ut per eos geratur sollicitudo ne spirituale bonum ad intra negligant extendere et ita spatiose dilatare sicut debent. Unde quantum in eis est, studeant ad extra se abscondere et apud omnes homines latere; ad intra vero bonum spirituale satagant extendere et dilatare ad omnes homines indigentes, pro quibus ex caritativa compassione debent rogare studiose. Sunt recte sicut gallina sedens in loco hominibus ignoto ad excubandum ova : quæ postquam ova excubaverit et pullos habuerit, locatur ad solis radios secus viam, ubi transeuntes*

[1] et *om. G.* — [2] multiplicati *G.* — [3] temporalium *G.* — [4] temporaliter *G.* — [5] *codd.* invitantur.

viam possunt videre eam super pullos suos expansis alis sedentem, sub quibus habet pullos variis coloribus coloratos. Sic homines multa bona spiritualia habentes, ab hoc seculo egredientes, cum magna hominum turba debent intrare manifeste cœlorum regna, quam hic quasi in abscondito sanctæ conversationis exemplo, orationis suffragio vel doctrinæ verbo spiritualiter genuerunt et foverunt.

Capitulum X. De sacerdotum imperfectione et fructu modico in verbi Dei prædicatione.

Sicut Dominus Jesus primo cœpit facere et postea docere, ita vult quod sacerdotes prius [1] pœniteant quam confessiones audiant, prius Scripturam addiscant et secundum eam se exerceant quam eam doceant. Et quia hoc multi sacerdotes non perficiunt et a via rectitudinis deficiunt, ideo sponsæ Dominus dixit : *Sacerdotes imperfecti vel peccatis involuti non sufficiunt ad iter salutis dirigere sibi confitentes. Nec præsumunt audacter arguere delinquentes et eis stricte præcipere ut a peccatis abstineant, quando ipsi per se peccant. Quomodo etiam alium ad vitam rectam perducere possunt, in qua ipsi non sunt? Et qualiter valent viam vitæ aliis demonstrare, quam ipsimet nesciunt invenire?* His dictis, Dominus jussit sponsam mundum in spiritu perspicere et in eo laicos, sacerdotes et religiosos considerare, quam imperfecti essent. Ac ista illustrata cœlitus, dimittens laicos, consideravit multos sacerdotes et [2] religiosos, quos cum tristitia cognovit [3] esse [4] valde imperfectos et aliquos peccatis gravibus oneratos. De quibus dixit ei Dominus : *Adhuc nullus eorum est taliter dispositus, quod ejus anima mox a corpore resoluta posset sine purgatorio ascendere in cœlum : et ideo ad viam cœli rectam non possunt ita bene alios perducere, sicut si haberent animas bene purgatas et ad purgatorium non obligatas; quia in moribus plus movent exempla quam verba.* At sponsa, cum magna tristitia illorum imperfectionem et mala videns, cognovit perlucide plus peccata sacerdotum et litteratorum quam laicorum et illitteratorum Domino displicere. Qui de prædicatione cujusdam sacerdotis in spiritualibus nimis modicum exercitati, dixit : *Quando ille prædicat, tunc verba ejus et fructus prædicationis ejus æque cito desinunt; nam prædicatione ejus finita, tunc sermo ejus et fructus ex prædicatione productus sic se habent recte ac si eos dissipasset et dispersisset ventus. Quippe sermo ejus in audientium auribus est sicut suavis symphoniæ sonus in instrumento chordarum factus* [5]*, transiens et deficiens. Homines bene dicunt : Sermo ejus bene adjuvat nos. Et hoc est bene verum quoad hoc quia eum*

[1] *ita C;* primum *V;* primo *G.* — [2] laicos *add. V, G; om. C.* — [3] agnovit *G.* — [4] *om. G, C.* — [5] fructus *C.*

libenter audiunt; verba tamen ejus post auditionem eis fructum non afferunt. Revera ita modicum sermo ejus proficit eis sicut prædicatio mea Judæis: qui me prædicantem bene audiebant; sed prædicatione finita me interficere desiderabant. Sic faciunt homines communiter prædicationem sacerdotis inexercitati audientes; quia animas suas post prædicationem occidunt plus quam prius. Et hoc ideo fit, prout sponsa a Domino intellexit, quia post hujusmodi prædicationis auditionem minus restringunt voluptatem [1] suam, avaritiam, superbiam, incontinentiam, et minus refrenant iram et impatientiam suam et cetera quam ante prædicationem. Quia aliqua talia reputant esse in prædicante, ideo minus corrigunt [2] illa in se. Et adjunxit Dominus: *Quia* [3] *pauci sunt presbyteri exercitati, ideo ita parum fructificat doctrina prædicantium. Unius siquidem sacerdotis exercitati in anima et corpore sermo semel factus plus infigitur audientium cordibus quam alterius pluries repetitus.* Porro: *Sacerdotes admirantur pro eo quod Dei verbum ita modicum audientibus affert* [4] *fructum: et ipsi deberent de hoc plus admirari quod in ipsis non affert notabiliter magnum fructum. Ipsi siquidem per se permanent avari, superbi, voluptuosi et ambitiosi, nolentes propter me esse pauperes et despecti, sed superiores et præ aliis reputari.* Amplius: *Quicumque sacerdotum voluerit habere certum indicium quod prædicatio sua fructum afferat magnum, iste inspiciat seipsum, qualem et quantum fructum sibi ipsi attulerit Dei verbum. Nam si ab ipso removit peccata, utputa superbiam, avaritiam, gulam, acediam, iram, invidiam* [5], *odium, difavorabilitatem, propriam complacentiam, vanam gloriam, immundam delectationem, inordinatam dilectionem, perversam voluntatem et desiderium malum; et si verbum Dei in ipso virtutes plantaverit, scilicet humilitatem profundam, dilectionem Dei et proximi magnam, et alias virtutes prædictis peccatis oppositas: laudabilem conversationem, firmam spem, plenam confidentiam et cetera: si hæc prædicator verbi Dei in se senserit* [6], *confidenter sperare et firmiter credere poterit etiam talia per verbum Dei esse in auditores inducta. Nimirum, quia verbum Dei eosdem affert fructus* [7] *digne prædicantibus et digne auditoribus quos* [8] *affert sanctum corpus meum ipsum digne sumentibus.* Rursus inquit Dominus: *Verbum meum solet dici et audiri: et aliquando melius infigitur et fructificat* [9] *audienti quam dicenti. Sic corpus meum solet dari et accipi, et quandoque fructum affert majorem accipienti quam danti. Et tu fortiter plora ac contristare* [10] *propter hoc quod tam pauci sunt sacerdotes multum pro me esurientes et me spiritualiter gustantes. Tu quoque multoties sacer-*

[1] voluntatem *G.* — [2] *codd.* corrigant. — [3] *codd.* Ita. — [4] profert *G.* — [5] immunditiam *G.* — [6] sensit *C.* — [7] in *add. G.* — [8] *codd.* quod. — [9] tam *add. V, G.* — [10] *codd.* contristari.

dotibus bona erogasti corporalia : nunc eis eroga bona spiritualia; eos argue, eos doce et dic eis multa de me. Tuas etiam lacrimas eis impertire et singula bona quæ anima tua in vita apprehenderit [1] *æterna.*

Capitulum XI. Dominus ostendit multoties sponsæ sacerdotum incontinentiam et multiplicem culpam.

Cum sacerdotes præ laicis deberent sanctius vivere et se diligentius a peccatorum maculis præservare, ideo eorum peccata, et specialiter luxuriæ, sunt graviora : et Dominus contra eos multoties sponsæ suæ est conquestus et eorum peccata varia ei ostendit. Propter quæ vehementer contristata ad Dominum clamavit. Unde aliquoties apparuerunt ei sacerdotes multi a luxuria inquinati, aliisque peccatis ita aggravati, quod valde anxiatus fuit spiritus ejus, et tremuit[2] ne propter eos periret totus mundus. Dixitque ei Dominus : *Tu pro luxurioso sacerdote non deberes* [3] *surgere ; nec ipse est* [4] *dignus ecclesiam intrare, immo* [5] *nec aquam benedictam aspergere super plattam suam, quia inquinavit eam per luxuriam. Et nisi debitam egerint pœnitentiam, non debent baptizare nec corpus meum suis manibus peccatricibus consecrare aut tractare, nec aliquod sacerdotale officium exercere. Et, si pœnitere noluerint, districte prohibeantur* [6] *a prædictis; et tandem, eorum perseverantia in malo exigente, priventur beneficiis ecclesiasticis. Nimis enim sunt delicati et* [7] *bonis Ecclesiæ impinguati.* Porro : *Nisi episcopus tales in diœcesi sua a malo retraxerit quantum in ipso erit, ipse particeps eorum criminum erit. Debent enim fortiter reprehendi et a concubinis prohiberi. Et, si mulieribus propter suam incontinentiam carere noluerint, dimittantur, tanquam putrida membra ab Ecclesia præcisa, cum meretricibus publicis, quæ una cum eis manus inferno dederunt.* Hoc Domino dicente, multi sacerdotes incontinentes in visione imaginaria sponsam [8] circumdederunt et condensi ei appropinquaverunt [9]; quorum incontinentiæ, avaritiæ et superbiæ differentiam [10] secundum qualitatem et quantitatem distincte et veraciter [11] cognovit. Quibus [12] abeuntibus, alii venerunt qui opera ad extra incontinentiæ in sacerdotio non egerunt, sed voluntatem perversam ad luxuriandum [13] habuerunt et opere perfecissent, si opportunitatem personæ et loci habuissent, nec propter votum suum nec propter Dominum dimisissent. Vidit quoque proprie et distincte [14] sacerdotes in suis ministeriis et moribus esse grossos, in conversatione ineptos, etiam in Scripturis ignaros. Alio tempore iterum circumdabant eam,

[1] apprehendit *G.* — [2] timuit *C.* — [3] debes *G, C.* — [4] est *om. C.* — [5] *deest in G, C.* — [6] prohibear *G.* — [7] de *add. C.* — [8] *om. G.* — [9] apparuerunt *G, C.* — [10] differentia *G, C.* — [11] (et v.) *om. G.* — [12] Qui *G.* — [13] luxuriam *G.* — [14] *ita C;* districte *V, G.*

et hi qui fuerunt incontinentiores ei plus aliis appropinquabant. Circumstantes sic egerunt sicut alias animæ de purgatorio fecerunt, quæ [1] in peccatis aliquibus decesserunt ac pro se orari desideraverunt. Etiam isti sacerdotes taliter se exhibuerunt ac si faterentur libere se male egisse et Dominum offendisse. Pro quibus tamen sponsa tunc non flevit, quia Dominus sibi hic non dedit; sed fuit eorum peccata cum magnis suspiriis contemplata. Et dixit Dominus sponsæ multum in tali visione anxiatæ propter peccatorum multitudinem ac gravitatem : *Dic Ach, ach, ach, quod unquam sacerdotes isti sunt facti, qui habent conatum alios secum trahendi ad infernum ; sitque Domino Deo et Matri suæ dilectissimæ conquestum* [2] *quod in mundo non sunt plures* [3] *sacerdotes multum magnifice a Domino Deo beneficiati, luculenter illuminati et fortes* [4] *in* [5] *virtute sancti Spiritus* [6]*, ac tam sancte ac pure viventes, ut audacter et libere sacerdotes incontinentes possent arguendo confundere et eos qui suis luxuriæ immunditiis in* [7] *sacerdotalem dignitatem ponunt maculam a se removere, eisque ne de cetero illud alte dignum sacerdotis ministerium exercerent inhibere; ac per hoc eos ad tantam erubescentiam perducere, quod deinceps non auderent peccata talia exercere. Sane melius esset quod sacerdotes incontinentes temporaliter tribularentur et per tribulationem in carne extenuarentur, ut peccare cessarent, quam quod, vacantes otio et voluptati et consequenter libidini, pereunt per suam incontinentiam magnam.* Alia vice sponsæ [8] in caritatis ardore magno existenti dixit Dominus : *Si sacerdotes sancti essent, me inter manus suas in sacramento vario modo haberent. Et hoc perciperent nunc in illa, nunc in alia ætatis meæ statura, prout incrementum suscepi in terra. Modo gravis, modo levis inter manus eorum vellem eis fieri, et ita dilectus, quod tæderet eos aliquid aliud diligere quod dilectioni meæ posset nocere. Ita dulcis vellem fieri in eorum mente, quod deberet eis amarescere omne illud quod eis prius fuit dulce. Et ipsi deberent tanto repleri gaudio, quod nihil curarent gaudia in hoc mundo.* At sponsa postquam hæc audivit, studiose pro sacerdotum sanctitate Dominum rogitavit.

[Explicit tractatus sextus.]

[1] *codd.* et. — [2] *germanicismus pro* cum Deo conquestio fiat : (Gott sei es geklagt). — [3] (sunt plures) *add. ex conj. ; deest in codd.* — [4] *om. C, G.* — [5] *om. G.* — [6] fortes *add. C, G.* — [7] *om. C.* — [8] *om. G.*

[TRACTATUS VII. DE CONFESSIONE.]

Incipit [1] tractatus septimus, de confessione.

Capitulum I. Vivax sponsæ anima cum dolore suorum sensit vulnera peccatorum.

Ad conscientiæ puritatem et cordis munditiam venerabilis domina Dorothea ab infantia sua pervenire per veram [2] pœnitentiam satagebat. Ideo nihil indiscussum in suis cogitationibus, [3] verbis, moribus et actibus relinquebat. Quidquid autem mali in his discussionis suæ scrutinio aut ex divino oraculo [4] reperiebat, hoc ad pedes Domini Jesu accedens cum Maria Magdalena amaris lacrimis abluebat, largiores pro levibus peccatis effundens lacrimas quam communiter alii pro grossis et gravibus faciebant. Unde felix ejus anima, Dei imagine insignita ac similitudine decorata, a Domino a grossis peccatis præservata, quædam minuta commisit, quæ illustrata a Domino postquam cognovit, ita dolorose per ipsa afflicta fuit, quod quiescere non valuit stando, ambulando, sedendo vel jacendo, recte sicut torquetur et inquietatur homo cujus corpus per totum est graviter vulneratum. Et sicut taliter vulneratus anhelat habere expertum chirologum [5], qui in vulnera sua nunc medicamenta mortificativa [6], nunc lenitiva [7] immittat, quousque sanatis vulneribus dolorem non sentiat : sic quando ipsa in se cognovit aliqua peccatorum vulnera, aspiravit pro animæ medico, qui singulis quibusque peccatorum suorum vulneribus salutifera adhiberet medicamenta. Idcirco oculus ejus largas pariter et amaras effudit lacrimas, os multiplicavit confessiones, manus bonas continuavit operationes, quousque cessavit dolor vulnerum et a Spiritu sancto obtinuit testimonium peccata sua sibi esse misericorditer indulta et animæ suæ vulnera esse funditus sanata. Quippe ipsa sensit ita realem vulnerum dolorem ex peccatis provenientem, sicut vivacem habens sensum corporalem sentit veraciter vulnerum corporis dolorem. Et confitebatur ea quæ commisit vel omisit [8] ab infantia sua : non solum præcepta divina, sed etiam quod non implevit consilia. Confitebatur etiam peccata, ut ita dicam minutissima, plorando singultuose et voce lugubri, non habens alia confiteri; quæ tamen erant ita levia quod, si cum eis mori debuisset, non ex hoc territa fuisset. Dominus ergo Deus, cœlestis medicus qui propitiatur [9] omnibus iniquitatibus [10], sanavit omnes infirmitates ejus et tribuit ei

[1] sequitur *G, C.* — [2] variam *G, C.* — [3] in *add. G, C.* — [4] (aut-oraculo) *om. G.* — [5] cyrologum *C.* — [6] mortificantia *G.* — [7] lemitiva *C;* linitiva *V, G.* — [8] quod *add. G.* — [9] propitiabatur *C.* — [10] ejus *add. C.*

Spiritus sancti dona tanquam quædam antidota, virtutes theologicas et cardinales tanquam animæ sanitates; fructus vero et beatitudines, ut possit hic habere modo viæ consolationes et delicias spirituales.

Capitulum II. Confessionis debitæ circumstantiæ fuerunt in confessione sponsæ.

Confessio autem ejus fuit discreta, recollecta, festina, voluntaria, lacrimosa, integra, indivisa, propria, vera, nuda et bene circumstantionata. Discreta siquidem fuit et recollecta, quia ante confessionem cogitationes, locutiones, operationes et intentiones suas discussit, et ex eis fasciculum in confessione recollegit et ex tunc sub spe veniæ ad confessorem super eam potestatem absolvendi habentem accessit, prætactas confessionis observans conditiones. Unde Dominus ei dixit : *Vitæ tuæ statum percurre totum, animam et corpus tuum, et scrutare conscientiam tuam, diligenter perspiciens si aliquam ad confitendum habeas culpam. Ac ex his quæ tibi dico recollige confessionem. Fac* [1] *sicut homo dives in equo bona sua circuendo* [2] *perspiciens, ut inordinata ad ordinem et incurvata ad rectitudinem reducat. Sic remove ab anima tua omne malum quod habet, et superpone* [3] *ei multiplex bonum quod non habet.Pete me quod* [4] *accendam te caritate ferventer ardente, ut omnia peccata tua et omnia tibi nociva totaliter valeas cognoscere et perfecte confiteri, ac ut velim tibi per meipsum* [5] *dicere omne quod cognosco in te* [6] *dignum* [7] *confessione.* Et adjunxit Dominus : *Tu debes fortiter flendo confiteri, et dic : Domine Jesu, dilectissime Domine, tu ipse ferventem fac aquam et per teipsum* [8] *præpara balneum lacrimarum, quo valeam animam meam purificare et tibi eam placentem efficere, ut tecum possit æternaliter permanere. Dic quoque ad tuum C[onfessarium] : Ego non valeo confiteri frigido corde et sine ferventibus lacrimis, nisi mihi assit talis necessitas, in qua non valerem differre diutius confessionem.* Porro dum sponsa jam præmissa fideliter ageret et multum sollicita esset, ut [9] horum nihil omitteret quæ Dominus dicebat, aliquoties fervens ita largiter sudabat ac si in ferventi balneo sederet. Et aliquando, quando sollicite perquirebat si quid ad confitendum haberet, Dominus frequenter confiteri eam docebat; et aliquando consolans eam [10] aiebat : *Non sis sollicita; ego nihil mali permittam in te, sed ego expellere volo per meipsum totum quod saluti tuæ est contrarium.* Rursus. Quadam vice accidit quod suam confessionem, de paucis et parvis faciendam, in crastinum differre voluit. Tunc Dominus ei dixit : *Quare non cito confiteris, cum nescias an sis*

[1] Et fac *G, C.* — [2] circumeundo *C.* — [3] suppone *G.* — [4] ut *G, C.* — [5] memetipsum *C.* — [6] (in te) me *G, C.* — [7] *codd.* indignum. — [8] temetipsum *C.* — [9] nec *C.* — [10] ei *add. C.*

victura usque cras? At illa quæ frequenter solebat cor suum coram confessore idoneo effundere, si aliquando in tempore opportuno hominem pro confessore non valuit habere, Dominus, gubernator ejus ac consolator piissimus, qui universalem clavium Ecclesiæ ac principalem habet potestatem, ut sibi confiteretur admonuit. Nihilominus sponsa post hoc, opportunitate habita, peccata sic in confessione Domino detecta non dimisit quin etiam suo detegeret confessori. Amplius. Dominus pluries nunc [1] sibi nunc alteri per eam longam fecit confessionem, in qua Dominus ei multa ad memoriam reduxit, quæ antea non cogitavit; quodque in ea culpabile erat per eam confitendo ita perceptibiliter ejiciebat, ac si quis propriis ejiceret manibus de aliquo habitaculo immunda quæ sibi horribiliter displicerent [2].

Capitulum III. Hic dantur aliquæ conjecturæ ex quibus cognoscitur vere aliquis pœnitere.

Quia sponsa vere et perfecte pœnitens fuit, Dominus ei doctrinam tribuit, qua [3] hominem vere et perfecte pœnitentem ac per hoc veraciter spiritualem cognoscere potuit. Unde : *Perfecte pœnitens,* ait Dominus, *primo habeat dolorem pro peccatis ita magnum, ab imo cordis procedentem, sicut magnam ad faciendum peccata habuit dilectionem, similiter de imo cordis procedentem [4]; habeatque ita cordialem ad virtutes varias dilectionem sicut prius habuit ad varia vitia ac peccata. Secundo, habeat [5] tam intensum dilectionis desiderium ad bonum æternum, quantum [6] unquam habuit ad corruptibile bonum. Tertio, habeat bona fortunæ in tantum odio et contemptui, quantum unquam dilexit ea inordinate. Ita quoque illa vilipendat et suppeditet [7], sicut prius ea magnipendit et sibi dominari permisit; bona vero gratiæ et æternæ gloriæ alti pendat et valde pretiosa reputet, quæ prius peccans modicum reputabat. Quarto, si de rebus transitoriis non desideret aliqua, nisi simpliciter necessaria. Quinto, si post integram confessionem suorum antiquorum peccatorum, habeat tantam de omnibus peccatis pœnitudinem quod libenter fugeret mundum ex horrore peccatorum, si sciret ubi locum pœnitentiæ possit invenire, in quo se valeret a peccatis de cetero custodire. Sexto, si cum lacrimis confiteretur non solum illa quibus Dei præcepta violavit, sed etiam illa [8] quæ in consiliis non implevit [9], ac ea quæ ad confitendum Dominus inspiravit. Nec immerito hoc faciendum, quia homo pœnitens prius multis annis contra carnem suam, mundum et diabolum pugnavit et pugnando multoties vulneratus fuit : nec ex se valet scire suorum vulnerum multitudinem pariter et magnitudinem.*

[1] *ita C;* tunc *V, G.* — [2] displicuerunt *G.* — [3] *deest in codd.* — [4] (sicut-procedentem) *om. G.* — [5] habuit *C.* — [6] quam *C.* — [7] suppeditat *G.* — [8] *om. G.* — [9] impleverit *C.*

Ideo est ei necessarium ut, cum lacrimis confitens secundum consilium meum, peccata sua abluat et cicatricum saltem deformitates deleat, si ipsas cicatrices post vulnerum peccatorum sanationem derelictas plene non valuerit delere. Septimo, si confitetur etiam peccata ita levia quod cum eis auderet transire ex hac vita, jam non habens alia ad confitendum et ad deflendum, sensitque [1] *sic* [2] *realem dolorem vulnerum ex peccatis provenientium, sicut sentiret dolorem vulneris in suo corpore existentis. Quippe in quocumque homine hæc septem* [3] *cognoveris, de hoc scies quod sit homo vere et perfecte pœnitens ac spiritualis.* Postremo est sciendum quod sponsa, quadam vice videns in quodam aliquas virtutes et cum hoc aliquas vulnerum ex peccatis causatorum cicatrices, instructa fuit a Domino quod tales in vere pœnitente cicatrices [4] possent per fletum largifluum et caritatis ardorem validum deleri. At sponsa, cum vidisset dictas cicatrices animam hominis quem tenere dilexit deformare, et postquam flendo pro eodem diu oravit ad Dominum, fiducialiter dixit : *Domine prædilecte, ego non possum pati cicatrices istum hominem sic deformantes.* Cui Dominus : *Fortiter flendo pete me pro eo, ut ego eum lavem et mundum efficiam sanguine meo.* Ac [5] illa tanto caritatis ardore [6] et suarum virium tensione Dominum rogavit, quod sibi actus exteriorum sensuum fuerunt [7] ablati [8]. Cumque hoc [9] aliquoties egisset, a Domino obtinuit quod petivit. Hic est sciendum quod per peccatum anima vulneratur, secundum illud Lucæ x : *Homo quidam descendit a Jerusalem in Jericho et incidit in latrones. Qui despoliaverunt eum et plagis impositis,* etc. Non vulneratur autem anima nec diminuitur neque corrumpitur secundum suam essentiam, sed secundum suum habitum et habilitatem [10]. Peccatum enim mortale habitum rectitudinis, id est justitiæ, totaliter tollit; habilitatem vero, quæ est media inter potentiam volitivam rectitudinabilem [11] et habitum rectitudinis, efficit indignam ad susceptionem gratiæ et minus [12] aptam ac idoneam ceteris paribus ad cooperandum gratiæ post peccati dimissionem susceptæ. Et in hoc habilitas [13] dicitur diminui et anima vulnerari. Nam de quanto homo plus peccat, tanto pronior ad malum redditur, ac tanto ineptior ad opera virtutum. Quanto quoque ex ferventiore desiderio peccat et in peccatis diutius perseverat, tanto se amplius ad gratiam inhabilitat ac per hoc profundius animam suam vulnerat ; vulneraque sic illata aut multiplicata difficilius sanantur, et eorum cicatrices sanatis vulneribus tanto remanent majores. Nota quod cicatrix vulneris peccati est in principio, post sanationem vulnerum, minor idoneitas ad sancte viven-

[1] senseritque *C.* — [2] *om. C.* — [3] septima *C.* — [4] (instructa-cicatrices) *om. G.* — [5] At *G, C.* — [6] *ita in marg. V; in textu codd.* odore. — [7] sunt *G, C.* — [8] *codd.* oblati. — [9] hæc *G.* — [10] humilitatem *C, et mox iterum.* — [11] rectitudinalem *G, C.* — [12] nimis *G.* — [13] humilitas *C.*

dum quam fuisset si non peccasset, et est aliquando quædam inclinatio ad peccandum, licet homo gratia cooperante non sequatur suæ inclinationis appetitum. Postquam autem cessat talis inclinatio, tunc remanet adhuc quoddam signum in anima quo cognoscitur ipsa peccasse et suam innocentiam amisisse, licet peccatum ei totaliter sit dimissum quoad culpam et pœnam. Attamen de tali signo sancti qui condignam egerunt pœnitentiam, non verecundantur; sed etiam in hoc in Domino gloriantur, qui eos a peccatis tam misericorditer liberavit. Nam non est sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ exemplum est pœnitentiæ, ad verecundiam quod ejus peccata per universalem sciuntur et recitantur Ecclesiam. De his vide sanctum Thomam et alios, si placet, doctores circa distinctionem 43^{am} quarti libri Sententiarum.

Capitulum IV. Qualiter in confessione circa pœnitentes se debeant exhibere.

Per variam pœnitentiam et sanctam vitam a peccatis etiam minutis sponsa hæc [1] purificata divinitusque illustrata, cognovit plurimorum suo [2] C[onfessario] confitentium peccata, et quando nude ac debite aut palleate aut indebite ei peccata in confessione fuerunt recitata. Hoc quoque aliquando ex Domini jussione ei dixit et qualiter eos arguere de negligenti confessione vel eos a confessione derelinquere deberet [3], instruxit. Unde de [4] quadam sibi confitente dixit: *Illa confitetur leviora et dimittit [5] graviora, nec est recte confessa; et hoc vellem ei ita certudinaliter ostendere, sicut contingit rem certificari ex digiti indicatione. Jussitque me Dominus fortiter flere eo quod confitendo non tam magnam pro peccatis contritionem neque tam ingentem ad ipsum Dominum dilectionem habuit, quantam decuit et habere debuit, ac pro eo quod a confessione recedens non in tantum ex incendio nimii amoris flevit, quod tam ex ardoris quam fletus magnitudine ibi residisset et exsurgere non valuisset. Dixitque mihi Dominus quod aliquos debeas a tua confessione dimittere, quos tibi volo nominare; cum hac quoque non magnam occupationem habere, interrogando et instruendo eam in confessione, ne tibi noceas et tempus cum ea inutiliter consumas. Satis namque senex est, et scit dijudicare quando offenditur vel corpori suo nocumentum infertur : ita [6] cognoscere posset quæ ad animam pertinerent, si diligentiam adhiberet. Vult siquidem Dominus quod ipsam duriter arguas, et hoc toties [7] quod se cognoscat indigere in confitendo majore cognitione [8] ac suorum peccaminum discus-*

[1] (s. h.) post hoc. — [2] *ita G ;* sibi *V ;* suorum *C.* — [3] *ita videtur legendum ; omittit V ;* et *C.* — [4] *ita C ; deest in V, G.* — [5] omittit *C.* — [6] *add.* quod *G.* — [7] agas *add. C.* — [8] (m. c.) *ita C ;* majorem cognitionem *V, G.*

sione [1]. *Ac quando expedite et rationabiliter confitetur, quod eam audias et breviter verbis eam instruas, ut sit circa salutem suam sollicita attendatque quantum fuerit hominibus et Domino ingrata in his quæ sibi sunt ministrata. Et dic ei : Si debitam ac perlucidam haberes notitiam, tu in anima tua multiplicem invenires maculam et reprehensionem. Quando autem indiscrete et inexpedite confitetur, exsurge et* [2] *dic ei seriose : Delibera bene quid* [3] *velis confiteri, et cum re certa accede ad me. Nimirum quia confessor,* inquit, *homini seni irrationabiliter et non expedite confitenti non debet esse benignus, sed seriosus et rigidus. Nec debet tolerare ejus in confitendo nescientiam, sed tam duriter arguere negligentiam, ut confundatur et habeat verecundiam. Quippe si quis ad confitendum venerit, dicens* [4] *: Domine, interrogate, admonete et* [5] *instruite* [6] *me, dicas : Vade ad prædicationem verbi Dei : ibi enim generaliter homines docentur in his quæ pertinent ad salutem; et ex illis tibi recollige confessionem. Ex quo nescis confiteri, quare ad confessionem venisti ? Tu es bene ita senex, quod valeres agnoscere quæ fecisti. Hoc circa omnes senes est observandum. Quibus cum brevibus verbis est dicendum quod ad salutem est necessarium. Et hoc circa juvenes latius modicum* [7] *est faciendum.* Rursus inquit Dominus : *Confessor circa confitentes non sit lenis* [8] *aut hilaris, vel amicativus* [9]*; sed omnibus cum maturitate seriosus. Duriter arguat confitentium peccata, inclametque eos. Et in eorum præsentia, hoc est in tempore confessionis, taliter se exhibeat, ac si totum quod a confitente actum est sibi displiceat nihilque de ipso teneat; seu sic se exhibeat ac si nihil ipsum reputet. Sic quoque se gerat quod filii aut filiæ confessionis suæ non æstiment eum aliquam bonam opinionem de ipsis habere, terreanturque ad ipsum accedere. Nempe confessor hæc agens debet* [10] *talem in corde suo reputare* [11] *quemlibet* [12] *qualem cognoscit ipsum esse, et se omnibus confitentibus coram aliis benevolum exhibere, ut in nullo aliis valeat apparere quod ipse de ipsis aliquid mali sciat ex confessione.* Amplius. *Pater confessionis non permittat filio confessionis voluntatem suam, sed confitens suam dimittat confessori voluntatem et ad illius jussionem justam obedienter se inclinet. Debet autem confessor confitentibus juste consulere et sic quasi perfectus sit; dimittatque illum a sua confessione qui non vult a grossis peccatis, moribus malis vel abusivis consuetudinibus cessare.* Postremo. *Confessor caveat ne mulierem aut virginem aliquam incaute inspiciat, vel in angulo seu loco obscuro aut suspecto audiat; sed in patulo confessiones audiens sedeat, ne aliquam notam*

[1] *ita C;* discussionem *V, G.* — [2] (exsurge et) *ita C;* et *deest in V; in G nihil nisi* et. — [3] (bene quid) me quod *G.* — [4] dicat *C.* — [5] *om. G, C.* — [6] adstruite *G.* — [7] *om. C.* — [8] levis *G, C.* — [9] amicatus *G.* — [10] *add.* quemlibet *G, C.* — [11] repræsentare *G.* — [12] *om. G, C.*

infamiæ ipse vel confessionis filia incurrat. Sane hæc confessor si observaverit, confitens perpendere poterit[1] *quod proficere ei velit.*

Capitulum V. De redargutione confessoris et mulieris filium opprimentis.

Adhuc de una C[onfessario] confitente quæ suum involuntarie[2] oppresserat puerum[3] filium, est dicendum. Cujus peccatum quia publicum fuit, C[onfessarius] aliquam partem satisfactionis publice agendam injunxit, utputa unam carenam. Quam quia illa assumere recusavit et C[onfessarius] in arguendo eam nimis remissus fuit, Dominus sponsam hanc fortiter flere et suum C[onfessarium] arguere jussit, dicens : *Dic : Fili dilecte, Dominus cogit*[4] *me arguere te, et hoc facio invite. Aliquid enim adhæret animæ tuæ, quod potuisses bene præcavisse; et ideo una die et nocte pluries oportuit me flere. Primo, me oportuit hoc deplorare, quia mulieri illi quæ filium oppressit et pœnitentiam assumere recusavit, debuisses dixisse : Si credidisti me non esse idoneum aut non sufficienter instructum ut scirem debitam tibi injungere pœnitentiam, quare voluisti ad me accedere et gratis me vexare? Et, si æstimas me ad hoc idoneum, quare non subis*[5] *pœnitentiæ remedium? Secundo, quando ipsa dixit sibi per aliam mulierem sic esse dictum : De morte filii tui non contristeris multum, quia, si ipse supervixisset, mala morte periisset : tunc tu debuisses valde seriosus fuisse, dicendo sibi : Ach, illa misera et tu cum illa! Quomodo potuisset tibi pejore morte*[6] *fuisse mortuus quam nunc est, a teipsa, matre sua*[7] *propria, oppressus? Tertio, quia cum tam frigida et modicum contristata et contritione quasi nulla pro peccatis tam*[8] *horridis venit ad te, et*[9] *tu debuisses ei dixisse specialiter propter peccatum oppressionis*[10] *filii quem ex sua negligentia oppressit : Eia, tu pauper homo et misera, quomodo tu in tanta tribulatione constituta venis ad me ita frigida et modicum contrita pro peccatis tam gravibus et horribilibus? Recte sic agis ac si nihil contristata sis et vix unum peccatum veniale commiseris. Hoc quod tibi accidit est unum grande malum, cordiali tristitia plenum et ex intimo corde deplangendum. Et ego, si possem, libenter vellem pro te sanguineas flendo lacrimas effundere. Hæc*[11] *dicendo pro ejus redargutione, debuisses seriosus et impatiens apparuisse et cordis*[12] *tui per*[13] *gestus et verba ostendisse amaritudinem, sicque eam incitasse ad dolorem pœnitentiæ cordialem. Quarto, tu aliquantulum nimis diu fuisti cum ea occupatus, quando petivit ut ista pœnitentia publica alteri imponeretur mulieri, cui ipsa vellet satisfacere. Et quia noluisti eam exau-*

[1] *om. G.* — [2] voluntarie *G.* — [3] *om. C.* — [4] coegit *G.* — [5] *ita C, G ;* subdis *V.* — [6] *om. C.* — [7] *om. G.* — [8] *om. C.* — [9] *om. C.* — [10] (p. o.) oppressionem *G.* — [11] Hoc *G, C.* — [12] corporis *G.* — [13] per *om. G.*

dire, et in hoc egisti bene, ipsa recedens a te plus est contristata pro eo quod debuit agere pœnitentiam publicam quam propter peccata quæ commisit per malitiam et negligentiam, quamvis per multa persuaseris eam ut subiret pœnitentiam. Ipsa enim apparuit mihi ob hoc rubore verecundiæ perfusa. Et dum ob[1] *hoc pro*[2] *muliere illa flerem ac sollicita essem ne desperaret aut nimis impatiens fieret, dixit mihi Dominus ut tibi dicerem : Si illa ad te reversa fuerit cum magna contritione, cordis amaritudine et ferventium lacrimarum imbre, dicens ex desiderio animæ suæ : Dilecte Domine, pœnitentiam mihi pro peccatis meis majorem imponite ; timeo enim mihi*[3] *nimis modicum per vos esse*[4] *impositum : tunc secum habeas compassionem et in modico ejus allevies pœnitentiam. Si autem frigido corde reversa fuerit, desiderans ut pro se mulierem aliam permittas subire pœnitentiam publicam, scilicet faciendo carenam, tunc sis ei seriosus et rigidus, dicendo : Tu possis velle quod pro peccatis per te mihi in confessione dictis valeres satis facere pœnitendo per singulos dies vitæ tuæ, etiam si non dimitteres aliquam diem, quin in ea aliquid pro prædictis faceres peccatis, pro quibus tibi modicam injunxi pœnitentiam; quæ non est pars decima pœnitentiæ per te agendæ. Et ex quo non vis obedienter jussa perficere, sed inniti voluntati tuæ, quare inutiliter fatigas me? Quinto, oportuit me flere quia puer oppressus apparuit mihi miserabilis et mœstus, sic agens ac si proponeret super matrem suam facere in die novissimo querimoniam in*[5] *eo quod amputavit*[6] *sibi vitam suam et annos abstulit*[7] *juveniles. Et hoc bene sentio futurum, si mater non egerit dignum pœnitentiæ fructum, quæ*[8] *tantæ ætatis, scilicet dimidii anni, puerum valuisset bene custodivisse, si ad hoc adhibuisset diligentiam sufficientem. Porro pro præmissis quinque*[9] *unam diem et noctem fortiter sæpe sed non continue oportuit me flere, materque et puer oppressus etiam pluries apparuerunt coram me flebiles. Habui quoque a Domino consolationem, C[onfessario] culpabilem negligentiam circa præmissa commissam esse misericorditer relaxatam.*

Capitulum VI. Quod sponsa a Domino sit tam instructa quam jussa confiteri sua propria peccata.

Sponsa est in Christo experta quod ipse non sit Dominus ultionum[10], sed pater misericordiarum : et, si magna sit nostra iniquitas, tamen major est ejus pietas ; omneque quod homini non imputare decreverit, sic est quasi non sit. Ideo omnia peccata per confessionem detegens prudenter egit et in tempore opportuno indulgentiam invenit.

[1] *om. G.* — [2] præ *G.* — [3] esse *add. C.* — [4] *om. C.* — [5] *om. C.* — [6] *ita G, C ;* amputaverit *V.* — [7] abstulisset *G.* — [8] quod *G, C.* — [9] per *add. C.* — [10] ultionis *G, C.*

Peccata ergo singula a juventute sua usque ad extractionem cordis commissa statim post cordis sui renovationem fuit confessa, tam ex Domini jussione quam ex ejus instructione. Ipse enim docuit eam singula confiteri [1] quamvis ante dictam cordis sui renovationem de his fecerat pluries integram confessionem. Porro, post hoc, ante reclusorii ingressum, quando fuit iterum jussa a Domino confiteri quodlibet peccatum suum antiquum, sic dixit ad Dominum : *Quid hoc est utile mihi iterum antiqua peccata confiteri, cum jam non sentiam de illis dolorem?* Sane hunc tunc sponsa non habuit, tum quia illum tunc [2] in ea Dominus non effecit, tum etiam quia dudum a Spiritu sancto testimonium obtinuit quod omnia sua peccata sibi essent misericorditer dimissa. Dominus autem sibi dixit : *Si ad præsens ea non vales confiteri ex compunctione, saltem confitere ex amore. Nam quando homo ad hoc* [3] *pervenit quod confitetur aut aliud quid facit ex puro amore, mihi hoc plus* [4] *acceptum, quam si hoc ageret partim ex amore et partim ex supplicii timore* [5]. *Tu ergo confitere* [6] *hoc quod consulo et* [7] *jubeo. Et si dixerint confessores tui : Quare ita longas facis confessiones, responde : Ego non valeo confiteri ex propria voluntate nec ex consuetudine, sed ex caritate. Nam vos videtis quod Dominus meus dilectissimus accendit me tam ferventer* [8] *sua caritate, quod oportet me confessiones meas facere cum magnis lacrimis et fervida caritate. Unde mihi videtur* [9] *quod quamdiu vixero, rectam habens intelligentiam et sanam rationem, confiteri non potero totaliter et totum omne quod est confitendum. Oportebit ergo me, ex magna caritate flendo, ad Dominum clamare* [10] *et animam meam contemplari propriam* [11] *et illud ab ea removere ac projicere quod sæpe in vanitate et propria voluntate posui super eam.* Sponsa ergo Domini acquiescens admonitioni, sic studuit confiteri per singulas vices. Secundum Domini instructiones et jussiones fecit varias confessiones. Quarum multæ ab [12] ejus ore conscriptæ pro simplicium ædificatione in suo vulgari, scilicet Theotunico [13] sunt relictæ [14] *.

Explicit latinum [15].

[1] *om. G.* — [2] *om. G.* — [3] (ad h.) adhuc *C.* — [4] *ita C ; om. V, G.* — [5] terrore *G.* — [6] (Tu conf.) *om. G.* — [7] et *om. G.* — [8] ex *add. G.* — [9] *om. C.* — [10] clamando *G.* — [11] (c. p.) p. c. *C.* — [12] ex *G.* — [13] Theutonico *G.* — [14] Et sic est finis hujus Septililii *add. G.* — [15] Explicit Septililium venerabilis dominæ Dorotheæ etc. *G.* — Explicit liber Septililii. Anno Domini M°CCCC°IIII° in die Lucie *C.*

---

* Edita fuerunt hæc capitula reliqua *Septililii* (VII-XXVIII) anno 1877 in *Zeitschrift für die Geschichte und Alterthumskunde Ermlands*, pag. 148-183. Cfr. Monitum prævium præfixum præsenti editioni *Septililii.*

MONACHORUM AFFLIGHEMIENSIUM

ET IMPRIMIS

B. FULGENTII

PRIMI CŒNOBII ABBATIS

STATUTUM

DE DECIMIS RERUM OMNIUM IN ELEEMOSYNAS EXPENDENDIS

NUNC PRIMUM EDITUM

a R. P. H.-P. VANDERSPEETEN S. J.

Ad finem vergente seculo quod christianis undecimum est, sex numero milites, ut coævum Afflighemiense chronicon narrat, Wederici, Blandiniensis monachi, admonitione compuncti... quæ injuste acquisierant relinquentes, Magistrum pauperum pauperes secuti sunt. Qui cum beatum Annonem, Coloniensium præsulem, convenissent et, antiquorum scelerum absolutione accepta, consilium ab eo reportassent ad propria remeandi, ut ubi abundaverat delictum superabundaret gratia, Pastoris voci audientes reversi sunt in horridam tunc Afflighemii solitudinem, quam Lovaniensis comes Henricus, hujus nominis tertius, in suo fundationis diplomate *speluncam latronum* et *locum homicidii et ruinæ* propriis vocibus appellat.

Quandoquidem igitur ab Annone, Coloniensi præsule, ad vitam monasticam amplectendam inductos se fuisse primi Afflighemiensis cœnobii incolæ testantur, isque præsul anno 1075 diem obiit supremum, necesse est ut *Novi*, quod vocabatur, *Monasterii* exordia non ultra hunc ipsum annum 1075 reponantur. Nihilo tamen minus apud omnes historicos, quin et in ipsis, de quibus modo diximus, synchronis annalibus ut certum reperitur abbatiam Afflighemiensem anno tantum 1083 inchoatam, sub beati Fulgentii, primi abbatis, regimine tam altas virtutis rigidæ egisse radices ut, decurso vix semiseculo, Ecclesiæ jubar ac columen, divus Bernardus, hic aliquando hospitatus, ac pro more suo nominibus alludens, exclamare non dubitaverit : " *O vere Afflighenium, ubi genius affligitur! Alibi homines, hic inveni angelos.* "

Ad hanc temporis litem dirimendam, Eminentissimus hodie Cardinalis Pitra non immerito opinatus est conversos sex milites per septem octove annos in silvarum

latebris cohabitasse, at nulla communi legi subjectos; anno vero 1083 in unum coaluisse et ad sequendam monachorum vitam ultro et gaudentes consensisse. Cujus opinioni non nihil suffragatur quod hic edimus documentum.

Desumptum hoc est ex volumine in Bruxellensibus archivorum scriniis inter Chartularia asservato, et juxta specialem indiculum numero 73c notato. Quod quidem apographum, notarii manu transcriptum et signatum, si quis attente perlegerit, non temere suspicabitur documentum ex duobus unum effectum. Hujus pars prior, omnium monachorum nomine " in præsentia Dni abbatis Fulgentii „ composita, desinit in his verbis : " Gloria sive ad gloriam Patris ac Dni Dei nostri qui in cœlis est. „ Quæ sequitur pars, unius " Dni Fulgentii, Dei gratia abbatis „ auctoritate, " communi tamen ac salubri fratrum consilio „ constituta et probabiliter priori adnexa fuit.

Quum vero Fulgentius, postquam III° Idus Novembres anni 1089 in abbatem fuerat electus, IV° Idus Martias anni proxime sequentis Cameraci a Gerardo episcopo benedictionem acceperit, nec ante annum 1121, ut olim in epimenide " *Précis Historiques* „ demonstravimus (1), carnis deposuerit sarcinam, reliquum est ut inter utrumque hunc temporis limitem documenti nostri ætas ascendat. Immo priori quam posteriori metæ viciniorem esse priorem saltem ejus partem autumare, quin et asserere licet.

Ad ipsum tandem hujus chartæ argumentum quod attinet, pulchre admodum et solide probat qua in pauperes caritate et sollicitudine abripi se sinerent veteres illi monachi, quibus hi modo maledicere queant qui nec primoribus labris sanæ historiæ fontes unquam attingere valuerunt.

H.-P. Vanderspeeten S. J.

Fulgentii abbatis de decimis omnium rerum monasterii Eleemosynæ solvendis.

Quoniam ceu nostis, Karissimi, generatio præterit et generatio advenit et prioribus convenit posteris exemplum relinquere imitationis, nos primi qui locum istum inhabitavimus, cujus conditionis initium habuerimus vobis sequacibus innotescimus, ut vos prudenter discernentes præterita, sciatis cautius et melius disponere et gubernare præsentia. Venimus enim quasi rudes et indocti in hanc silvestrem et incultam solitudinem; sed, quum propriis viribus parum

(1) Année 1863, p. 596.

potuimus, Ipse qui linguas infantium fecit disertas, quod sibi placuit per nos ordinavit. Confirmata enim nostræ conversationis sententia, initaque regularis vitæ semita, nullum rectiorem, nullum devotiorem salutis tramitem deprehendere valuimus, quam ut manuum nostrarum laboribus alimenta et indumenta conquirentes, his contenti maneremus. Cum enim Domini est terra et plenitudo ejus, qui dat semen seminanti et panem confert manducanti, de tota cultura nostra, de tota possessione nostra, decimam partem et ad pauperum suorum usum nos daturos sponte propria statuimus. Quod votum nos primi cum posteris, posteri cum primis, omnes pariter, in præsentia Domini abbatis Fulgentii, iterata vice renovavimus et confirmavimus et nunquam occasione vel necessitate aliqua tale pactum nos violaturos esse certa stabilitate promisimus. Unde, quia diabolus nequam nocte et die circuit quærens quem devoret, nosque qui fortes reputamur in fide, vigili sollicitudine quæ Domini sunt oportet tribuere, quia, ut ait Scriptura, melius est homini non vovere, quam votum non persolvere: ne vero de his votis et decretis aliquid dubietatis nascatur posteris, singula tradimus memoriæ per indicia scripturæ. De annona decimam, sive fuerit empta, sive de agri processerit cultura. De argento decimam, sive in altari oblatum fuerit, sive undecumque conquisitum ad usus fratrum pertinuerit. De argento unde decimatio est data, si annona fuerit empta, panis qui inde conficitur iterum decimabitur, quia hoc etiam placuit fratribus constituere ut eleemosynarius debeat omnes, exceptis invitatis a nobis, advenientes pedites recipere. De argento itidem vel de pecudibus vel de omni re quæ ad ædificationem monastici operis offertur vel præbetur, decimatio reddetur, quia magis placet Deo sustentatio suorum membrorum quam exaltatio murorum: sed tamen pro Dei veneratione et christiana celebritate neutrum oportet omittere. De fœno quod in propriis ecclesiæ pratis crescit vel quæ fratres in vadimonio habuerint, decimatio concedetur. Sed de fœno quod emerint, nulla exigetur. De lana, de caseis, de butyro, de agnis, de vitulis, de jumentorum pullis, de omnibus pecudum vel altilium vel volati-

lium generibus, de piscibus, de ovis, de quibuscumque fructibus, omniumque rerum usibus veniet decimatio. Et ut multa paucis comprehendam, quidquid ecclesiæ vel fratribus collatum fuerit, exceptis aliquibus vestibus, vel quidquid in possessionibus eorum repertum fuerit quod decem denarios valuerit, sine decimatione non remanebit. Excepta cera quæ in altari offertur et exceptis ecclesiasticis ornamentis quibus ad utilitatem et salutem pauperum et omnium christianorum communiter ab omnibus fratribus Deo servitur. Si quoque argentum vel aurum super altare fuerit oblatum, nec fuerit fabricatum, ita ut cruces vel calices inde sint compositi vel aliquis apparatus hujusmodi, decimatio statim subsequetur. Sed si fuerit penitus paratum et præsenti usui aptum, nihil ex eo requiretur. Præterea si quis ad conversionem venerit et secum asportaverit vel adduxerit argentum vel pannos vel equos vel cetera humano usui subministrantia, ibi etiam decimatio consortium habebit. Exceptis solummodo vestimentis monachicæ vitæ idoneis. Ad hoc, ubicumque longe vel late, vel in ista vel in alia patria, curias ædificaverimus, si quid superfuerit cultoribus et fratribus quod ad nos transmitti oportet, similiter manum suam ibi decimatio adponet. Si quid autem in claustro vel extra claustrum, in campis vel in pratis, in silvis et ubique in confiniis nostris, fuerit repertum quod non cognoscatur fuisse nostrum, procurator decimationis totum habebit. Igitur, ut omnis lis et iracundia de nostro excutiatur Ordine et caritative maneamus sine contentione, Eleemosynæ quæ sua sunt benigne solvamus; et ad hæc superius nominata, quæ pro vivis et defunctis disposita sunt dari pauperibus in sex diebus per annum, sine contradictione et murmuratione ex toto corde impendamus. Gloria sive ad gloriam Patris ac Domini Dei nostri qui in cœlis est. Ut ejus nomen, quod gloriosum et sanctum atque terribile est, magis magisque timeatur, glorificetur, ametur a propria creatura, egenorum scilicet turba, constituit Dominus et Dei gratia abbas Fulgentius, communi ac salubri fratrum consilio, ut ad numerum monachorum intra claustrum seu fratrum extra claustrum in altero habitu

ad curias in obedientia consistentium et in Cœna Domini ad claustrum pro abluendis fratrum pedibus, numerus nummorum probatæ Brossellensis monetæ ac panum triticeorum ejusdem numeri — ita tamen ut singulis panibus adderentur duo pisces quos allecia vocitamus, — ut singulus quisque monachorum seu fratrum recipiat quod singulo impendat egenorum intra claustrum introductorum et conventantium, — separatus ab eleemosynario esset (1).

(1) Et appensum erat sigillum ex materia ignota, cui impressa erat imago Abbatis tenentis pedum pastorale in dextra.

DE ORIGINE

MONASTERII VIRIDISVALLIS

UNA CUM VITIS

B. JOANNIS RUSBROCHII

PRIMI PRIORIS HUJUS MONASTERII

ET ALIQUOT COÆTANEORUM EJUS.

Beati JOANNIS RUSBROCHII, sanctissimi ac divinissimi contemplatoris, Vitam, conscriptam ab Henrico Pomerio, nunc primum e codice Bibliothecæ Regiæ Bruxellensis, n° 2926-28, publicam in lucem edimus (1).

Circa quam prima quæstio movetur : utrum hæc sit primitiva beatissimi viri Vita, an hausta sit ex priori aliqua, novisque aucta additamentis. Legitur enim in libro quodam e bibliotheca monasterii Viridis Vallis (folio 118 verso) ad IV Nonas Decembris : " *Anno Domini* M. CCC. LXXXI° *obiit venerabilis pater Dominus Johannes de Rusbroeck, primus prior ac fundamentum hujus monasterii. Hujus sancti patris vitam gloriosam frater Johannes Theodrici de Scoenhovia veraci atque egregio stilo, utpote qui eumdem novit, vidit, subque ac cum ipso hic vixit, fideliter conscripsit.* " Liber iste membraneus (nunc Bibl. Regiæ Bruxellensis, series II^a 155) (2) hunc titulum præfert (folio 33 verso) : " *Sequitur liber obituum fratrum nostrorum.* " Est ergo verum NECROLOGIUM monasterii Viridisvallis, cujus testimonium negligi non potest neque contemni.

(1) Codicis descriptionem videsis in nostro Catalogo codicum hagiographicorum Bibliothecæ Regiæ Bruxellensis, pagg. 379 et 380. Magna cura confectus est hic codex eodem seculo quo vixit Pomerius, seculo scilicet XV, forsan eo adhuc in vivis agente. In nostra descriptione codicis, aliqua oscitantia factum est ut scriberetur hunc codicem exaratum esse *litteris plenis,* ubi dicendum erat *lineis plenis.* — (2) Ita signatus est hic codex inter " Novas acquisitiones " Bibl. Reg. Brux. Emptus fuit anno 1872, pretio francorum gallicorum 500, post mortem clar. viri C. Serrure, cujus olim erat.

Præterea Aubertus Miræus in epistola data ad Heribertum Rosweydum e Soc. Jesu, virum doctissimum ac colligendi *Acta Sanctorum* auctorem, die 16 Decembris anno 1622 : “ *Recte mones de edenda Rusbroquii Vita per Joannem Sconhovium conscripta : sed, quod doleo, nulla spes est de Sconhovio inveniendo apud Brabantos. Notat enim Joannes Jonchærus in Virologio Viridis Vallis periisse Sconhovii libellum, ex quo Pomerius auctior prodiit.* „ Exstat epistola autographa in fasciculo ms. Bibl. Reg. Bruxellensis 8961-62. Ipsum Virilogium inspicere nequivimus : quippe quod dudum non compareat. De auctore et de opere sequentia leguntur in Necrologio, ad XV Kal. Februarii : “ *Anno Domini* MV^c^IX *stilo Cameracensi* (1) *obiit venerabilis pater fr. Johannes Furnis, alias Jonckheere. Qui antequam ingrederetur, presbyter extitit et magister in artibus, rectorque scholarum in Furnis. Qui strenue et devote Deo serviens, factus est magister juvenum ; quos et sollicite et multum exemplariter instituit et direxit. Fuit etiam bonus pater iste multis annis archarius. Quo tempore multa scripsit et ordinavit pro conservatione archæ. Præsertim Virilogium, quod ex archivis hinc inde copulavit* (sic), *opus utique egregium et laboriosum, eo tempore confecit et scripsit.* „ Dolendum sane est tanti viri opus, quod sui tanto in pretio habebant, nobis periisse. Haud tamen credere non possumus Miræo asserenti : teste Jonchero exstitisse Vitam Rusbrochii a Joanne Sconhovio conscriptam eamque tunc temporis jam fuisse perditam. Fama itaque certa, atque haud dubia apud Viridemvallem traditione notum erat Joannem Sconhovium exarasse Vitam beati Joannis Rusbrochii. Quæ tamen a multis seculis non comparet, ac periisse videtur. Ideo non mirandum, si docti quoque viri nunquam exstitisse pronuntient, — aut putent Vitæ nomine venire Epistolam apologeticam quam pro Rusbrochii scriptis adversus Gersonem Joannes Sconhovius edidit. Tanto magis, quum viderent Henricum Pomerium nullam mentionem facere hujus Vitæ, dum tamen omnia quæ scribit “ ex relatione primorum patrum, atque imprimis Joannis Scoenhovii „ didicisse fatetur. Quibuscum quo minus sentiamus facit clarum testimonium Necrologii et Joncheri. Rem sic explico. Scripserat Joannes Sconhovius, Rusbrochii contubernalis ac discipulus, sanctissimi viri Vitam aliquam, eamdemque postmodum tradidit Henrico Pomerio, scripturo “ *De origine monasterii Viridisvallis et de gestis Patrum et Fratrum in primordiali fervore ibidem degentium.* „ Hic est generalis titulus lucubrationis Henrici Pomerii quam nunc in *Analectis* edimus. Cujus secunda pars, ac totius operis præcipua, Vita est ac mores laudabiles Joannis Rusbrochii. In prologo fatetur auctor se ea quæ scribit, didicisse “ relatione.. credibilium personarum, fratris Johannis videlicet de Holare.., et fratris Joannis de Scoenhovia, confratrum nostri monasterii, qui hæc eadem se vidisse vel relatione veridica audivisse palam et publice protestantur. „ Existimo ergo Henricum Pomerium argumentum scriptionis suæ didicisse quidem ab iis quos dicit, ex eorum “ relatione „ non modo orali sed etiam scripta : quæ fuerit Vita conscripta olim ab Joanne Sconhovio, quæque tota transierit in opus Pomerii historicum, ideoque transcribi legique desierit, et tandem perierit. Sic fiet ut pars secunda hujus

(1) Incipiente scilicet annum a Paschate.

scriptionis Henrici Pomerii sit vera ac primitiva Vita Joannis Rusbrochii, antiquissimus purissimusque fons unde vera notitia rerum a Joanne Rusbrochio gestarum maxima ex parte peti ac hauriri debeat.

Altera quæstio quæ circa Pomerii laborem hunc moveri potest, viri fidem spectat et auctoritatem. Jam vero is est Henricus Pomerius ut nemo fortassis majorem fidem mereatur. Etenim ipsum Rusbrochium ætate prope attingit. Vixit in locis in quibus ille vixerat, iisdem usus contubernalibus magistrisque qui virum Dei non tantum de facie noverant, sed multos annos familiariter cum eo vixerant : quibus viventibus et adjuvantibus scribit de rebus quarum fama illustris ad omnes venerat, qui libros accepturi et lecturi certo erant. Ipse denique talis erat ut nec facile falli posset, ac fallere omnino noluisset. Natus est Henricus Pomerius Bruxellis anno 1382, uno anno post obitum Joannis Rusbrochii. Nomen varie scribitur : Pomerius, ex Pomerio, de Pomerio; est enim ex flandrico *Bogaerts, van den Bogaerde* latine translatum. Litteris diligenter excultus, magisterium in artibus consecutus, regulam sancti Augustini apud Canonicos regulares in monasterio Viridis Vallis professus est. In " Catalogo fratrum clericorum sive choralium qui in monasterio Beatæ Mariæ Viridis Vallis in Zonia Ordinis S. Augustini recepti sunt, " sexagesimus primus inscribitur " *Magister Henricus de Pomerio de Bruxella, magister in artibus, rector scholarum primo Bruxell[æ], post Lovanii ; demum secretarius juratus opidi Lovanii prædicti* (1). " Prioris officium suscepit apud Septem Fontes anno 1422 (2). Tandem anno 1431 eodem officio functus est apud Viridem Vallem. Legitur enim in prædicto codice (fol. 8 verso) inter nomina Prælatorum : " *Decimus Prælatus. Septimus prior : frater Henricus ex Pomerio, artium magister. Præfuit anno uno et modico amplius, et absolutus est anno 1432.* " Anno 1454 (3) iterum prioratum suscepit apud Septem Fontes. Tandem annos natus 87 pie obiit in Viridi Valle, in cujus Necrologio, sæpe citato, ad IV Nonas Junii legitur : " *Anno Domini 1469 obiit venerabilis pater frater Henricus ex Pomerio, magister in artibus, qui fuit quondam prior domus nostræ, atque confessor domus Vallis Sanctæ Barbaræ in Thenis ; et demum prior in Septemfontibus, ibique a domo nostra se transtulit, propter inclusionem, sicut dixit, ibidem ante nos factam. Hic fuit magnus devotarius et multum speculativus. Unde scripsit plura opuscula, scilicet Promptuarium spiritualium meditationum, Exercitium super Pater noster, Vitam Ruysbroech.* " Hic igitur talis tantusque vir, secularibus ac divinis litteris egregie eruditus, devotione ac pietate insignis, contemplationis excelso dono præditus, qui, post multiplicem rerum usum in seculari vita acquisitum religionem ingressus, in eodem monasterio Viridisvallis, toto adhuc spirante recenti memoria virtutum ac sanctitatis Joannis Rusbrochii, inter ipsa initia cultus et honoris beato viro præstiti, patribus ac magistris usus beati Rusbrochii sociis ac discipulis, omnia propriis oculis inspicere, propriis auribus audire potuit ab ipsis testibus oculatis,

(1) Cod. Brux. II 155, cujus hic " Catalogus " pars est, fol. 16r. — (2) Wiaert, Historia Septifontana celeberrimi monasterii can. Reg. S. P. Aug. in Sylva Soniaca, p. 30. — (3) Ibid., p, 43.

atque eorum præsentium commentariis uti in scribenda beati Joannis Vita, omnia quæ fidem et auctoritatem conciliant eum in modum assecutus est, ut majora requiri vix possint. His itaque in adjunctis rerum, personarum, temporum ac locorum librum scripsit, quem fideliter ex manuscriptorum codicum fide lectori tradimus.

Quo anno Pomerius hunc librum suum absolverit, accurate determinari nequit. Scimus tamen ex Prologo librum transmitti ad Canonicos Regulares Bethleemitici monasterii prope Lovanium, prioratum ibidem obtinente Joanne de Holare (1). Jam vero Joannes de Holare per septem annos in Bethleem prioris officio functus est, ab anno 1414-21, quod colligitur ex citato codice, folio 8 recto, ubi inter nomina prælatorum legitur : " *Octavus Prælatus. Quintus Prior : frater Wilhelmus de Amsterdam, licentiatus in medicinis. Hic professus erat in monasterio Fontis Beatæ Mariæ prope Arnhem : postea electus in primum priorem monasterii Beatæ Mariæ in Dumo prope Endoviam. Postea absolutus, electus est in anno Domini 1420, tertia die septembris, in octavum prælatum et quintum priorem hujus domus nostræ. Præfuit autem circiter annum unum; et post absolutionem sui prioratus remansit nobiscum, factusque supprior post aliquot annos in senectute bona quievit in Domino, anno 1451.* — " " *Nonus Prælatus. Sextus Prior : frater Joannes Pistoris, alias de Holair. Hic præfuit circiter annos decem in domo propria; sed prius prior electus est in Bethleem, et permansit circiter annis septem. Deinde electus est in domo propria. Post absolutionem autem ejus factus est prior et electus in Septemfontibus; sed infra annum propter senium absolutus est.* " Successit ergo Joannes de Holare Wilhelmo de Amsterdam, anno 1421, post septem annos prioratus Bethleemitici : unde consequitur hunc prioratum cœpisse anno 1414. Liber igitur Pomerii absolutus fuit intra annos 1414 et 1421.

Libri titulus est, quem supra indicavimus : De origine monasterii Viridisvallis et de gestis patrum et fratrum in primordiali fervore ibidem degentium. Cujus libri ordo ac divisio hæc est : Pars prima per 21 capitula Origines monasterii Viridisvallis enarrat; pars secunda vitam ac mores Joannis Rusbrochii describit per 35 capitula; pars tandem tertia agit de Johanne de Leeuwis (2), primo Coquo ejusdem monasterii.

Pomerii opusculo, quod tribus hisce libris absolvitur, subjunximus de alio beati Rusbrochii coætaneo lucubrationem hactenus ineditam, quam in eodem codice Bruxellensi, sed scriptam alia manu invenimus. Titulus est : " Planctus venerabilis fratris Willelmi Jordani (3), canonici regularis Viridisvallis, super obitu fratris Johannis de Speculo (4) alias de Cureghem, ejusdem cœnobii devotissimi diaconi. " " Obiit anno Domini M°. CCCLVIII. "

(1) Videsis *Prologum* partis primæ. — (2) Cfr. secunda pag. inferius Elenchum ex " Catalogo Fratrum laicorum sive conversorum. " — (3) Cfr. de eo ibid. Elenchum ex " Catalogo Fratrum clericorum sive choralium. " — (4) Cfr. de eo ibid.

Pauca per decursum subjunctis notis explicabimus. Sunt tamen alia eaque momenti longe maximi in Vita beati Joannis quæ elucidanda sunt. Noluimus ea breviter ac cursim attingere; sed postea hic majori cura ac diligenti studio tractabimus, præsertim quæ ad "Blommardinam" ejusque doctrinam "Liberosque spiritus" pertinent. Quibus de rebus multa diligenter notata nobiscum pro humanitate sua communicavit Cl. Carolus Ruelens, conservandis codicibus mss. in Bibliotheca Regia Bruxellensi præpositus. Tum ea quoque calumnia retractanda erit ac refutanda quam Gersonius, Universitatis Parisiensis Cancellarius, scriptis beati Joannis impegit. Contra quem scripsit Joannes a Sconhovia, Rusbrochii discipulus.

Si quis quærat causam ac rationem edendæ nunc temporis Vitæ Rusbrochii, duplicem illam esse scito. Primo quidem, non sine dolore videbamus hanc Henrici Pomerii scriptionem, e qua tanquam e fonte omnes narrationes de vita beati Joannis fluxerunt, nondum germana atque authentica sua forma in lucem prodiisse, et res gestas beati Joannis e rivulis potius quam ex ipso fonte cognosci: dulcius tamen ex ipso fonte bibuntur aquæ. Deinde quum Illustrissimus Dominus Petrus Lambertus Goossens, archiepiscopus Mechliniensis, hoc tempore instanter agat apud Sanctam Sedem ut cultus publicus atque ecclesiasticus ab immemoriali tempore beato Joanni exhibitus, et qui in ecclesia de *Hoolaert*, qui pagus est prope Viridemvallem (vulgo *Groenendael*) adhuc perseverat, decreto solemni Sanctæ Sedis ratus habeatur atque amplificetur; — qua in causa totus clerus secularis atque regularis urbis Bruxellarum ac territorii ejus procuratorem suum elegit, qui suo nomine negotium illud prosequatur, — non abs re judicavimus originalem hanc beati Joannes Rusbrochii historiam edere, ut tantus vir quasi propria facie a suis Belgis cognoscatur.

ELENCHUS PRÆCIPUORUM VIRORUM

QUORUM IN HAC EDITIONE MENTIO FIT,

JUXTA ORDINEM INGRESSUS SUI IN MONASTERIUM VIRIDIS VALLIS.

I. *Ex " Catalogo fratrum clericorum sive choralium " qui pars est* NECROLOGII VIRIDIVALLENSIS *(fol. 14 seqq.) :*

1. Primus. Dominus et magister Franco de Frigido monte, licentiatus in artibus, ac primus canonicus ecclesiæ B. Gudilæ Bruxellensis. Primus præpositus hujus monasterii. — Habemus ab eo et per eum circiter .c. florenos perpetuos. († 1386)

2. Dominus Johannes de Ruysbroeck, presbyter et capellanus beneficiatus dictæ ecclesiæ, hujusque nostri monasterii primus prior. — Habemus ab eo VII libras P[arisienses] *ende* x *cap[uynen ?] erflic. (Et additur hæc nota alia manu :)* Perditum est post guerras. († 1381)

. . . .

5. Johannes de Cureghem, de Bruxella, clericus. Habemus ab eo circiter VI florenos perpetuos. († 1358)

. . . .

7. Dominus Reynerus de Valle, decanus et canonicus, de Breda. Habemus ab eo III libras, II florenos Parisienses perpetue.

. . . .

11. Magister Wilhelmus Jordani, de Bruxella. Clericus sollempnis. Habemus per eum *1 ouden scilt perpetue te Hemleberge.* († 1372)

. . . .

26. Magister Johannes Theodrici de Scoenhovia. clericus et magister in artibus. († 1431)

27. Johannes, dictus Pistoris de Holaer, clericus. Habemus ab eo unum saccum siliginis mensuræ Bruxellensis perpetue. († 1431)

. . . .

61. Magister Henricus de Pomerio, de Bruxella, magister in artibus. Rector scholarum primo Bruxell[æ], post Lovanii. Demum secretarius juratus opidi Lovaniensis prædicti. († 1469)

. . . .

121. Dominus Johannes Jonchere de Furnis, presbyter et magister in artibus. († 1509)

II. *Ex " Catalogo fratrum laicorum sive conversorum " in eodem* NECROLOGIO *(fol. 26) :*

1. Primus...

2. Johannes, dictus de Leuwe, de Haffliginio, primus coquus hujus monasterii. († 1377)

DE ORIGINE
MONASTERII VIRIDISVALLIS
ET DE GESTIS PATRUM ET FRATRUM
in primordiali fervore ibidem degentium[1].

[PARS PRIMA.]

Liber primus sive tractatus
DE ORIGINE MONASTERII VIRIDISVALLIS
et personis ipsum quondam primo inhabitantibus et instituentibus[2].

Sequitur prologus.

Quamvis nonnullis Sanctorum veterum exempla sufficiant, quos nimirum pro singulari suæ conversationis eminentia mater Ecclesia canonizavit, tamen, quia devotis mentibus nova sanctorum singularitas frequenter est carbo desolatorius (1) signumque positum ad sagittam (2), hujus rei gratia, licet hinc inde impulsus graviter, humilitate nimirum dissuadente ob mei ingenii paupertatem, caritate vero, quæ omnia audet, vehementer pulsante in contrarium, tandem victus obedientia, huic opusculo manum apposui, eo liben-

[1] *Deficientibus rubricis ante voces* Sequitur prologus, *hic titulus desumptus est ex nota quæ manu seculi XV, diversa ab ea quæ codicem descripsit, apposita est ad finem tertiæ partis totius libelli.* — [2] *hic titulus desumptus est ex rubrica posita in fine hujus primæ partis.*

(1) Ps. cxix. — (2) Thren. iii, 12.

tius, quo securius idipsum (quippe non motu proprio, sed superioris mei jubentis arbitrio) sum aggressus. In hoc enim caritati semper concordat virtus humilitas, ut mens humilis etiam in factis magnis et arduis secure obediat præceptori. Cujus typum apostolus Petrus pulchre significat, cum dicenti Domino : *Duc in altum*, statim obediens ei respondit : *Præceptor, in nomine tuo laxabo rete.*

Et ego, minimus frater Viridis Vallis [1], in nomine Jesu gesta gestiens reserare devotorum in Christo famulorum, qui, non multis peractis temporibus, in Viridivalle sub vita monastica feliciter Domino militarunt, vobis in Bethleem (1) dilectis fratribus, immo vobiscum cunctis fidelibus, præcipue tamen nostri Ordinis, Canonicis scilicet regularibus, qui in novissimis his temporibus, in novitate spiritus reformati, sub unius capituli observantiis rigorem Ordinis observatis, vobis, inquam, laxabo retia, vitam pariter et originem ipsorum et nostri monasterii, cujus estis gratissimi filii (2), sub hoc inculto et humili stilo fideli titulo descripturus.

Unde vestras in Domino Jesu peto humiliter fraternitates, ut, quamvis teste patre nostro Augustino non auctoritate veritas, sed veritate auctoritas fulciatur, hoc tamen amplius vestram moveat credulitatem, quod ea quæ scribo relatione didici tam credibilium personarum, fratris Johannis videlicet de Holare (3), vestri prioris venerabilis,

[1] *ita hic nomen scriptum est ; sed mox aliter cum una littera majuscula, licet duabus vocibus :* Viridis vallis, *vel etiam unico vocabulo* Viridisvallis. *Nos hoc ultimo modo scribemus, quia fere ubique occurrit in codice.*

(1) De primordiis prioratus cui nomen " Bethleem, " apud Lovanium erecti anno 1407, cfr. J. G. R. Acquoy, *Het klooster te Windesheim en zijn invloed,* tom. III (Ultrajecti 1880), p. 56 sqq. — (2) Aggregaverat se prioratus Domus B. Mariæ in Bethleem Capitulo Viridivallensi anno 1410, 5ª maii (Videsis Acquoy, tom. modo cit., p. 57). — (3) In Necrologio supra in præfatione citato, hæc hujus sancti viri fit mentio, ad xvii Kl. Aprilis : " *Obiit venerabilis frater Johannes de Holare, alias Pistoris, anno 1431 secundum stilum curiæ Cameracensis* (annum incipientis a Paschate). *Hic ad tempus prior in Bethleem prope Lovanium, ubi novam construxit ecclesiam, tandem* x *annis fuit prior hujus ecclesiæ. Ultimo vero prior Septemfontis, ibidem breviter absolutus* (sic) *professionis suæ anno* xlviii°, *hic sepelitur. Qui plura fecit ædificia ; vir exemplaris et miri rigoris in corporalibus.* "

et fratris Johannis de Scoenhovia (1), confratrum nostri monasterii, qui hæc eadem se vidisse vel relatione veridica audivisse palam et publice protestantur.

Ordo et divisio præsentis libri.

Aggrediens igitur Deo duce cœptum propositum : ut eo compendiosius singula per ordinem describantur, primo duxi devotam nostri monasterii Viridisvallis originem describere, una cum personarum circumstantiis, quæ ibidem sub Dei militia victitantes locum primitus instituerunt.

Deinceps ad vitam et mores laudabiles devotissimi in Christo JOHANNIS RUUSBROECS, primi prioris Viridisvallis, pro cujus amore et reverentia principaliter cœpi præsens opusculum, ad Dei gloriam et ejus memoriam intendo aliquantulum immorari.

Tandem vero de Coquo[1] ejusdem monasterii, dicto vulgariter Johannes de Leuwis, aliisque suis contemporaneis ac eorum successoribus sic parum scriptitans terminabo, ut memoriæ pauca e pluribus commendentur et nihilominus lectores benivoli reddantur dociles et attenti.

Quamobrem etiam capitulorum nomina seriatim in suis passibus prænotabo.

Capitulum I. De quodam generoso Johanne, oriundo de sanguine ducis Brabantiæ, qui primo locum Viridisvallis, situm in Zonia, inhabitavit.

I QUATER ET MILLE TER C, TUNC FLORUIT ILLE
QUI VIRIDEMVALLEM FUNDAVIT, AD ÆTHERA CALLEM.

Anno enim Domini prædicto vir quidam clarus et nobilis

[1] *ita hic scribitur et mox iterum; alias passim* cocus, coci.

(1) In Necrologio jam sæpe citato, ita ad XI Kal. Feb.: " *Item anno 1431* (secundum stilum curiæ Cameracensis) *obiit devotus frater Johannes de Scoenhovia, anno suæ professionis* LIIII°. *Qui inter plura devota opuscula etiam scripsit excellentem epistolam de unione animæ cum Deo ad cancellarium Parisiensem. Hic tam fervens et sedulus extitit in divino officio, ut, quamvis multis annis in tantum pateretur caninum appetitum quod crebro in cella et in choro comedere cogeretur, tamen vix unquam a choro vel a sacrificio missæ abstineret.*

genere, de sanguine ducis Brabantiæ oriundus, viguit in partibus Brabantinis. Huic nomen non sine merito *Johannes* dicitur extitisse: quippe qui, mundi spretis illecebris, ut alter Johannes eremum incoluit. Unde et Dei providentia cognomen sibi æque conveniens *de Busco* dicitur attributum. Hic enim cum aliquamdiu, ut moris est nobilium, vitam curialiter actitasset, tandem compunctus, seculi fastum mente fastidiens, in nemore quodam dicto *Zonia,* distante ab oppido Bruxellensi duobus fere milliaribus, vallem arboribus undique consitam et plus ferinis quam humanis usibus frequentatam, latere cupiens præelegit, ut, ubi venando curiosis deliciis tempus expendit minus utiliter, ibidem lacrimando pro suis vitiis sese viriliter emendaret. Quod sane attendens illustrissimus princeps, ejusdem nominis dux Brabantiæ, suoque proposito se favorabilem exhibere cupiens, Dei famulo liberaliter annuit quod in dicta valle sibi construeret domicilium, fossatis undique circumseptum, in quo, cum planitie et horto juxta positis, secure Domino deserviret. Quem quidem locum a tunc deinceps ob favorem dicti sui consanguinei, primi incolæ Viridisvallis, omnibus in posterum successoribus, divinæ pietatis intuitu, patentibus in perpetuum litteris liberaliter assignavit (1).

Capitulum II. Quam proprie locus dicitur Viridisvallis.

Factum est itaque ut ait apostolus : *Gratia Dei sum id quod sum.* Johannes enim qui “ Gratia Dei „ dicitur, in valle merito collocatur, sicut scriptum est : *Humilibus Deus dat gratiam.* Unde tam active quam passive Johannes hanc vallem primo instituit, in qua ubertim in medio montium divina pietas gratiam germinavit. Abundans enim hæc vallis

(1) “ Nos Joannes... Joanni de Buscho eremitæ domum nostram sitam in nostro nemore Zoniæ in loco dicto *Groenendael**, et fossatum quod hactenus de licentia nostra ibidem fecit, cum spatio intra fossatum dictum contento, tenendam quamdiu vixerit conferimus. Ita ut, si eum alibi transferri vel mori contingat, ex tunc in posterum alter religiosus ad serviendum ibi Deo perpetuis temporibus morabitur. — Datum die Veneris post Assumptionem Virginis Mariæ 1304 (Miræus, *Opera diplomatica,* I, 779).

* gallice *Vauvert.*

frumento, gratiam pro gratia sibi accumulans, Johannem duplicem sed magis fertilem sibi meruit successorem. Hi sunt Prior et coquus ejus : uterque Johannes, viri spectabiles, quorum in valle nostra Viridi taliter effloruit odor mirabilis, quod revera ex eis redoleat David sanctissimi prophetia : *Inter medium*, inquit, *montium pertransibunt aquæ.* Et quæ aquæ ? Nisi sapientiæ divinæ, quas uterque tam copiose exhibuit, ut nemo dubitet eos hausisse de illo flumine quod qui gustaverit, de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Quicumque enim doctrinam illorum clare et limpide sano palato gustare poterit, procul dubio experietur quoniam gratia Dei eos repleverit nec in aliquo eorum fuerit vacua.

Quæ quidem ut nobis, eorum posteris, quoad vivimus illæsa maneat, JOHANNEM ELEGIMUS IN PATRONUM, ut, quod minus ex nobis sufficimus, patroni et patrum suffulti præsidiis, singuli concludere valeamus : *Et gratia ejus semper in me manet.*

Capitulum III. De Arnoldo quodam eremita, successore præfati Johannis.

Sed ne digressionis [1] quælibet occasio cœptum jam ordinem intercipiat, quamvis loco loci proprietas congrue decenterque conveniat, utpote dicatur Viridisvallis, qua viri valentes viguerunt, libet idipsum in speciali magis luculenter ostendere quam verbis aerem verberare. Nempe, si deinceps lector sedulus diligenter inspiciat quæ scribuntur, clare ex gestis virorum illustrium qui in hac valle Domino florentes odorem dedere spirantissimum, idipsum facillime comprehendet. Huic enim primordiali incolæ Johanni, cujus supra memini, successit genere quidem humilior, sed non inferior sanctitate, *Arnoldus* quidam, vir vitæ mirabilis, de oppido Diestensi (1) oriundus. Qui in eodem loco viginti annis vitam

[1] *cod.* disgressionis.

(1) Diesthemium, in Brabantia, vulgo *Diest.*

ducens solitariam, strenue Domino serviebat, tanto devotior in Dei obsequio, quanto sepositus ab hominum frequentia a seculo manserat alienus. Ingrediens enim Viridemvallem, votum vovit, quod et reddidit, nunquam se postea exiturum, nisi fortassis festivis diebus ecclesiam suam parochialem sancti Clementis in villa de Holare communionis gratia visitaret.

Capitulum IV. De quotidiano exercitio dicti Arnoldi.

Cujus Arnoldi in dicto nemore talis extitit conversatio quotidianique laboris exercitium, quod hupulam [1] et arborum plantas excolere aliaque hujusmodi terrænascentia ex more consuevit frequentare. Quorum proventu statuto tempore, ad instar Patrum antiquorum in eremis Ægyptiacis residentium, sobrium sibi naturæ sustentaculum, contentus modico, procuravit. Nam cum in nemore supradicto latum sibi pascendis gregibus haberet spatium, unam vaccam dumtaxat tenuit, ut ejus lacte non tam ipse quam amici et hospites eum visitantes reficerentur. Aliis nempe largus et providus, sibi in tantum parcus et rigidus fuisse dicitur, ut cibis asperrimis vesceretur. Cui potus non vinum et sicera, sed aqua frequenter, interdum cervisia [2], quam de micis et crustis muscidis aliove pane inveterato satis tenuem braxabat. Vestes itidem et alia commodo corporis pertinentia, viles et horridas, pauper et humilis Christi discipulus, sui incurius, portare solebat. Memor profecto illius doctrinæ apostolicæ : *Curam carnis ne perfeceritis in desideriis*. Et alibi : *Habentes victum et vestitum, his contenti sumus* [3].

Capitulum V. De revelatione sibi facta in Viridivalle de situ et dispositione Romanæ urbis.

Sed quid moror in corporalibus, et non potius internæ suspensionis in Deum explicem mirabile exercitium, quo

[1] *ita cod. pro usitato* hupa, *seu* lupulus (gallice *houblon*). — [2] *cod.* servisia. — [3] *sic.*

tam frequenter arcana petiit, ut præter humanam consuetudinem modis miris et ineffabilibus mereretur divinitus consolari? In tantum ut modo quodam prophetico absentia tanquam præsentia discernere, et invisa quasi ocularitER cognita sciret personis sibi familiaribus interdum veraciter indicare. Contigit enim quodam tempore ut sedens in cella solitarius de Romanæ urbis excellentia, ubi nimirum tot et tanta devota sanctorum fuere certamina, intentissime cogitaret. Cumque talia devote revolvens urbi Romanæ interno intuitu magis magisque afficeretur, factum est statim ex insperato ut non solum loca martyrum, non etiam urbis tam spatiosæ cuncta lustraret digna videri diverticula, verum etiam iter medium tam perspicaci videret intuitu, ut ipsum melius et distinctius cum suis passagiis referre posset[1] audire volentibus, quam qui ibidem pluribus vicibus in persona propria extiterunt.

Capitulum VI. De ejus obitu et quomodo prædixit Viridemvallem esse futurum monasterium.

Hoc sane confirmat ejus obitus, in quo, jam imminente mortis articulo jamjamque præscius futurorum, personas circa corporis sui custodiam attente sollicitas satis reddidit stupefactas. Cum enim ab eo sciscitarentur quem sepulturæ suæ locum eligeret, fertur taliter respondisse : *Hic in meo reclusorio involutum hoc vile et mortale corpusculum manipulo straminis sepelite.* Cumque illi, mysterii nescii, sibi dicerent : *Frater Arnolde, an ignoratis quia locus iste nondum ad hoc est consecratus?* Ille respondit, ut melius potuit : *Locus iste, fratres carissimi, futurus in brevi est monasterium, in quo viri Deo devoti et religiosi, vita et moribus exemplares, Domino fideliter ministrabunt, in fecundam sanctæ religionis germinationem.* Quibus auditis plurimum gavisi, statim illi, eo defuncto, affectum magis quam effectum piæ petitionis cum magna discretione perpendentes, juxta fidelium consuetudinem

[1] *cod.* possit.

corpus ut petiit involutum fasciculo de straminibus ad ecclesiam suam parochialem de Holare cum magna devotione detulerunt : quod ibidem ante altare beati Nicolai devotis exequiis sepelierunt.

Capitulum VII. De Lamberto, tertio eremita Viridisvallis, successore dicti Arnoldi.

Erat quidam *Lambertus* nomine, hujus Arnoldi contemporaneus, qui statim post obitum viri Dei, videns locum Viridisvallis devotioni habilem, tanti patris se fecit humilem successorem. Hic, dum gratia uberioris meriti omnia propter amorem Domini Jesu, seculum fugiens, reliquisset, nec hoc sibi sufficere voluit : quin etiam, Christiformior esse desiderans, extremam voverat paupertatem, quæ nec in communi nec in proprio quidquam possessionis sibi vendicat. Is igitur, omnem sollicitudinem suam in Eum projiciens cui est cura de hominibus, qui volucres pascit et vestit lilia, extra communem hominum frequentiam in vasta latitans solitudine, magna pœnitentia et abstinentia mortale corpusculum domitavit. De hoc tamen devoto Dei famulo, quamvis credibile sit piæ menti ipsum in talibus exercitiis magnum fuisse coram Domino, nihil singulariter ad præsens asserui, præcipue cum Patres nostri venerabiles, quorum scribendo præsens opusculum appodio dumtaxat, et non meis, relationibus, nihil singularis eminentiæ mihi retulerint de eodem. Nec mirum, pauco enim annorum spatio mansit in loco Viridisvallis [1]. A quo non motu levitatis, sed consilio creditur caritatis, humilibus humiliter locum cedens, ad aliud se reclusorium prope Bruxellam, vocabulo *Botendale* (1), transtulisse.

[1] *hic scribitur in cod.* Viridis Vallis, *duabus litteris majusculis.*

(1) Situs est locus in pago *Uccle* haud longe ab ecclesia parochiali, juxta stratam dictam *Avenue Brugman*, euntique Bruxellas jacet dextrorsum. Quo loco, ait Sanderus (de suo tempore loquens), nunc exstat insigne Franciscanorum quos Recolletas vocant, monasterium (*Chorographia sacra Brabantiæ*, tom. II, p. 17). De primordiis hujus cœnobii cfr. Wadding, ad annum 1458 (*Annales Minorum*, tom. XIII, p. 79, num. XL).

Capitulum VIII. De conversione Domini Johannis Gerelmi, canonici Bruxellensis, qui primordialis fuit causa monasterii Viridisvallis.

Hoc in tempore vir quidam egregius in oppido floruit Bruxellensi. Qui, cum esset insignis genere, honore præcipuus, dives possessione, præter proprium patrimonium bonis etiam Ecclesiæ fruebatur. Erat enim major canonicus Beatæ Gudilæ Bruxellensis. Cui nomen *Johannes Gerelmi* (1) dictum, divina providentia, ut res nomini, et vallis gratiæ, decenter aptissimeque congrueret. Is itaque cum per aliquot annos vitam seculariter actitasset, contigit ut die quadam, disponente divina clementia, audiret vocem dicentem sibi : *Vade cito ad ecclesiam, ubi invenies prædicatorem cujus sermone compungeris et in viam salutis dirigeris.* Confestim igitur ille progrediens et sicut audivit ita inveniens, cum magno devotionis studio cœpit [1] verbis intendere sermocinantis. Qui cum in primo sermonis exordio nec verbis seriem nec sensu maneriem posset attingere, illico in viri hujus præsentia tanto perfusus est verbi munere quod de tam ignito Dei eloquio omnes qui aderant mirarentur. Videns igitur prædicator quod sibi acciderat, et non sibi sed divinæ potius dispensationi tam inopinatum adscribens miraculum, in fine sermonis cunctis audientibus ita dixit : *Puto quod hæc quam audistis sermonis mei exuberantia, facta sit propter quempiam vestrum, ut ipse in melius emendetur.* Quod audiens canonicus memoratus, tacitus sibi respondit, dicens : *Vera sunt verba quæ dixisti. Ad hoc enim Dei gratia huc me vocavit et mentem tuam verbis mellifluis fecundavit, ut, hoc sermone salubriter informatus, a vanitatibus seculi me averterem et alium vivendi modum mihi assumerem salutarem.*

[1] *add. ex conj.; deest in cod.*

(1) Iste Gerelmus qui dicebatur *Hinckaert*, inde ab anno 1287 inter scabinos Bruxellenses recensetur (Wauters, *Histoire de la ville de Bruxelles*, tom. II, p. 511). — Quæ vero de Joanne, filio ejus, notantur in Necrologio jam sæpe citato, ad diem 18 maii, qui fuit dies emortualis ejus, vide infra, ad Capitulum XIX. Hujus autem familiæ stemma gentilicium qualecumque reperitur in cod. Bibl. Reg. Brux. 18734. Hæc cum aliis ejusdem generis postea a nobis, ut notatum est supra in præfatione, edentur.

Capitulum IX. Quomodo dictus canonicus, statim mutatus in virum alterum, exemplaritate vitæ suæ traxit Dominum Franconem de Frigidomonte, postea præpositum primum Viridisvallis.

Statim igitur expleto sermone domum reversus, vita et moribus cœpit ostendere quod verbum Dei non inter spinas et tribulos, non secus viam nec inter lapides, sed in agro ceciderit fertili, in corde humili et fructuoso, juxta quod scriptum est : *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Vir enim devotus et venerabilis, vocis non immemor Salvatoris : *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* omni custodia servans cor suum, studuit mores seculares abjicere; et, quasi indutus novum hominem, omnibus se præbuit exemplarem. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui [1] vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, qui plantantibus et rigantibus manum porrigit adjutricem. Cum enim multi ejusdem ecclesiæ concanonici et presbyteri per suæ conversationis honestatem, alii moti verecundia, alii vero inducti exemplo et pœnitentia, strenue ad Dominum se converterent, erat tamen vir unus præcipuus, nomine *Franco de Frigidomonte* (1), famosus clericus, magister in artibus et ejusdem ecclesiæ minor canonicus, dives proprio patrimonio magnæque reputationis et famæ in populo. Qui cum naturaliter esset vir prudens, honestæ vitæ et bonæ conscientiæ, statim videns Dei gratiam in hoc canonico dietenus crescere, familiarem secum studuit habere conversationem. Ita ut tandem, in eodem domicilio habitantes, et in communi de suis possessionibus victitarunt et, quasi sequi incipientes apostolorum beata vestigia, quidquid ultra sobrium victum et vestitum eis supererat, liberaliter pauperibus erogarunt.

[1] *cod.* quæ, *et mox iterum.*

(1) In Necrologio legitur de eo ad diem v Idus Julii : " *Anno Domini* MCCCLXXXVI *obiit venerabilis pater Dominus Franco de Frigido monte, primus præpositus et fundator hujus monasterii. Quanta eum gratia Deus munierit, hoc conjici potest indicio, cum nec episcopus Cameracensis nec Dominus Johannes dux Brabantiæ neque etiam villa Bruxellensis ejusdem non muniti concilio* (sic) *ne minimum quid attentare præsumerent. Salvique a vulgo conclamantur quorum ipse testamentorum executiones vel causas assumere vel fovere aliquatenus volebat.* "

Capitulum X. Quomodo Dominus JOHANNES DE RUUSBROEC, postea primus prior Viridisvallis, cum eis stetit et profecit, adhuc presbyter secularis.

Mansit tunc temporis (1) cum eodem canonico juvenis miræ devotionis, nomine JOHANNES RUUSBROEC, postea primus prior Viridisvallis. Quem tam pro generis affinitate quam vitæ et morum probitate dictus canonicus, effectum vicarium ejusdem ecclesiæ Sanctæ Gudilæ, etiam ad sacros promovit ordines. De quo cum sermo sit posterius, hoc unum sufficit hic dixisse quod, cum scholas [1] tam modico frequentasset tempore ut vix communia grammaticorum principia didicisset, tanto est rore divini spiraminis tantaque mentis perspicacia perfusus, quod, super humanæ facultatis consuetudinem, non jam logicorum fallacias, non philosophorum vanas industrias, verum etiam theologorum transcenderet alta spectacula. In tantum ut adhuc presbyter in seculo tam sublimes divinæ sapientiæ radios attingeret, quod nemo dubitet in eo divinitus beati Johannis impleta testimonia: *Unctio docebit vos de omnibus*. Fateri idipsum cogor et fateor quoniam, qui dudum inani philosophiæ dedi operam, nec quidem ad medium toto conamine possum ascendere quo idem facillime pervolavit, non plane acquisita per suam industriam litterali scientia, sed potius revelatione divina, sicut in suis codicibus est perpendere, quos non compto latinitatis eloquio sed materno idiomate scriptitavit (2).

[1] *add. ex conj.; deest in cod.*

(1) Postquam Franco *de Coudenberg* (de Frigidomonte) societatem inierat cum Joanne Hinckaert, ut modo dictum. Legitur autem B. Joannes Rusbrochius adventasse ad D. Hinckaert ætatis suæ anno fere undecimo (cfr. infra, Vitæ capit. II). — (2) Huic asserto contradicere videtur epistola latino sermone conscripta quæ B. Joannis libris De ornatu spiritualium nuptiarum præfixa legitur in cod. Bibl. Regiæ Bruxellensis, n. 4935-43, fol. 59r, in qua affirmat se libros hos latine vertisse in gratiam eorum qui flandrice non intelligunt. Quomodo hæc componuntur? En clavum. In eodem codice (fol. 170r verso) leges in Epistola apologetica Joannis Sconhovii: “ *Sed quidam ejusdem monasterii, vir valde ingeniosus et litteratus, postmodum ob profectum omnium nationum quosdam librorum suorum latino sermone transferre in persona ipsius curavit.* „ Hæc ibi Sconhovius, qui magistri sui scripta ac labores optime noverat, et eodem folio affirmat Rusbrochium flandrice seu teutonice scripsisse.

Capitulum XI. De exemplari conversatione suæ familiæ, et quam rigidam vitam duxit ancilla eis in seculo serviens.

His igitur tribus, perfecto ternario, uno eodemque fervore spiritus ducentibus feliciter dies suos, quantum profecerint in via Domini, in qua alius sic, alius sic ambulabat, non tam ex eorum conversatione laudabili, quam suæ familiæ devotione mirabili est pensandum. Ministros enim in exterioribus eis servientes exemplariter instituerunt, et in cunctis timere Dominum ejusque servare semper præcepta diligenti studio docuerunt. Unde contigit quod, cum inter ceteros mulier quædam abjecta et humilis eis aliquamdiu servivisset, tanto humilitatis edocta est spiritu, ut pene omnes qui eam agnoscerent vitæ suæ modum insolitum mirarentur. Habebat enim pro consuetudine una dumtaxat veste indui, tam in æstate quam in hieme. At ubi interdum rigor frigoris corpus invaserat, ut assolet humanæ necessitati, non se leni quovis texit cooperculo, sed in latæ amplitudinis tunicam nunc fœnum, nunc stramina aliave corporis afflictiva inferens, rigorem rigore vincere nitebatur, impleto Scripturæ testimonio : *Quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Capitulum XII. Quomodo eadem devota Christi famula vexari solebat a dæmonio.

Mulierem fortem quis inveniet? An non ista pauper et humilis Christi pedissequa fortis veraciter dici meruit, quæ non jam dico mundi hujus sapientiæ, immo et principi novit illudere tenebrarum? Sed dicis : Quomodo? Audi. Ipsa enim, cum sedula esset et fidelis in obsequio dictorum virorum, nec ex hoc minus erat sollicita in suæ humilitatis exercitio. Quam ob causam tantæ humilitatis pariter et fidelitatis pessimus æmulator, inimicum dico humani generis, nunc clam, nunc palam ei insidians, multis eam vexationibus infestavit. Ita ut frequenter nunc dormienti, nunc vigilanti, tetras etiam sibi imagines anteponeret, ut vel sic interdum territa vinceretur. Sed Dei famula, confidens in Domino, qui non

derelinquit sperantes in se, in tantum facta est suæ infestationis incuria, ut quasi intrepida suas fallacias confutaret, sicut aperte dicti viri quadam vice referunt contigisse: quod, cum more solito ipsa in cibis coquendis pro Dei famulis esset sollicita, visus est dæmon in specie teterrimæ simiæ [1] suis humeris insidere. Quod ubi palam factum est, statim illa, tanquam suæ infestationis solita parum curans et imperterrita, aliis stupentibus eum abjecit, et sibi incumbens coquinæ officium consueta sollicitudine perpetravit. Quo facto liquide patet, quamvis de aliis non sit memoria, quam devoti fuerint ministri qui eis adhuc in seculo residentibus servierunt.

Capitulum XIII. Quomodo dicentibus eis horas canonicas, frequenter in ecclesia turbabantur.

Sed ne de fonte ad rivos videar plus debito defluxisse, libet parumper adhuc de dictorum virorum laudabili in seculo conversatione paululum aliquid enarrare. Qui cum essent invicem caritate fervidi, Deo devoti et proximis exemplares, quotidie singuli devotissime, secundum differentias suorum graduum, in dicta ecclesia Sanctæ Gudilæ, psalmis et hymnis Domino servientes, omni vigilantia horas canonicas solvere divinisque alacriter interesse satagebant. Verum, cum præter alias in eadem ecclesia fieri solitas capellanorum inquietudines ac secularium strepitus et rumores, capellanus quidam, nomine Godefridus Kerreken, eos sæpissime in suis exercitiis perturbaret (habuit nimirum idem ipse vocem tubalem, rudem et dissonam), ipsi frequenter lecta relegere aut seorsum horas suas in privato dicere, cogente conscientia, sunt compulsi. Unde tandem victi tædio, cœperunt pro salutari remedio invicem cogitare.

Capitulum XIV. Quomodo consilio Domini Franconis proposuerunt mutare statum suum.

Factum est igitur tempore memorati Lamberti ut, his

[1] *cod.* symee.

pulsatus frequenter molestiis Dominus Franco de Frigidomonte, itemque compatiens tantis angariis suorum in Christo consodalium, semel, divinitus inspiratus, præfato Domino Johanni Gerelmi, quem tanquam patrem venerabatur, his verbis humiliter loqueretur : *Mi pater dilectissime et domine, quoniam devotioni nostræ nequimus ad plenum satisfacere, quamdiu fuerimus in hoc seculo : ad satisfaciendum nostro proposito unum videretur multum expediens, ut videlicet seorsum a communi hominum frequentia locum eligamus solitarium, in quo libere et absque scrupulo, juxta ordinis dignitatem, horas quiete solvere, devotioni vacare et conscientiis nostris juxta votorum exigentiam possimus fideliter providere.* Quod dictus canonicus, quamvis principaliter divino incumbens adjutorio, ideo tamen libentius annuit, quia idipsum tam propter illius assistentiam quam etiam propter naturalem industriam quam in eo experiebatur, ac etiam præcipuam familiaritatem quam idem Dominus Franco habuit cum duce et nobilibus Brabantiæ, commodius fieri non dubitavit.

Capitulum XV. Quomodo venerunt ad Viridemvallem et de erectione primæ capellæ.

Quid moror? Votis vota succedunt prospere, et, cum de loco proponitur quæstio, jam renovat Spiritus antiqua oracula. Fitque ut secundum piæ recordationis fratris Arnoldi, de quo supra paulo memini, prophetiam [1] Vallis Viridis eligatur. Placet omnibus, placet et singulis; locus visitatur, a principe facillime impetratur (1). Cedit Lambertus (2), non coactus sed libere, memor nimirum jam dudum prolatæ de futuro cœnobio prophetiæ. Plangit Bruxella et ejus ecclesia, tantæ societatis orbata solatio; gaudet eremus, deserta et invia, in qua novella fit plantatio. Et cum Lambertus, persona laica, propter singularem quam voverat extremæ paupertatis observantiam ad aliud se ferret reclusorium in nemore dicto vulgariter

[1] *vox suppleta ad mentem scriptoris; deest in cod.*

(1) Diplomate dato Bruxellis " feria quarta in festis paschalibus " anno Domini 1343 (Vid. Miræum, tom. cit., p. 781). — (2) Cfr. supra, Capitulum VII.

Botendale (1), præfati viri unanimi proposito concordes et cum multo gaudio cœperunt anno Domini MILLESIMO TRICENTESIMO XLIIII°, agentes viriliter in Viridivalle, de consensu episcopi (2) capellam erigere. Qua erecta mensis martii die XIII[a] in ecclesiam parochialem pro se et suis familiaribus, cœperunt ibidem pariter residentes Domino feliciter deservire.

Quorum tunc sequens contubernium *Johannes* quidam *de Affliginio* (3), postea dictus ex magnæ virtutis et vitæ meritis Bonus coquus Viridisvallis, licet rusticus et illitteratus, spei anchoram figens in Domino vitam cum eis solitariam, quamvis insolitam, attentavit.

Capitulum XVI. Quomodo simul viventes sub habitu seculari Dominum Franconem fecerunt suum superiorem, et de molestiis quas patiebantur.

Præfecto interea Domino Francone ceteris in patrem et curatum, cœpit zizania in agrum Dominicum hostis nequissimus seminare. Et dicentibus aliis quoniam boni sunt, aliis e contra quoniam non sunt, crevit novellæ huic plantationi tempestas valida et vehemens valde. Cum enim annis quinque vel circiter, licet presbyteri, sub habitu tamen seculari ibidem insimul habitassent, facti sunt non solum laicis, verum etiam religiosis et clericis in scandalum pariter et derisum. In tantum ut [1] (ut de ceteris taceam) prior tunc

[1] *vox add. ad sensum ; deest in cod.*

(1) Cfr. notam ibid. — (2) In cod. Bruxellensi II 155, sæpe cit., quem Necrologium Viridivallense vocamus, ita de iisdem rebus refertur (fol. 5v) : " *Cœperunt ergo præfati viri anno Domini* M° CCC° XLIIII° *in Viridivalle de consensu episcopi capellam erigere. Quam quidem ecclesiam sive capellam erectam, vicarii Domini Guidonis, tunc episcopi Cameracensis, eodem anno videlicet 1344, mensis martii die* XIII[a], *censuerunt et concesserunt debere consecrari, necnon cimiterium adjacens, duo altaria et cetera necessaria. Iidemque vicarii eodem anno et die contulerunt Domino Franconi curam fratrum, familiarium et servientium. Præfectusque est eis idem Dominus Franco jam dictus in patrem et curatum. Unde eodem anno, mensis martii die* XVII[a], *venerabilis Dominus frater Mathias, episcopus ecclesiæ Trapesundinæ, ex virtute et licentia prædictorum Domini Guidonis episcopi vicariorum, præfatam primam ecclesiam in honore sancti Jacobi consecravit et erexit in ecclesiam perrochialem pro eodem Domino Francone suisque fratribus ac familiaribus.* " — (3) Hic est " Johannes de Leuwis, " cujus Vitam spondet se daturum auctor supra, paulo post prologum. Hæc Vita tertia pars erit hujusce nostræ editionis.

temporis Sancti Victoris Parisiensis (1), Ordinis canonicorum regularium (cujus super hoc eis missam legi personaliter longam epistolam), de modo vivendi eorum minus solito et nusquam ab Ecclesia approbato eos non modicum reprobaret. Sed et venatores ducis Brabantiæ, locum videntes suis commoditatibus satis habilem, crebro cœperunt ibidem cum suis canibus declinare. Qui, præter expensas quotidianas, tam graves Deo devotis famulis frequenter intulere molestias, ut tunc plerisque Viridisvallis non locus solitariæ devotionis, sed potius nefariæ venationis [1] videretur.

Capitulum XVII. Quomodo propter præmissas causas habitum assumpserunt regularem ; et de erectione monasterii Viridisvallis.

Quod sane perpendens Dominus Franco prædictus, utpote vir prudens et circumspectus, habito prius maturo consilio cum fratribus et amicis, cœpit de remedio cogitare. Quibus concorditer visum est quod talis vivendi eorum modus non possit esse stabilis, nisi habitum alicujus probatæ religionis assumerent, ut sic, bonis suis temporalibus sublatis dominio temporali per debitam amortizationem (2), ipsi plene statutis et libertatibus Ecclesiæ munirentur et stabilirentur. Super quo accersito Reverendo tunc in Christo patre et Domino Petro Andreæ [2], episcopo Cameracensi, cui dictus Dominus Franco admodum extitit familiaris, statim illi placuit consilium, et juxta exhortationem præfati prioris de Sancto Victore assumpto habitu Canonicorum Regularium, quem idem episcopus eis tradidit, curam mutans in præposituram, mensis martii die decima, annis præmissis quinque appositis, sæpe dictum venerabilem Dominum Franconem eis præfecit in præposi-

[1] *sic, forte pro* vexationis. — [2] *add. manu recentiori in spatio prius vacuo relicto.*

(1) Scilicet Petrus e Salicibus (*Gallia Christiana*, tom. VII, p. 683). — (2) I. e. concessionem privilegii quo bona fiunt quod nunc dicitur gallice *biens de mainmorte :* quod olim dabatur omnibus fere possessionibus, tum religiosis tum laicis, quæ in publicam utilitatem cedunt ; at modo, postquam invaluit perturbatio Gallica, in multis regionibus a centum annis laicis fere reservatur. Videsis Du Cange, v° *admortizatio, morticinium.*

tum (1). Cui etiam auctoritate præfati episcopi obedientiam secundum regulam beatissimi Augustini unanimiter profitentes, multis gratiis et privilegiis a memorato episcopo in spiritualibus, ac etiam a [1] tunc temporis duce Brabantiæ, qui sibi eos adoptavit in spirituales dilectos filios, donis temporalibus sunt dotati.

Capitulum XVIII. Quomodo Joannes Gerelmi, non assumens habitum propter debilitatem corporis, perseveravit cum fratribus usque in finem.

Verum cum senio jam affectus vir ille grandævus et venerabilis, prædictus Dominus Johannes Gerelmi, fons et origo hujus venerandi in Christo collegii, habito prius maturo consilio rigorem Ordinis statuerit potius declinare quam in Ordinis detrimentum aut sui nominis denigrationem supra vires aliquid attentare, mansit nihilominus pater cum filiis: et licet habitu exteriori eis difformis atque dissimilis, intus tamen cum fratribus suis florere studuit fervore spiritus infatigabili; ac moribus eorum, quantum vires corporis suffragabantur, in omnibus se studuit conformare. Et, ne desereret Viridemvallem, facto sibi seorsum habitaculo, maluit ibidem cum fratribus suis dies suos ducere in solitudine sub rigore disciplinæ et pœnitentiæ, quam fastu seculi redire ad vomitum et falsis se hujus seculi exponere periculis fugien-

[1] a *add. ad sensum ; deest in cod.*

(1) De eadem re ita in Necrologio Viridivallensi (fol. 5v et 6r) : " *Igitur successu temporis pinguedine spiritus ampliori impinguati et crassiori divini amoris fervore accensi et dilatati, habita licentia a venerabili et reverendo patre Domino Petro, episcopo Cameracensi, quod habitum suscipere et regulam possent profiteri, sancti Augustini episcopi, divina favente gratia Ordinem acceperunt. Itaque idem dictus Dominus* FRANCO DE FRIGIDOMONTE *cum Domino* JOHANNE RUYSBROECK *prædicto accepit habitum regularem in eodem monasterio Viridisvallis anno* M. CCC. XLIX°, *die decima mensis martii, ab eodem Domino Petro, episcopo Cameracensi, jam dicto. Præfecitque die sequenti idem episcopus eumdem venerabilem sæpe dictum Franconem in præpositum. Cui ex auctoritate ejusdem episcopi obedientiam secundum Regulam sancti Augustini ceteri unanimiter profitentes, multis gratiis et privilegiis spiritualibus ab eodem memorato episcopo dotati sunt.* „

dis. Memor enim vir venerabilis quoniam *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit,* clausit in perseverantia canos suos : et, sicut aliis præcedens in seculo fuit causa conversionis, ita primus recedens a seculo eis ostendit viam humanæ conditionis (1).

Capitulum XIX. Quomodo post dicti Domini Johannis Gerelmi obitum Dominus Franco rexit monasterium, et de mirabili ejus longanimitate et mansuetudine.

Quo defuncto et in prima ecclesia venerabiliter sepulto, mansit Dominus Franco præpositus, perseveranter cum fratribus suis degens in loco Viridisvallis. Ubi injuncto sibi prælationis officio tam strenue tamque discrete præfuit, ut fratribus suis ad tam frugem provisionem tam in corpore quam in spiritu omnibusque locum visitantibus ad tantam proficeret ædificationem, quod super paterna ejus diligentia et fratrum suorum devota obedientia fama virtutum mire odorifera totam perflaret patriam adjacentem. Erat nempe cum Martha strenuus in actione, cum Lazaro sedulus in contritione; et quod sibi minus affuit in parte Mariæ, fratres devoti quibus præerat, vacantes internæ contemplationi, sibi non modicum recuperarunt. Et, quod raro solet contingere, quamvis floreret natura et gratia tam coram Deo quam hominibus, ita ut summa in reverentia omnibus, etiam nobilibus patriæ, haberetur, utpote vir prudens, honestus et eloquens : sic tamen fuit modestus et humilis, ut vere se Christi

(1) Dies emortualis ejus ita notatus legitur in Necrologio Viridisvallis ad 18 maii : " *Commemoratio Domini Johannis Gerelmi Henkaerts, presbyteri. Dedit calicem cum signis Dominicæ passionis in pede applicatis. Missale magnum in duobus voluminibus cum uno breviario magno de una et eadem littera et manu. Item adhuc circiter* XII *florenos perpetuos.* " Et adduntur in margine hæc ad vocem " calicem " : " *De isto calice nota signata circa principium Libri de Oneribus.* " Jam vero initio codicis cujus præsens Necrologium pars est, sub rubrica : " *Sequitur Beneficia et Eleemosynæ dandæ per nos tempore generalis expeditionis versus Terram Sanctam, Receptæ per nos ab anno Domini 1340* (sic), " leguntur hæc primo loco : " *Primo Dominus Johannes Henkaert, presbyter, filius quondam Domini Gherelmi dicti Henckaert, militis, dedit nobis unum solemnem calicem in cujus pede septem signa passionis Dominicæ egregio opere sunt aptata, in illum finem quod daretur tempore ante dicto una libra,* " etc.

monstraret discipulum. Qui raro vel nunquam frangi potuit, sed humiliter omnia toleravit. De quo fidem res perhibet non silenda. Cum enim unus e fratribus suis quadam vice emisset coclear quoddam ferreum in usum communitatis, nihil aliud ad manum inveniens idem frater, arripuit sigillum cujusdam bullæ plumbeum ut eo liquefacto soliditas coclearis probaretur. Et quamvis admodum magna necessitas, immo ipsius monasterii grandis utilitas in eadem bulla contineretur, ubi res facta viro pio innotuit, non motus animo gratissime indulsit simplicitati fratris quod verbis non potuit emendari.

Capitulum XX. Quomodo semel idem præpositus, rogans pro scandalo personali ut ipse absque suo demerito possit pro Christo humiliari, mirabiliter tentabatur.

Cumque dietenus in bono proficiens magis magisque humilior fieret, contigit ut corde semel compunctus tantum seipsum vilipenderet, ut, tanquam vindex iniquitatis propriæ, Deum pro scandalo et confusione notabili, absque tamen culpa prævia, cum omni instantia deprecaretur. Unde contigit eum ex improviso tantæ confusionis notam tantæque diffamiæ crimen absque ullo culpæ demerito incurrere, ut ab amicissimo sibi tunc temporis illustri duce Brabantiæ etiam proditionis argueretur. Qua de causa vir Dei, divina permittente clementia, quæ suis electis omnia in bonum novit disponere, tam vehementem cordis incidit in tristitiam, quod ex tunc deinceps fratribus suis expertus consuluit ut communi cursu divinæ permissionis contentarentur, et nemo quacumque etiam ex causa a Deo sibi peteret tentationem. Sed pius et fidelis Dominus, qui suos non permittit tentari supra quam possunt, quin immo dat cum tentatione proventum, statim post eruditionis flagellum ubera præbuit : et prior [1] innocens, licet mundani honoris incurius, tanto extollitur agnita veritate quantum passus fuit immeritus scandali et confusionis.

[1] *intellige* præpositus.

Capitulum XXI. De longa infirmitate quam patienter sustinuit, et de ejus obitu.

Perseverans igitur in bono proposito devotus præpositus cum fratribus suis, conventum studuit augmentare. Et cum jam pene octogenarius gravi infirmitate laboraret, ita ut annis quatuor continue ante diem obitus sui in lecto decumberet paralyticus, fratres tamen, plus commodo proprio quam patris incommodo consulentes, usque in finem dierum suorum eum cum summa ut decuit reverentia in suo officio sustinuerunt. Quod ille cum magna mansuetudine in æquanimi pertulit benivolentia, non recusans laborem corporis, quo fratribus suis obsequium impenderet pietatis et Deo pro modulo facultatis decrepitæ seipsum faceret holocaustum. Obiit(1) autem plenus dierum anno ab Incarnatione Domini millesimo tricentesimo octogesimo sexto, quinto idus mensis julii. Quo defuncto, sepultus est in nova ecclesia (2) primus, cum magnæ solemnitatis devotis exequiis, ut infra latius continetur in depositione devoti Prioris (3), cum quo, sicut in vita unanimis, ita, disponente divina clementia, post mortem meruit esse tam corpore quam spiritu contubernalis.

Explicit liber primus,

sive tractatus de origine monasterii Viridisvallis et personis ipsum quondam primo inhabitantibus et instituentibus.

(1) Cfr. supra, ad Capitulum IX. — (2) De hac ecclesia sic narratur in Necrologio Viridivallensi (fol. 7^r) : " *Exinde autem hæc sancta congregatio crescebat et augmentabatur non minus progressu et profectu omnium virtutum quam numerositate personarum. Unde post aliquot annos, volentes locum monasterii amplificare, novam construxerunt ecclesiam. Quæ cum perfecta esset, Dominus Andreas, episcopus Cameracensis* (qui rexit hanc ecclesiam ab anno 1390 ad 1396), *anno Domini 1395, secunda die octobris, commisit fratri Johanni, episcopo Laudicensi, ut eam consecraret. Quod idem frater Johannes, episcopus Laudicensis, perficiens consecravit et benedixit eeclesiam novam, cum sex altaribus fixis, sine summo altari, cum cerimoniis, eodem videlicet anno 1395, ultima die octobris. Ista namque fuit ecclesia quæ postmodum lamentabiliter incendio fuit concremata cum fere omnibus ædificiis totius monasterii, videlicet anno Domini 1435, ultima die aprilis.* " — (3) Hic " devotus Prior " est ipse B. Joannes Rusbrochius, cujus Vita sequitur.

[PARS SECUNDA.]

Liber secundus, seu

DE VITA ET MIRACULIS

FRATRIS

JOHANNIS RUUSBROEC

devoti et primi prioris Viridisvallis.

Capitulum I. De ejus recommendatione et de miraculo quod sibi contigit jam nato infantulo.

Quis putas erit puer iste ? Puerum dico non ratione infantiæ, sed puritatis et intelligentiæ illum fuisse devotum priorem de quo per ordinem est nobis sermo. Ipse revera est Johannes, vox clamantis in deserto, amicus sponsi, lucerna ardens et lucens, successor ut æstimo Præcursoris. Cui Dominus Jesus Christus quamvis non clausus clauso in utero, quin immo jam regnans tenello infantulo, talem gratiam prærogavit quod, sicut a patribus prædictis (1) didici, ipse, vix puer septem dierum, lavandus in pelvi a nutrice sua, absque sustentationis adminiculo contra humanæ infirmitatis consuetudinem solus subsisteret erectus. Cujus simile fere quid legitur de beatissimo Nicolao. Sed quid hoc tam grande miraculum, quid hæc præludia nobis prænosticant, nisi quod futurus ille erigeret spiritum in divina specula, oculo contemplationis naturam transgrediens modo mirabili, qui supra naturam sic stetit in corpore, infans tam modicus et tantillus ?

(1) Cfr. operis Pomerii Partem I, supra, in prologo et paulo post prologum.

Capitulum II. Quomodo ut alter Johannes matrem fugiens devenit ad Dominum Johannem Gerelmi præfatum, consanguineum suum. Et quomodo mater eum sequebatur.

Hoc etiam non modicum beatissimo Præcursori eum assimilat quod, sicut ille civium turmas fugiens in deserto latuit, ita et iste maternam fugiens sollicitudinem, quæ tenere nimis eum dilexit, cum esset annorum fere undecim, divina disponente clementia, puer juvenis non more communi carnales affectus, verum potius spirituales profectus pro suæ ætatis modulo sectabatur. Unde casu veniens ad domum memorati canonici (1), ille eum gaudenter suscepit et scholis tradidit imbuendum. Quas cum annis circiter quatuor Bruxellæ docilis frequentasset, more beati Benedicti magis divinam sapientiam vita et moribus, quam humanam scientiam vacantem honoribus adamavit. Hic ergo proficiens coram Deo et hominibus, matrem potuit non latere. Quæ ipsum sequens in Bruxellam, cum ejus non posset gaudere optato contubernio, statim accessit ad beghinagium, ut vel ibi crebrius quam in rure filii sui, etsi interpolata, grata tamen sibi præsentia potiretur. Tandem vero profectus filii, famaque sanctæ opinionis perlata quotidie suis auribus, materna plus viscera confortabat, quam si ejus carnali præsentia ad votum fuisset quotidie frequentata. Nec mirum : Spiritus enim sanctus, vinculum amoris veri et casti, ita suorum conglutinat corda fidelium amicorum quod, quamvis localiter separentur, magis tamen omni corporali præsentia affectuosa dulcedine uniantur.

Capitulum III. Quomodo pia mater ejus defuncta frequenter sibi [in] visu apparuit. Et quomodo per ejus primam missam fuerit a purgatorio liberata.

Idipsum probat eventus rei. Nempe defuncta matre sua, ejus quotidie filialem habens in corde memoriam, crebris eam studuit orationibus divinæ pietatis oculis commendare.

(1) De hoc Canonico Joanne Hinckaert, filio Gerelmi Hinckaert, mentio fit primum in parte I, capitulo VIII.

Quæ vice versa, suffragiis indigens, filio frequenter procedens obviam, talia verba dolenter recitans, suæ intercessionis beneficia flagitavit, dicens : *O mi fili dilectissime, quam longa adhuc mora temporis superest quousque efficiaris presbyter!* Quod ille divinæ dispensationis perpendens judicium[1], quanto crebrius sibi taliter occurrebat, tanto ferventius matri suæ devotæ orationis studium cum omni conamine pietatis filialiter impendebat. Quamobrem, ut ipse frequenter postea fratribus retulit, eodem die quo primæ missæ suæ perageret sanctum sacrificium, ipse divinitus audire meruit super matris suæ purgatorio gratam omnino consolationem. Quoniam ipsa personaliter completo officio ipsum visitans, vultu placido gratias agens, sibi certissime indicavit quod per hostiam quam Deo obtulit eam penitus a pœna quam tunc usque in purgatorio sustinuit, liberavit.

Capitulum IV. Quomodo adhuc manens in seculo humilem et abjectam duxit vitam.

Devotus Deo et carus hominibus JOHANNES RUUSBROEC, sic dictus a villa unde natalem traxit originem (1), presbyter adhuc in seculo residens, sic sui ipsius fuit incurius ut pene omnibus suæ conversationis modum ignorantibus miser videretur et despicabilis. Erat enim quietus et tacitus, habitu despectus, sed cultus moribus; et tanquam solitarius per vicos incessit. Quos tanto rarius frequentavit, quanto carius contemplationis quietem quam occupationes forinsecas adamavit. Unde contigit quodam tempore ut mente suspensus in cœlestibus Bruxellæ incederet per plateas. In cujus transitu dum quidam assisterent seculares, simplicitatis suæ modum et habitum attendentes, unus sic ait inter ceteros: *O utinam ego essem tam sanctus sicut presbyter ille ibi transiens!* Cui cum socius sibi assistens responderet: *Ego pro toto auro mundi non*

[1] *in codice Bruxell.* (Bibl. Reg. n. 4380-84) *legitur hoc loco* indicium.

(1) *Ruysbroeck* pagus est non ignobilis, prope Bruxellas, hanc urbem inter et Halam situs, ubi natus est B. Joannes anno 1293.

vellem esse in statu suo, quia tunc nunquam essem lætus : ipse casu hæc verba audiens, sic intra se tacitus respondit : *O quam parum nosti quid dulcedinis illi sentiunt qui Dei spiritum gustaverunt!*

Capitulum V. Quomodo occultam quamdam hæresim et ejus fautricem, dictam vulgariter Bloemardinne, in oppido Bruxellensi famosam, confutavit.

Erat in oppido Bruxellensi eo tempore quo Dei famulus adhuc presbyter mansit in seculo, mulier quædam perversi dogmatis, dicta vulgariter *Bloemardinne*, tantæ famæ et opinionis ut etiam tempore sacræ communionis, quando videlicet ad aram accederet, inter duos gradi seraphim crederetur. Hæc multa scribens de spiritu libertatis et nefandissimo amore venereo, quem et seraphicum appellabat, tanquam inventrix novæ doctrinæ a multis suæ opinionis discipulis venerabatur. Sedebat quippe docens et scribens in sede argentea : quæ quidem sedes, ob suæ opinionis redolentiam, post ejus obitum ducissæ Brabantiæ fuisse dicitur præsentata. Cujus etiam defuncti corporis attactu claudi se putabant posse consequi sanitatem. Huic igitur errori compatiens vir plenus spiritu pietatis, illico perversæ se doctrinæ opposuit ; et quamvis multos haberet æmulos, scuto circumdatus veritatis, scripta fucata et hæretica quæ tanquam divinitus inspirata illa quotannis in fidei nostræ derogationem disseruit, ipse veraciter denudavit. In quo profecto spiritum sapientiæ et fortitudinis sibi ostendit satis imbibitum, non veritus insidias æmulantium, nec fuco deceptus falsorum dogmatum sub consonantia veritatis. Expertus enim do testimonium, quod scripta illa nefandissima taliter fuere prima facie veritatis specie supervestita, quod nemo possit erroris deprehendere seminarium, nisi per Illius gratiam et auxilium qui docet omnem veritatem.

Capitulum VI. Quo tempore ætatis suæ venit in Viridemvallem.

Postquam autem jam sexagenarius multis in seculo per

suæ conversationis eminentiam potioris vitæ fuisset speculum et exemplar, vir tantævus (1) jam dudum in vertice montis positus et radiis divinæ contemplationis mirabiliter illustratus, ita ut etiam in seculo residens codices dictaret anagogicos, sicut inferius declarabitur, studuit nihilominus cum sociis suis in vallem descendere, vallem, inquam, non arentem, sed virentem, non ut lucerna ejus poneretur sub modio, sed lux sua efficacius radiaret humilitatis custodia et exemplo. Venit itaque cum sodalibus suis in Viridemvallem, tanto serenius arcana cœlestia contemplaturus, quanto quietius ab omni strepitu mundanæ turbationis soli Domino vacaturus. Unde et ibidem more aquilæ renovata mentis juventute, cœpit tam clare in æterni solis radios aciem figere intelligentiæ, quod vix homo super terram volatus sui altitudinem suæque contemplationis potest extremam consequi perfectionem. Excedit enim metas humanæ indaginis quod frequenter eructuat in suis codicibus de divinis. Nec potest humanæ rationis facultas, manens infra limites proprios, illuc vel semel se erigere quo ipse novit supra se positus crebro liberrime avolare. Quibus autem ista videntur minus vera aut credibilia, credant, ut videant et intelligant; vitamque ut idem pater consulit habere studeant cum exercitio affectus, si velint consequi tam luminosos radios intellectus.

Capitulum VII. Quomodo a Cancellario Parisiensi scripta sua minus bene intellecta refelluntur. Et quomodo postea idem Cancellarius aliter sensit, et de causa suspicionis suæ.

Hæc ideo propter nonnullos magnæ reputationis viros inserui, quorum præcipue unus extitit, magister Johannes Gerson, gloriosus doctor sacræ paginæ, olim cancellarius Parisiensis. Is enim, cum scripta devoti prioris in libro qui *de Nuptiis* (2) intitulatur, examinasset, nec eum in tertia parte ad intentionem ejus concepisset, dictum librum in eadem parte sibi suspectum de hæresi nuntiavit. Quod sane in tam

(1) Quinquagenarius potius dicendus erat. — (2) Cfr. infra, Capitulum XVII.

famoso viro præsumptioni videretur adscribendum, si hæresim simpliciter diffinivisset. Sed, quia tam multa catholice dicta in decursu ejusdem libri prius viderat, noluit, sapienti fretus consilio, motu levitatis firmiter reprobare quod forte se senserat ignorare. Quin potius, hac suspicione [1] non obstante, dictum priorem propter doctrinæ librorum suorum excellentiam inter scriptores theoricos non solum nominavit, sed scriptis suis publice commendavit. Cui etiam venerabili domino hoc subservit pro excusatione, quod non scripta prioris originalia, sed translata [2] ipse viderat, satis subtiliter compilata. In quibus intentio dicti prioris minus explicata et series verborum sub stilo rhetorico fuit admodum adornata. Quam ob causam, cum cuidam referenti simplicitatem dicti prioris, casu fortuito dictus Cancellarius loqueretur, dixit hoc minus suadibile quod vir rudis et illitteratus talia ederet, cum ibidem in multis passibus sermo poeticus inseratur. Sed ubi veritas sibi innotuit per quamdam epistolam sibi missam per fratrem Johannem de Scoenhovia (1), discipulum ejusdem prioris, eum de cetero in magna, ut dicitur, habuit reverentia. Nec suspicione dignum haberi censuit quidquid divinitus inspiratus in suis prior codicibus scriptitavit.

Capitulum VIII. Quomodo magister Gerardus Groot priorem visitans cum rectore Zwollensi, multum fuit ædificatus in ejus prima notitia et adventu.

Alius equidem non minus famosus magnæ devotionis magister quidam, nomine Gerardus Magni (alias *Groot* vulgari cognomine) (2), fons et origo modernæ devotionis in Bassa Almania inter canonicos regulares, cum de dicti prioris opinione laudabili doctrinaque mirabili comperisset, nisus est eum personaliter cum magno desiderio visitare, ut vel secum

[1] *cod. 4380* opinione. — [2] *prius* translationis; *sed erasæ sunt litteræ* ioni; *cod. 4380* translationis.

(1) Cujus jam mentio fit in prologo Partis I, supra. — (2) Celeber initiator Fratrum vitæ communis, de quo accurate scripsit Acquoy. Videsis op. cit., *Het Klooster te Windesheim en zijn invloed*, tom. I, p. 15 sqq.

oretenus conferens de suæ opinionis tam longe effusa redolentia affectatam haberet experientiam. Assumpto igitur sibi pro socio viro quodam devoto et humili, magistro Johanne Sceele, rectore tunc temporis scholarum Zwollensium (1), simul venerunt in Viridemvallem. Qui dum locum ingredientes casu priorem haberent obviam, ille statim magistrum Gerardum tanquam futurum ejus discipulum, quem solum relatione prius noverat, proprio appellans eum vocabulo, pie devotissimeque recipiens, in monasterium introduxit.

Capitulum IX. Quomodo magister Gerardus Groot ausu familiari priorem admonuit in scriptis. Et quid prior ei respondit.

Manens [1] igitur dictus magister cum socio suo magistro Johanne aliquot diebus in Viridivalle, occurrente sibi quadam sententia contenta in libris devoti prioris, quæ quidem sibi et pluribus aliis a fide dissona videbatur, ausu quodam familiari in præsentia consocii sui, super hoc attonitus, priorem interrogans, aiebat : *Pater prior, satis admiror quod tam profunda audetis scribere, unde plures habetis æmulos et vestræ doctrinæ calumniatores.* At ubi prior mansuetus et humilis hæc verba audivit, ita respondit : *Magister Gerarde, sciatis veraciter quod nunquam verbum in libris meis posui, nisi ex instinctu Spiritus sancti.* Vel, sicut ab uno patrum audivi, hoc modo dicitur respondisse : *Nunquam in libris meis aliquid posui, nisi in præsentia sanctæ Trinitatis.* Quæ quidem verba fratres quidam adhuc superstites asserunt se ab eodem priore vice testamenti in novissimis vitæ suæ temporibus audivisse et recepisse. Et quasi propheta adjiciens ait : *Et vos, magister Gerarde, hanc veritatem, nunc vobis occultam, pauco post tempore intelligetis ; sed socius vester, magister Johannes, nunquam intelliget in hac vita.* Audiens igitur

[1] *ita cod. post corr. ; prius* Patiens.

(1) In provincia *Overijssel,* in Hollandia.

magister Gerardus prioris constantiam, tanti ponderis verba sua cum magna reverentia reputavit, quod extunc deinceps omnia scripta ejus, quamvis prima facie dubia, nihilominus vera fore non dubitavit. Præmissa autem veraciter didici, persona tamen interposita, ab ore ejusdem magistri Johannis.

Caput X. Quomodo magister Gerardus devoto priori voluit incutere timorem de pœnis inferni; sed non potuit.

Cum autem interpolatis vicibus magister Gerardus devotum priorem visitans, semel secum in Viridivalle manere per tempus decrevisset, ut vel saltem lumen veritatis caliganti intellectui propalaret vel numen [1] caritatis æstuanti affectui [2] propinaret, contigit post crebras quas mutuo habuere familiaritates, ut dicto magistro videretur devotum priorem minus quam decuit timore affici. Tanto enim amoris pondere ferebatur ut sibi diceret æque conveniens mori vel vivere pro nomine Christi, immo nec plus gaudia cœli quam pœnas inferni desiderare, nisi pro quanto voluntas Dei talia sibi vellet contingere. Super quibus et similibus verbis dictus magister, timoris aculeo plusquam amoris igniculo saucius, satis admodum mirabatur. Quamobrem, ut homini sic affecto timorem incuteret, cœpit multis Scripturæ auctoritatibus et industriosis assertionibus in quadam collatione priorem arguere super hoc quod tantum [3] præsumeret de divina misericordia, ut nec gehennæ supplicium formidaret. Sed prior hæc verba humiliter sustinens, tanto vehementius amore efferbuit quanto diligentius timorem incutere ille studuit. Qui, facto silentio, respondit dicens: *Magister Gerarde, sciatis pro vero: adhuc nullo timore sollicitor; sed ecce, æquanimiter paratus sum sufferre omnia quæ Dominus de me fieri decreverit, sive ad vitam sive ad mortem. Nihil melius, nihil salubrius, nihil jocundius mihi existimo, nec aliud opto vel desidero quam quod ille me promptum semper inveniat ad suæ arbitrium voluntatis.*

[1] *supra litteram* u *adscripta litterula* o. — [2] (propalaret-affectui) *deest in cod. Brux. 4380-84.* — [3] *in eodem hoc codice* tanta; *in cod. nostro* tanto.

Capitulum XI. De recommendatione obedientiæ et mortuæ in spiritu voluntatis.

O quam perfecta obedientia! quam nobilis voluntas! quam vera caritas! Illa enim de corde puro et fide non ficta novit timorem excludere foris, servilem dico, non filialem. Et quid mirum? Fortis enim ut mors dilectio: tantum portat quantum amat. Novit ergo perfecta caritas omnia æquanimiter tolerare, quæ nec commodum veretur amittere nec ullum subire timet incommodum, nisi quo fervor vel minui possit vel extingui. Quod sane nusquam potest contingere in appetendo illud quod amans amato noverit complacere. Quin potius hoc solo amor pascitur quo amans amato in suo volito conformatur. Quanto autem rationalis creatura propriæ suavitatis commodo afficitur, tanto ab æterno amore miserabiliter elongatur. Quod quia veri amoris æmuli nondum norunt per experientiam, ignoranter arguunt, quod minus sapiunt. Affecti namque proprio commodo, in se retorquent amoris impetum: tantum[1] obinde minus perfecti quantum[2], propria voluntate infecti, bono æterno et incommutabili minus perfecte afficiuntur. Quæ quidem deordinatio, etsi eis videatur dulcis et accommoda, vero amori esset pœna.

Capitulum XII. De consolatione quam semel præstitit cuidam filiæ suæ spirituali per submissionem propriæ voluntatis.

Hoc nempe interdum docet experientia, dum dolor efficitur consolatio: sicut scriptum est: *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quamvis enim probans electos suos Dominus, misericordi dispensatione interdum permittat eis contingere indicibilem mentis amaritudinem, illam tamen vel ita dulcedine ad statim temperat aut longius durantem tam magnifice remunerat ut etiam pœna in partu habita vel nulla penitus

[1] tanto *B. 4380.* — [2] *ibid.* quanto.

videatur vel in comparatione consequentis meriti libenti animo sustineatur ; immo interdum desideratur. Quæ licet expertis sint tantum cognita, tamen unum hic libet interserere quod quodam tempore cuidam devotæ Christi famulæ et ipsius prioris familiari discipulæ dicitur contigisse. Cum enim illa, debilis corpore, gravi etiam cordis amaritudine tanquam derelicta a Domino ingemiscens, instanter petita prioris præsentia, quid agere possit eum humiliter interrogaret, ille respondit : *Quid agere vis, filia mea ?* Cui illa : *Pater, quo Deo magis possem placere. Paupercula enim sum, viribus destituta; nec jam possum succurrendo pauperibus vacare operibus misericordiæ : sed et intra nihil sapio devotionis.* Cumque talia et consimilia multum anxie [1] quereretur, devotus prior ei respondit : *Scito, carissima, quod nullo potius sacrificio Deo placere poteris quam quod suæ voluntatis arbitrio te plene subjicias et ei studeas in cunctis gratias agere cum abdicatione propriæ voluntatis.* In quibus verbis Christi ancilla tam efficaciter est consolata ut ex tunc deinceps omnem defectum non culpabilem, quamvis pœnosum et abominabilem, non tam patienter quam libenter pro Christi gloria sustineret.

Capitulum XIII. Quomodo duobus studentibus Parisiensibus semel respondit quod ipsi essent tam sancti sicut vellent. Et qualiter hoc est intelligendum.

Ex quibus patet quod pax mentis solum debetur hominibus bonæ voluntatis. Quæ quanto perfectior, tanto sanctior. Cujus mensura perfectionis stat in cura subjectionis : ut ille dicatur magis perfectus, qui, per vinculum veri amoris sibi mortuus et dilecto placidus, ei in pluribus est subjectus. Quemadmodum ista devotus prior quadam vice duobus clericis Parisiensibus, curiose ab eo verbum ædificationis postulantibus, fertur breviter insinuasse. Ait enim inter cetera : *Vos estis tam sancti sicut vultis.* Quod illi minus intelligentes scandalizati terga verterunt, et in ejus absentia quid eis re-

[1] anxia *B. 4380.*

sponderit devotus prior, fratribus quibusdam monasterii cum turbato animo retulerunt. Ironicam enim magis carpebant in verbis sententiam, quam piam patris intentionem. Quamobrem memorati fratres, eos ad patrem reducentes, ut dictis clericis mentem suam exponeret ei humiliter supplicarunt. Quibus ille : *Nonne verum est quod dixi, quia tam sancti estis sicut vultis ? Ita plane est. Mensura enim vestræ sanctitatis dependet a bonitate vestræ voluntatis. Cogitate ergo apud vosmetipsos quam bona sit vestra voluntas, et apparebit vobis vestra sanctitas. Tantum enim quisque sanctus est, quantum afficitur bonitati.* Quibus auditis, illi cum magna ædificationis gratia recesserunt.

Capitulum XIV. De modo mirabili quem habuit in dictando libros suos.

Hoc quoque mirum et admirabile quod de eo referunt patres nostri, de modo dictandi suos codices. Habebat enim pro consuetudine ut, dum divinæ illustrationis radio immadesceret, solus incederet in abdita silvæ. Ibique, dictante Spiritu sancto, ea quæ mente sibi occurrebant in tabula cerea scripto commendans, secum solebat ad monasterium rediens apportare. Sicque interpolatis vicibus edidit præfatos suos codices, ut, non obstante mora diutina quandoque plurium hebdomadarum quibus dictandi gratia privabatur, tandem, reversus ad morem pristinum, tam compendiose tamque decenter absque priorum tamen memoria præteritis præsentia continuaret, ac si uno [1] eodemque tempore sine qualibet vicissitudinis interpolatione eosdem codices compilasset. Verum, cum jam gravatus senio viribus inciperet ingravescere, languor tamen corporis splendorem mentis [2] minime potuit obfuscare. Quamobrem ut cœpta possit perficere, assumpsit tandem sibi in socium unum e fratribus monasterii, qui in secum allata tabula arcana scriberet eructanda. Sicque continuando tam altam tamque sublimem utriusque

[1] *cod.* una. *In cod. Brux. 4380* una die eodemque tempore. — [2] *scripta in cod. littera* n *ante vocem* minime.

vitæ contexit materiam, quod nemo dubitet sanæ mentis eum super humanæ facultatis ambitum omnem creaturam transiliendo, more illius aquilæ, Johannis dico evangelistæ, cui consimilis est in nomine, etiam ad contemplationem divinæ essentiæ transformata intelligentia penetrasse.

Capitulum XV. Quomodo semel a quodam fratre visus est sub quadam arbore sedere cum radio ignis mirabiliter circumvestitus.

Non mireris, pie lector, hanc tam sublimem devoti prioris et utinam debitam excellentiam, quam non tam verba merentur extollere mei pauperculi peccatoris, quam scripta illius simul et gesta, magnæ probitatis indicia et honoris, de quibus aliqua subsequuntur. Testantur etenim adhuc vivi quod die quadam devotus prior, cum esset divinitus inspiratus, more solito in silvam properans, locum sibi solitarium, sub quadam arbore residens, vendicaret. Cumque, ut pie credi potest, ibidem gustans divina charismata, pius pater sui oblitus ultra solitum permansisset, fratres, de sui patris prioris absentia vehementer solliciti, cœperunt eum hinc inde quærere. Quem minime inventum in monasterio, extra per vasti nemoris diverticula absentis præsentiam investigarunt. Casu ergo frater quidam, satis sibi familiaris, cum eum diligentissime quæreret, prospiciens a longe, quamdam arborem contuitus est quasi ignis radio de sursum undique circumamictam. Qui silenter propius accedens, virum Dei adhuc semiraptum in magno fervore divinæ dulcedinis sub eadem arbore sedentem invenit. In quo profecto satis ostenditur quanto interius fervore spiritus quantoque splendore ardebat pariter et lucebat, cujus etiam infusa claritas foris resplenduit tam patenter.

Capitulum XVI. De numero et ordine suorum voluminum.

Factus igitur Illius calamus, qui de ventre suorum fidelium aquas eviscerat fontis vitæ, vir Deo devotus et anagogicus

libros egregios, quosdam manens adhuc in seculo, quosdam professus in monasterio, in vitæ poculum cunctis fidelibus liberalissime propinavit. Quorum hic nomina subscribuntur. Primus est qui intitulatur *Regnum Amorosorum* et incipit in nostro idiomate : “ De Heere heeft [1] wederleit. „ — Secundus, qui dicitur *De nuptiis*, incipit : “ Siet de brúdegoem „ etc. — Tertius intitulatur *De calculo,* et incipit : “ De mensche die leven wilt. „ — Quartus, *De quatuor tentationibus*, qui incipit : “ Die oren heeft te horen. „ — Quintus intitulatur *De fide,* et incipit : “ So wie behouden wilt sijn. „ — Sextus, *De spirituali tabernaculo,* incipit : “ Loept so dat gi begripen moget. „ — Septimus dicitur *De septem seris* et incipit : “ Lieve suster. „ — Octavus, qui dicitur *Speculum salutis æternæ,* incipit : “ Dit boec mach wel een spiegel wesen. „ — Nonus, *De septem gradibus amoris,* incipit : “ Gratie ende heilige vrese. „ — Decimus est *Liber retractationis,* loquens de unione amati cum amato, et incipit : “ Die prophete Samuel. „ — Undecimus, *De* XII^{cim} *beghinis,* incipit : “ Het saten XII beghinen. „

Capitulum XVII. Quam copiose interdum tempore collationis divina gratia perfundebatur.

Facturus interdum devotus prior collationem in monasterio, vel fratribus suis vel extraneis ad eum devotionis gratia venientibus, ipse, cum apostolo omnibus debitorem se existimans, semper obtemperare studuit requisitus. Qui tanto interdum devotionis spiritu tantaque verborum redolentia in suis sermonibus redundavit, ut, quasi mustum vasis clausuram minime patiens, violenter erumperet in amfractus, palam facto æterni Jesu testimonio : *Dum steteritis ante reges et principes, nolite cogitare quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora.* Dabitur, inquam, non possidebitur. Quia, quod visu erat mirabile, cum interdum tantis gratiæ floreret muneribus ut etiam de silice ignem excutiens corda lapidea penetraret, frequenter tamen ei accidit ut etiam coram personis altis et

[1] *cod.* heest. *In B. 4380 (qui in his titulis germanizat)* heft.

nobilibus, nihil horum sibi conscius, taliter absque nota ruboris et verecundia sileret mutus et obmutesceret quasi nec semel pignus Spiritus degustasset. Quod dum soleret sibi contingere, cœpit humiliter posita facie inter manus interdum spiritum recolligere. Cujus dum nosset abesse præsentiam, dixit taliter audientibus: *Pueri, non vult modo aliquid fieri.* Et valedicens eis, statim recessit.

Capitulum XVIII. De ejus fama laudabili, qua plures homines ad se alliciens magnum fecit salutis profectum.

Hujus odor spirantissimus cum longe lateque per adjacentes fragraret provincias, multi ad eum potentes et nobiles utriusque sexus, magistri et clerici, senes et juvenes, confluxerunt. Quibus omnibus tam præsto fuit ex improviso dare consilia aut quælibet ædificationis verba, quasi præmonitus avisasset. De Flandria quoque viri spectabiles, de Argentina ac Basilea ac aliis Rheni præcipue partibus doctores ac clerici non mediocres ad ejus venere devotam præsentiam. Quorum præcipue unus fuisse dicitur doctor sacræ paginæ, Ordinis Prædicatorum, magnæ reputationis et excellentiæ, *Canclaer* dictus cognomento (1). Hic enim devotum priorem frequenter visitans, in summa habuit reverentia. A quo nimirum doctor magnus et parvus discipulus per suæ humilitatis exercitium non parvum meruit veræ sapientiæ experimentum, quemadmodum idem in suis tractatibus satis indicat, quos haustu veritatis per longa temporum intervalla ad instar prioris ornate edidit ac sub materno idiomate ob sui magistri, prioris scilicet reverentiam, in magnæ devotionis rivulum dilatavit.

Capitulum XIX. Quomodo devotus prior convertit quamdam baronissam.

Erat etiam inter alias hujus viri Dei familiaris discipula,

(1) Thaulerus, ait Surius in sua editione Operum Rusbrochii.

nobilis et Deo devota domina, dicta de Marka cognomento, magnæ excellentiæ baronissa, mater illustris et Deo devoti sui superstitis adhuc filii, Domini Ingelberti de Marka, confratris nostri monasterii. Hæc cum frequenter devotum priorem devote visitans, suis tandem exhortationibus admodum satis compungeretur, factum est ut eam verbis mellifluis, cum adhuc esset obnixa[1] seculo, ipse taliter immutaret quod frequenter duarum fere leucarum spatio a castro suo in Rodis Sanctæ Agathæ (1), ubi tunc eadem seculariter cum sua familia residebat, usque ad locum Viridisvallis ad visitandum devotum priorem, patrem suum spiritualem, cum magno devotionis affectu, nudis incedens pedibus, properaret. Quam quidem successu temporis paulatim in schola Jesu Christi magister discipulam ita mundum spernere et per viam quo ille incessit incedere docuit, ut tandem, regnum mundi et omnem ornatum ejus abjiciens, pro dulcedine Jesu quem amavit, Coloniæ clara (2) efficeretur seseque mente simul et corpore suavi jugo obedientiæ mitis et humilis dedicaret. Ubi quantum profecerit in observantiis disciplinæ, testatur collegium sanctimonialium cum quibus stabilis usque ad finem[2] permansit.

Capitulum XX. Quomodo semper in externis laboribus et vilibus operibus se reddidit paratum, et fratribus suis exemplarem ; quos semper in omnibus antecessit.

Sanctæ devotionis prior devotus fratribus se exhibens exemplarem, in fugiendis vitiis virtutumque colendis exercitiis, necnon monasticis observantiis, laboribus manuum, vigiliis pariter et jejuniis omnes alios antecessit. Ipse nempe cum interdum una cum fratribus labori manuum soleret insistere, licet jam senio fessus et debilis, vilioribus tamen et durioribus ex consuetudine se exposuit, portans scilicet

[1] *pro* obnoxia ? — [2] (ad finem) *add. in marg. manu recentiori.*

(1) *Rhode-Sainte-Agathe* pagus est, media via inter *Groenendael* (Viridem Vallem) et Lovanium. — (2) Intellige : sanctimonialis Clarissa.

fimum cum gerula, vel aliqua alia magis vilia ducens humiliter cum moniga. Et, quod pium erat fratribus, immo exemplum magnæ devotionis et simplicitatis, cum ipse pro suæ facultatis modulo ad omnia se redderet paratissimum, contigit interdum ut per suæ obsequiositatis diligentiam familiaribus, maxime hortolanis, per suam simplicem innocentiam, magis oneri foret quam auxilio. Nimirum qui malas a bonis minus dijudicans, eradicando herbas mortiferas, bonas similiter extirpavit. Et, quod auditu est mirabile, quanto exterius labore manuum occupabatur, raro in suis exercitiis intus per talia turbabatur. Unde pro fratrum ædificatione semper in opere secum detulit Pater Noster, ut, cum una manus labori corporis, alia simul fervori spiritus subserviret. In hoc relinquens nobis exemplum, ne sic exterius simus intenti operibus, quin intus Deo cuncta quæ facimus devotis muneribus offeramus. O quanta gratia, semper ad placitum cum Maria dum libet otiari, et cum Martha negotiari! Quam gratiam habuisse dicitur æque promptam in opere et in solitudine. Ita ut fratribus soleret dicere quod non magis esset sibi difficile mentem, dum vellet, sursum in Deum per actum contemplationis erigere, quam manum ad caput suum attollere.

Capitulum XXI. Quomodo non solum fratribus suis, verum etiam avibus et brutis necessitatis tempore compatiebatur.

Quam affabilis, quam pius et humilis hic Christi servus et verus pedissequus cunctis fratribus habebatur, omnium consolatio et hilaritas in ejus præsentia patefecit. Relucebat enim in ejus facie gratia Dei, in verbis modestia, in factis pietas, in gestu humilitas, in omnibus denique vitæ suæ moribus virtutum probitas et honestas. Sobrius victu, incultus vestibus, patiens in omnibus et ad omnes. Compassionis autem tam viscerosam habuit plenitudinem, ut non dumtaxat rationabilibus, verum etiam bestiis et avibus in suis inediis compateretur. Unde, cum tempore hiemali per algorem fri-

goris aut nivis velamina aves penuriam paterentur, fratresque conscii suæ paternæ compassionis ei talia denuntiarent, dicentes curioso quodam affatu : *Pater, jam ningit : quid facient modo pauperes aviculæ ?* ipse, tanquam pro eis sollicitus, compassionis verba maturo animo tanquam sibi minus grata nuntiantibus frequenter dicitur respondisse. Et loco et tempore, qualiter potuit, eis necessaria procuravit.

Capitulum XXII. Quam districte fuit obediens voluntati sui præpositi.

Prudens consilio, fidelis auxilio, quantum bonum obedientiæ in cunctis actibus venerabatur, sane perpenditur ex eventu. Semel namque, cum gravi laboraret infirmitate, aquam vehementer potare gestiens, eam a quodam sibi fratre porrigi petiit ad potandum. Cui petitioni tunc præpositus minime annuit, timens ne forte vehementius exinde infirmitas augeretur. Quod devotus prior, licet cum tanto naturæ gravamine ut intus pene præ siti deficeret et extra labia finderentur, summa sustinuit cum patientia, cupiens per bonum obedientiæ se Deo magis offerre sacrificium quam carnis concupiscentiæ obtemperare. Tandem tamen, cum exinde mortem imminere sibi posse pertimesceret, non tam sollicitus suo commodo quam eorum fortassis incommodo qui propter melius sic eum ad tempus abaquaverant, ait humiliter patri suo : *Pater præposite, nisi hac vice aquam potavero, de hac quam patior infirmitate non convalescam.* Quod audiens præpositus, timore anxius ita respondit : *Utique, frater, satis potabis.* Et sumpta aqua quam idem jussit sibi porrigi, incepit convalescere eadem hora.

Capitulum XXIII. Quam ædificativa et consolatoria fuit ejus dulcis sermo et præsentia.

Cum interdum fratres sui statutis temporibus eum accederent causa devotionis et exercitii, ut videlicet verbum aliquod ab ejus ore communicarent, quo vel tentationibus possent

resistere vel uberioris gratiæ consequi profectum, per suæ consolationis verba melliflua, singulis inopinate secundum cor suum modo mirabili satisfacere consuevit. Cujus eloquium tam ignitum et efficaciter divinæ fuit dulcedinis gignitivum, ut etiam interdum fratres sibi familiares, cum post Completorium eum more solito frequentarent, in tantum ejus benignitati afficiebantur et amorosis ejus colloquiis ita interius incendebantur, ut pariter tempus insomnes expenderent et tanquam obliti nocturni soporis insimul absque tædio ibi persisterent usque ad horam matutinam. Quo facto, quod mirum est referre, non minus apti immo magis divinis laudibus tanto tunc alacrius tantoque jocundius matutinis officiis interfuerunt, non obstante præmissa vigilia, quanto ferventius divinæ dulcedinis spiritum in dicto colloquio perceperunt. Hæc non semel, sed pluribus sibi vicibus diversi referunt contigisse.

Capitulum XXIV. Quomodo diabolus solebat eum infestare.

Sed callidus ille et mille artifex, humanæ salutis antiquus æmulus, tanto acrius frequenter nisus est ei inferre tentationum molestias, quanto per pia hujusmodi exercitia suæ malitiæ sensit obstaculum et quæstus nequissimi detrimentum. Unde et eum visibiliter sub specie bufonis aut alterius cujuspiam creaturæ terribilis frequenter nisus est perturbare, quemadmodum fratribus sibi familiaribus referre consuevit. Qui cum ab eo sciscitarentur si non timeret ejus præsentiam, respondit quod non. Sed interdum de hoc dolebat quod tam funesta et Deo odibilis nefandaque bestia sibi taliter approximaret. Cujus etiam sæpe adventum cum præcognosceret, se contra eum armis spiritualibus præmunivit. Unde contigit quadam vice ut, jacens cum præposito monasterii propter senium in una camerula, ipse percipiens inimici accessum, audiente præposito clamavit: *Pater, ecce venit, pater, ecce venit.*

Capitulum XXV. Quomodo propter licentiam minus caute concessam fratribus de vigiliis simul legendis, graviter a dæmone vexabatur.

Quadam etiam vice deprehensus a dæmone, multum graviter est vexatus. Cum enim fratres quidam remissæ devotionis, contra consuetudinem tunc usque in monasterio observatam, ab eo instanter petivissent ut, occurrentibus distinctis in una hebdomada anniversariis defunctorum, quamvis divisim essent posita in martyrologio, simul tamen in capitulo legerentur, ut uno die simul pro omnibus satisfieret: ipse minus caute perpendens rei eventum, eorum instantiis humiliter annuit, et quæ divisim solebant fieri simul tunc fieri licentiavit. Quamobrem divinæ dispensationis arbitrio factum est ut, quod pius pater minus rite consensit fratribus, ipse lueret crebris et multis improperiis, quæ sibi dæmones inferebant. Attendant, quæso, hoc ipsum moderni, talia faciliter practitantes. Quod si fortassis ad statim non sentiant insultus dæmonum, non sibi congaudeant, sed magis timeant longanimem et districtum judicem, qui, quanto patientius ad tempus tolerat, tanto vehementius postea arguit et flagellat. Conetur ergo quisque talium sibi conscius cum devoto priore culpam agnoscere, et Deo pro se et suis fratribus fletu et precibus satisfacere.

Capitulum XXVI. Quomodo Christus cum Beata Virgine et omnibus sanctis sibi apparuit.

Frequenter etiam Dominus noster Jesus Christus eum visitans, crebris ac magnis consuevit fidelem suum famulum dotare muneribus gratiarum, ita ut etiam quodam tempore sibi apparens visibiliter cum beatissima Maria virgine, ejus gloriosa genitrice, et omnibus sanctis cœlestis curiæ, magna familiaritatis dulcedine ipsum dignatus est visitare. Qui, præter mentalem interni spiritus jocunditatem, illo in tempore sibi præstitam, etiam vocaliter ipsum alloquens fertur talia sibi dixisse: *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene placui.*

Et amplexans eum in brachiis, ait Matri et choris astantibus: *Ecce puer meus electus.* In quibus mens pia satis concipit quanti meriti devotus prior fuerit coram Domino Jesu, qui etiam ab ore Veritatis meruit audire testimonium cupitæ familiaritatis. Puto revera quod tunc et alias multa arcana cum Domino Jesu habuit colloquia, quæ nec licet homini loqui, quemadmodum satis in suis asserit interdum libris idem prior et Coquus Bonus ei perhibet, qui eum quodam vidit tempore in tanta gloria sublimatum, quod nemo viventium eodem tempore ipsum in merito antecessit.

Capitulum XXVII. Quomodo semper studuit quando potuit missam celebrare, et quanta floruit devotione.

Missam quotidie celebrare studuit: a quo postquam effectus est presbyter, usque in finem vitæ suæ, quamvis etiam plusquam octoginta septem esset annorum, nunquam ut dicitur se abstinuit, nisi fortassis infirmitate aut alio impedimento multum notabili invitus aliquando cogeretur. Qui, dum sacra missarum solemnia quotidianis obsequiis frequentaret, quanto devotionis fervebat spiritu, quadam vice satis apparuit. Cum enim staret infra canonem perfusus rore cœlestis gratiæ caloreque spiritus intus æstuans, tanta dulcedine est liquefactus ut vivacitas exteriorum sensuum pene deficiens præ dulcore naturæ subsidium denegaret. Qui cum viribus fere deficeret, ita ut amplius non posset stare, minister ejus multum perterritus concito alium vocavit presbyterum, qui missam perficeret tunc inceptam. Quod quidem non naturali impotentia virium corporalium, sed magis spirituali influentia divinorum contigit sibi charismatum, cum idipsum sæpe contigerit nec tamen dimiserit celebrare.

Capitulum XXVIII. Quomodo propter defectus hujusmodi semel præpositus prohibuit ei celebrare; et de humili prioris responsione.

Idipsum alia quadam vice casus mirabilis attestatur. Cum

enim jam tanto teperet senio ut vix formam hostiæ posset agnoscere, ita ut etiam inscriptam sibi imaginem crucis interdum pedibus sursum et capite deorsum elevaret, cum summo tamen devotionis fervore missam non desiit celebrare. Stans ergo circa pretiosi corporis et sanguinis consecrationem, quodam tempore circa finem dierum suorum, solita est functus [1] divinæ suavitatis benigna præsentia, et in tantum mente alienatus, ut, nisi auxilio divinæ gratiæ, fortassis præ nimia Jesu dulcedine omnino spiritum exhalasset. Unde et membris viribusque humanis pene vitaliter [2] destitutis [3], apparuit ministro tunc servienti sibi fore penitus impossibile quod vir tam debilis possit persistere in natura. Quamobrem multum pavidus, quid ageret ignorans, rei eventum humiliter præstolabatur. Sed peracto missæ sacrificio statim accedens ad præpositum, quid sibi contigerit indicavit. Super quo præpositus valde perterritus, vocato ad se devoto priore, cœpit ei injungere ne amplius præsumeret celebrare, ne scandalum conventui vel animæ suæ periculum generaret. Ad quod humiliter ille ait : *Mi Domine pater, ne mihi quæso propter talia prohibeatis missas celebrare. Nam qui videtur interdum defectus a foris causari propter senium, magis est divinæ gratiæ collatum desuper mihi xenium : quo etiam hac vice visitans me Dominus Jesus Christus jocunda dulcedine, est affatus, dicens : " Tu es meus et ego tuus. "*

Capitulum XXIX. Quomodo modo mirabili et insolito solebat sumere Eucharistiam.

Quoties autem devotus prior missam celebrans corporis sacri Eucharistiam solita sumeret devotione, Spiritus divinus, ejus uniens sibi spiritum, tanto eum amoris glutino mirabiliter transformavit ut, statim percepto sacro corpore, ore clauso nec motis labiis sic exterius videretur quietus quasi nihil percepisset. Unde nec more communi celebrantium sacramentum volvit aut masticavit, nec etiam saliva

[1] *pro* fruitus ? — [2] *pro* totaliter? — [3] *cod. 4380* destitutus.

humectavit; sed statim subactis accidentibus, assistenti summo Spiritui spiritus ejus occurrebat alacriter, cum quo, incurius exterioris corporis, ut sponsa innixa super dilectum ad Patrem spirituum ascendebat. Quod cum frater quidam multum sibi familiaris non semel sed pluries considerasset, ausu quodam familiari devotum priorem curiose adiit et quomodo tam subito corpus Christi sumere posset interrogavit. Cui prior : *Carissime frater, Dominus operatur cum servis suis sicut sibi placet.*

Capitulum XXX. Quomodo præscivit obitum suum, et quam devote se disposuit ad exitum universæ carnis.

Plenus dierum Dei famulus, devotus prior Viridisvallis, cum annum attingeret octogesimum octavum, cœpit paulatim resolvi senio, viribusque destitui corporalibus. Qui tempus suæ resolutionis imminere præsciens, cum jam dies appropinquaret quam pia mater suis meritis a pœnis liberata jam dudum frequenter sibi prædixerat in visionibus antedictis, dicens quod in adventu Domini ipse feliciter obdormiret: ille cum tota mentis devotione tanta alacritate se mori disposuit, ut nemo qui videret[1] suæ conditionis hilaritatem, eum arguere timoris aut doloris anxium quomodolibet posset; immo magis actu gestuque foris ostendere quod cuperet dissolvi et esse cum Christo. Unde et altis corde suspiriis, sicut cervus desiderans ad fontes aquarum, ita intentissimo cordis fervore desiderabat felix ejus anima ad sponsi sui amplexus desiderabiles avolare[2]. Quamobrem talia et similia frequenter repetens : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei ?* ipse omnibus sibi illo in tempore assistentibus tantæ devotionis fuit exemplar, ut pium esset Johannem deflere, qui erat a seculo migraturus, sed magis pium secum gaudere, qui statim erat optatæ felicitatis perenni gaudio fruiturus.

[1] *ita corr. supra lin.; prius* viderat. — [2] *corr. supra lin.* advolare.

Capitulum XXXI. De ejus devotissimo obitu.

Sciens igitur de instantis infirmitatis gravamine se quantocius moriturum, cum adhuc jaceret in camera præpositi, ipse humiliter a dicta camera ad commune fratrum infirmitorium se petivit a fratribus transferri. Ubi laborans gravi febrium infirmitate, patiens itemque dyssenteriam, cum jam ferme per quindenam lecto debilis decubuisset, ad extremum coram positis fratribus et orantibus, sanus mente et facie rutilus, post devotam fratrum suorum recommendationem dulcissima exsufflatione spiritus et absque communi morientium vestigiis, anno Domini millesimo tricentesimo octogesimo primo, in octava beatissimæ Katherinæ virginis et martyris, octoginta et octo annorum cum jam fuisset, annis circiter LXIIII presbyter, in pace feliciter obdormivit. Quem fratres, non tam exterioris pompæ curiositate quam internæ devotionis solemnitate, flentes pariter et gaudentes, in ecclesia antiqua (1) sepelierunt. Pro cujus anima vere beata etsi vigilias aliarumque missarum devota sacrificia celebraverint, ut moris assolet christianis, ipsi nihilominus vice versa plus patris merita eis succurrere quam eum suis censebant suffragiis indigere.

Capitulum XXXII. Quomodo statim, eo defuncto, eadem nocte apparuit gloriose vestitus habitu sacerdotali cuidam medico sibi familiari.

Erat autem eodem tempore vir quidam devotus et magnus clericus, decanus ecclesiæ Diestensis. Hic cum esset artis medicinæ expertissimus et devoto priori valde dum viveret familiaris, agnita ejus ægritudine venit celeriter in Viridemvallem. Ubi cum jam vidisset ægrotum Dei famulum, decrevit ad tempus secum manere in monasterio, donec perciperet exitum rei. Stans ergo et diligenter eum visitans cum multis personis quæ advenerant, ipse ceteris diligentior tam in

(1) De qua sermo est in Parte I, capit. XV. Cfr. ibidem Capitulum XXI.

vita quam in morte adesse studuit devoto patri. Qui cum defuncti pernoctans funeri, adesset humiliter in ecclesia, jam leni quodam sopore ligatis sensibus, devotus prior indutus vestibus sacerdotalibus visus est ei accedere ad altare, cum tantæ decore pulchritudinis ut nemini posset evigilans sufficienter exprimere sicut vidit. In quo profecto sui ad eum devotus prior familiaritatem et singularem gratiam quam ipse habuit in ipso sacro missarum sacrificio, ostendere voluit dilecto suo per tanti miraculi novitatem.

Capitulum XXXIII. De quibusdam reliquiis ejus quibus dolor dentium cujusdam beghinæ Mechliniensis statim extitit mitigatus.

Quidam frater, devoti prioris contemporaneus, cum in eo haberet magnam devotionis gratiam, nisus est unum e dentibus suis sibi acquirere per industriam, quem pro reliquiis venerabatur. Sed et alii similiter fratres eodem affectu pie moti, unus corrigiam, alius de crinibus aut aliis quibusvis ejus clenodiis ob patris memoriam observabant. Factum est autem ut quadam vice dictus frater qui dentem habuit, eum traderet una cum cingulo et parte crinium cuidam devotæ Christi beghinæ, tunc Mechliniæ commoranti. Quæ dicta donaria pro reliquiis cum magna suscipiens reverentia. ea detulit Mechliniam et inter alias quas penes se habuit sanctorum reliquias memoriter posuit venerandas. Contigit autem quadam vice ut eadem gravi pressa dolore dentium cum hinc inde diversos medicos et chirurgicos in vanum penitus consuluisset, ipsa tandem doloris vehementia pene exanimis sororem adiit suam germanam, cum qua pariter in eodem domicilio habitabat. At illa mox nutu divinæ clementiæ, ut manifestæ fierent devoti prioris preces et merita, statim respondit sorori suæ: *Ego, soror, si talia paterer, dentem prioris Viridisvallis qui est in camera nostra, dentibus meis devote apponerem, sperans quod per ipsius merita possem consequi sanitatem.* Quod dum illa audito consilio humiliter faceret, statim doloris vehementiam sensit paulatim sibi diminui.

Unde et pauco post temporis spatio reddita est pristinæ sanitati.

Capitulum XXXIV. Quomodo corpus ejus fuit inventum post quinque annos vel circiter integrum et illæsum; et de ejus translatione.

De ejus autem translatione, hoc omni memoria dignum existimo quod, cum ferme jam quinque annis defunctus fuerit et sepultus, quibus præpositus memoratus post ejus obitum supervixit, corpus ejus tam sanum integrum, immo et vestes et ornamenta quibus corpus, ut modus assolet sacerdotibus, fuit decenter involutum, quamvis tam longo temporis spatio humo recondita et vermium usibus mancipata, tantæ tamen integritatis fuere reperta quod nihil horum vel in minima sui parte læsum videretur, excepta dumtaxat nasi sui extremitate, quæ satis modicum destituta corruptionis pulvere videbatur. Immo corpus ejus sacrum et venerabile post tantum temporis exhumatum, pro magno spectaculo in ambitu monasterii Viridisvallis, jubente episcopo, omnibus videre desiderantibus, ponebatur spatio circiter trium dierum. Cujus etiam tantus fuit odor et fragrantia, ut non jam fore cadaver mortuum, sed potius aliquod videretur miræ suavitatis electuarium. Quemadmodum ista non solum a fratribus ejusdem monasterii, verum etiam a viris laicis et fide dignis personaliter audivi, qui, ipsum corpus tunc videntes et osculantes, super iis in fidei testimonium me præsente sunt coram pluribus præmissa publice protestati.

Capitulum XXXV. De causa ejusdem translationis.

Causa vero translationis nutu divinæ providentiæ talis dicitur extitisse. Cum enim præpositus sæpedictus dies clauderet hujus seculi, contigit ut reverendus in Christo pater Dominus Johannes tSerclaes, tunc episcopus Cameracensis, ob reverentiam dicti præpositi ad ejus exequias venire et ibidem missarum solemniis vellet personaliter interesse. Qui

ibidem devote persistens, audita fama devoti prioris, fratribus quoque idipsum humiliter flagitantibus, decrevit ut ossa ipsius prioris, sublata sepulcro, ad novum tumulum, in quo præpositus esset sepeliendus, simul a fratribus transferrentur. Qui placito læti acquiescentes, statim cum tumulum ejus frangerent et ad cistam defuncti corporis devote accederent, illico corpus cum secum appositis, ita ut supra jam ante memini, illæsum penitus invenerunt. Quo facto, post biduum, die tertia ipsum cum magnæ solemnitatis reverentia ac populi devoti non parva frequentia, una cum corpore primi præpositi, in uno sed interciso tumulo venerabiliter est collocatum. Adhibita per eumdem episcopum tali ordinis observantia quod, utrisque positis in choro ante summum altare beatæ Virginis, præpositus tanquam pater superior jaceret a dextro versus austrum, prior quoque, ut frater ejus et consocius, poneretur versus aquilonem. Quo autem tempore ista contigerint, supra memini in prima parte, cum de obitu præpositi facerem mentionem.

Incipit tractatus

seu liber tertius de vita Fratris Johannis de Leuwis, alias dicti de Affliginio, Boni Coci Viridisvallis.

[PARS TERTIA.]

Tractatus, seu liber, tertius

DE VITA FRATRIS JOHANNIS DE LEUWIS (1)

alias dicti DE AFFLIGINIO (2)

Boni Coqui Viridisvallis.

Capitulum I. De causa nominis.

Johannes est nomen ejus. Cujus ejus? Coqui [1] profecto Viridisvallis, qui non immerito Johannis vocabulo nominatur, propter specialia gratiæ privilegia quibus eum divinæ liberalitatis magnificentia præ ceteris suis contemporaneis mirabiliter decoravit. Et quid mirabilius humano modo quam hominem grossum et illitteratum, idiotam penitus et indoctum, tam luculenter naturam transgredi, occulta rimari divina mysteria, et utriusque vitæ tam activæ quam contemplativæ exemplar perlucidum viris perfectis in vita ostendere ac manuductivam vivendi maneriem contemplandique speciem scriptis pulcherrimis propalare? Certe credo quod a seculo non est auditum, saltem post tempora apostolica, virum tam humilem, tam abjectum, tanta divinæ gratiæ percepisse charismata, qualibus eum in suis libris mihi videor experiri tam affectu quam intellectu modo mirabili superfusum : in tantum ut, si nulla mihi foret alia suæ venerationis omnino occasio, profecto eum pro familiari Dei amico devote amplecterer et humiliter venerarer.

[1] *cod. modo* Cocus, Coci, *modo* Coquus.

(1) Prima de eo mentio fit ab auctore nostro paulo post Prologum Partis I; et deinceps passim. Ita vero de eo in Necrologio Viridivallensi ad diem 9 februarii : " *Anno Domini* M.CCCLXXVII *obiit frater Johannes dictus Leuwe, de Hafflighem, primus coquus hujus monasterii, secundus conversus. Perfectionem hujus sancti viri libri sui quos indubie Spiritu Dei plenus ipsemet* (*cod.* et met) *scripsit atque dictavit, per diversa loca et regiones multiplicati, perspicue dem[onst]rant.* " — (2) *Affliginium* seu *Afflighem,* locus est prope Alostum, et incoli cœpit exeunte seculo XI, erecto ibi monasterio. Videsis Sanderum. Cfr. supra, p. 252.

Capitulum II. De recommendatione librorum suorum.

Sed quid tibi et mihi, o dilecte amice Dei? Fateor meam paupertatem : tu mihi propina liberaliter tui spiritus claritatem, qua legere possim et intelligere librorum tuorum doctrinam catholicam, intellectamque aliis communicare. Fateor itaque, tu scis et nosti, quod adhuc disco interna mentis intelligentia (sed unde, proh dolor! magis doleo, desiderandæ suavitatis experientia) ab illo fonte divinæ dulcedinis, unde tu solebas haurire aquas vitæ in gaudio Domini Salvatoris. Quid mirum si alta sapuisti, qui rutila mentis intelligentia tam perspicaciter radios æternæ veritatis ad modum aquilæ conspexisti? In tantum ut more dilecti discipuli, cujus nomen geris ex merito, tuam scripturam commendares, et non minus quam Pauli apostoli tam credibilem affirmares : ut tui codices attestantur, quos nobis ut largus eleemosynarius de " cella vinaria " protulisti. Quorum hic nomina subscribuntur. *De* [1] *decem præceptis. — De oratione. — De inspiratione. — De ardenti amore Dei. — De tribus magis. — De articulis. — De differentia inter naturalem et supernaturalem generationem. — De electione divina. — De quintuplici confraternitate. — De septem calamitatibus. — Item scripsit et alium librum de præceptis decalogi. — De septem signis Zodiaci spiritualiter expositis. — De origine omnium rerum. — De novem choris angelorum, et cetera. — De septem generibus amatorum Dei. — De intelligentia et observantia doctrinæ Christi. — De desertione injustitiæ et obedientia vocationis Christi. — De paupertate spiritus. — Contra errorem dogmatis magistri Echardi* (1). *— De spirituali manducatione corporis Christi. — De multiplicibus bonis et salutaribus documentis. — De octo beatitudinibus. — De judicibus, etc. — Hæc omnia vulgari ideomate, hoc est teuthonico sermone, conscripsit* [2].

Capitulum III. De causa sui nominis et de loco nativitatis.

Has pro coqui nostri Viridisvallis tibi, o lector, reverentia præmisi, ut potui, non ut debui, qualescumque recommendationes, ut affectum tuum amplius excitem ad mira charismata gratiarum quæ sibi contulit Dominus noster Jesus Christus. Erat namque, cum

[1] ***hæc usque ad finem capitis alia manu scripta sunt, in loco qui vacuus relictus fuerat.*** — [2] ***additur in cod. eadem alia manu :*** Vide proprio folio.

(1) Eccardus sive Aicardus (germanice *Eckhart*), Ordinis Prædicatorum, cujus propositiones aliquot de rebus mysticis erroris damnatæ fuerunt a Joanne XXII, Romano Pontifice, Avenione anno 1329. Obiit anno 1327. Cfr. Kaulen, *Kirchenlexicon ;* Echard et Quétif, *Scriptores Ord. Præd.*, t. I, p. 507.

adhuc rudis maneret in seculo, Deum studiose timens, officiose strenuus et fidelis. Parum tamen gustato spiritu, magis exterius cum Martha erat sollicitus quam cum Maria contemplativus. Unde magnis et multis laboribus vacans, nunc per diversas partes discurrere, nunc vero ad tempus in loco residens consuevit victum et vestitum non parvo laboris stipendio procurare. Quamobrem oriundus de Affliginio (1), DE LEUWIS etiam cognominatur : quæ duo satis sibi conveniunt, juxta conditionis proprietatem. Corpore namque robustus, admodum proceræ staturæ et fortis " ut leo „ foris apparuit : qui tamen bene de Affliginio, quod " ab affligendo „ dicitur (2), natalis sui traxit originem. Nam præter labores manuales quibus seipsum afflixit in seculo, tantæ sibi fuisse dicitur austeritatis præ ceteris fratribus in monasterio, ut singulos quosque in carnis maceratione nocturnis vigiliis et abstinentiis incomparabiliter antecederet.

Capitulum IV. Quomodo propter benignitatem in recipiendis hospitibus appellatus est « Bonus Coquus. »

Referunt autem de eo fratres quod postquam, ut supra (3) parum tetigi, cum præfatis fratribus seculum fugiens ad Viridemvallem declinavit, statim coquus [1] eorum effectus tam humiliter tamque vigilanter commisso sibi vacabat officio, ut propter viscerosæ pietatis abundantiam quam cunctis optime suo ministerio indigentibus novit impendere, vocaretur vulgariter *Bonus Coquus*. Quod quidem nomen propter frequentem suæ affabilitatis experientiam non solum fratres monasterii, verum etiam supervenientes interdum laici ei ex merito contulerunt. Dignæ quidem hospitalitatis amator præcipuus, cum apostolo omnibus pro suæ facultatis modulo se novit et exhibuit amicitiæ debitorem. Quamobrem laudabilem, immo mirabilem habuisse dicitur consuetudinem, ut, statim adveniente quolibet hospite, sive nobili sive ignobili, prius hunc dirigens ad ecclesiam, statim occurreret revertenti : et parata [2] offa aut aliis ad manum præsto habitis, læta facie, benigno vultu alacrique animo ipsis apposuit quod paravit, non tam sollicitus pro cibi carnalis accuratione, quam gaudii spiritualis communicatione ipsorum præcordiis hospitum inferenda.

[1] *ita etiam cod.* — [2] *cod.* para.

(1) Cfr. paulo supra, ad Capitulum I. — (2) De hac etymologia videsis dictum S. Bernardi, abbatis Claravallensis, apud Sanderum vel supra, p. 252. — (3) Cfr. supra, Partis I capitulum XV.

Capitulum V. Quomodo hospites recipiens, refecit eos cibo corporali et spirituali.

Quamobrem ipse a suæ conversionis fertur initio non parvam in hac parte gratiam habuisse. Nam, sicut plerique satis seculares in suis moribus de eo postea retulerunt, plus interdum venire cupiebant ad monasterium Viridisvallis pro spirituali refectione boni coqui, quam pro delectatione sui prandii, licet tamen cibus per eum sibi appositus sapidissimus videretur. Quem quidem saporem corporalem coxit revera non specierum appositarum pusilla congeries, sed magis interdum lacrimarum ingluvies, quas ipse de cordibus epulantium nunc divinæ dulcedinis magnitudine, nunc æternæ calamitatis amaritudine frequenter fecit suis sermonibus mirabiliter emanare. Nam, æque si multum vel parum habuit, ipsos semper hospites benigne alacriterque suscipiens, eis inter prandendum aliquid spiritualis refectionis gustandum primitus ministravit, parum sollicitus quid carni, sed multum quid spiritui deserviret. Unde cum ex improviso interdum hospites advenirent et nihil ipse nisi urceum haberet cum aqua calida igni appositum, illico scisso pane aqua eum maduit, et sic apposita modica pinguedine offam hospitibus, quamvis minus sapidam, absque verecundia gustandam obtulit.

Capitulum VI. De asperitate vitæ suæ in abstinentia et cibi parcitate.

Aliis pius et sibi rigidus bonus Coquus Viridisvallis quantæ fuerit abstinentiæ, quantæ austeritatis et pœnitentiæ, magis mirandum quam imitandum. Debitor enim non carni, ut secundum carnem viveret, carnem suam tanta macie tantaque laboris perdomuit sollicitudine, ut magis excedere quam medium tenere videretur, si non innati roboris valitudo corporea excusasset. Unde sibi rigidus in usu vestium asperarum, victu sobrius, raro vel nunquam vesci voluit, nisi quæ fratribus fragmenta supererant. Immo et ova quæ interdum propter vetustatis putredinem jam semifœtida fratres comedere noluerunt, ipse sibi pro edulio colligens, non obstante naturæ nausea cum magna violentia manducavit. Cui præter solitam abstinentiam etiam ex more fuisse dicitur quod, cum ut sæpius stando comederet, indigentibus vel fratribus vel hospitibus ejus obsequio, ipse statim requirentibus intercepto prandio fuit paratus, nec postea ad dictum suum prandium, nisi cogente notabili corporis necessitate, est reversus.

Capitulum VII. Quomodo sibi in laboribus non pepercit, tam operis quam vigiliarum.

Vigilias quoque et labores aliaque corporis afflictiva admodum exercitia non tam patienter quam libenter sustinens, se semper talibus occupavit, in tantum quod ipse solus in congregatione fratrum tria vel quatuor gerens officia, quorum quodlibet uni sufficeret, ipse simul singulis deserviret. Nec tamen labore fatigatus, domita sic carne, quievit spiritus : quin immo nocturnis semper vigiliis modo quodam super humano cum suis fratribus interesse solebat. Et quod minus in die, externis occupatus negotiis, potuit in parte Mariæ perficere, tunc sub officio studuit matutino quanta potuit animi vigilantia recuperare. Unde et fratres de eo referunt quod raro solebat ire cubitum, nisi prius matutino officio interfuisset. Quibus dictis, paucam naturæ suæ requiem magis cogente humanæ conditionis necessitate quam qualibet dulcedinis suavitate, cum tanta sumpsit cordis gravedine, quasi tempus illud omnino perderet quo sui corporis commodo deserviret. Quæ quidem tam diu exercitia continuare minime valuisset, si non fervida mentis devotio [1] vim naturæ vel sublevasset vel forte per extasim alienasset.

Capitulum VIII. Quomodo simul exterius solebat operari et interius contemplari.

Quorum utrumque quid mirum si viro tantæ devotionis dicatur contingere potuisse, cum et ipse de se referat quod nunquam in tantum externis fuit occupatus, quod intus vel modicum turbaretur? Non quod simul foris intenderet et intus actu contemplaretur, sed quia omnem suæ occupationis sollicitudinem animo tam libero gessit exterius, quod etiam, ad statim vocatus interius ad contemplationis dulcedinem cum Maria, omnia quæ Marthæ pertinebant officio non sibi erant ad intusversionem magis obstaculum, quam si ea minime pertractasset. Quamquam et alii velint dicere quod etiam tantæ perfectionis extiterit, quod æque intentus et curis temporalium præpeditus intus vacaret cum Maria, ac si omnino laboris expers solitarius sederet in ecclesia. Quem quidem sensum humanæ facultatis communem ambitum supergredientem quamvis non capio [2], humiliter credo, si tamen possibilis sit viatori, cum ipse Coquus in suis codicibus fere similiter sensisse videatur. Dicit enim in quodam passu quod ille nunquam novit perfecte gustum divinæ suavitatis, cui opera Marthæ, id est externæ occupationes, in suis officiis sunt

[1] *ita videtur legendum ; cod.* devotione. — [2] *ita videtur legendum ; cod.* sapio.

nocivæ. Quam quidem sententiam et alii humanius exponentes, referunt ad mortificationem voluntatis propriæ, ut videlicet sit talis sensus : Quod ille nondum perfectus est, qui sic afficitur dulcedini contemplationis, quod non sit æque paratus pro tempore et loco ad opus externæ negotiationis. Nam qui taliter afficiuntur, quod contemplari est eis solatiosum, et negotiari, ubi tamen requirit necessitas, tædiosum (non quoad naturam sed ad voluntatem), illi profecto magis adhuc dicendi sunt mercenarii quam perfecti. In hac tamen parte unusquisque abundet in sensu suo.

Capitulum IX. Quomodo per humilitatem et maxime per compassionem quam habuit ad Christum, meruit sublimitatem.

Præmissa, quamvis mirabilia, non tamen fortassis incredibilia videbuntur, si media quibus Dei famulus ad virtutum conscendit alta cacumina, lector sedulus bene consideret. Ut enim in omnibus librorum suorum ostendit passibus, et fratres qui ejus novere personam eidem perhibent testimonium, quamvis omnium virtutum fragraret odoribus, humilitate quidem ad seipsum, pietate vero ad proximos suos, præcipue tamen compassionis affectu ad Christi vulnera movebatur. Cujus tam sollicite foris nitebatur sequi vestigia, ut Christi pedissequus videretur. Nam passionis suæ memoriam sine intermissione ruminans, semper interius mentis suæ oculis Crucifixi livorem devote proposuit, et quantum valuit carne ac spiritu sese juxta exemplar propositum fecit totaliter holocaustum. In quo quidem exercitio dum sic suspendium animæ suæ elegerit, interdum passionis Dominicæ fructum prælibans suavissimum, totus in spiritu rapiebatur. Interdum vero, suæ nihileitatis perpendens modulum, ex difformitate vitæ suæ cum exemplari sibi proposito, seipsum taliter inabyssavit, ut, tanquam creatæ naturæ peripsema, seipsum novissimum reputaret.

Capitulum X. Quomodo mutuo respectu amoris Dei et odii sui decidit in angustias infernales.

Unde et divina disponente clementia, quæ omnia electis suis operatur in bonum, in tantam cordis incidisse semel dicitur amaritudinem, occasione, ut creditur, præmissorum, ut illinc [1] compassionis fervor eximius cordis sui intima eliquaret, istinc [2] vero culpæ verecundia seipsum funditus reprobaret : ita ut etiam sibi ipsi minimo non videretur dignus gratiæ dono. Quamobrem cum Deus, mirabilis in

[1] *ita videtur legendum ; cod.* illic. — [2] *cod.* istic.

sanctis suis, ejus vellet probare constantiam, tanta cum[1] doloris angustia non solum affectu, ut magis assolet, verum etiam in effectu famulum suum æternæ pœnalitatis angustas miserias permisit ad modicum prælibare. Quæ quantæ amaritudinis quamque puro homini intolerabiles videantur, satis poterit quis elicere, si pœnam quamlibet communis martyrii noverit pœnis subsequentibus proportione debita comparare. Quarum pœnarum causam et ordinem, quemadmodum ipse personaliter eas describit in suis codicibus, huic opusculo duxi inserere, ut pius lector, ipsis auditis, et Coquum habeat in reverentia, et sibi proficiat in patientia, si per divinæ dispensationis arbitrium ipsi quælibet inferioris gradus aut forte similia contingant corporis afflictiva, aut (quod magis timet amor mercenarius) divinæ dulcedinis ablativa.

Capitulum XI. Quod Deus eum primo sibi inseparabiliter conglutinavit per amorem, antequam gustavit inferni dolorem.

Narrat itaque de seipso tanquam de altero in libro qui *De decem præceptis* intitulatur, quod nocte quadam misericors Deus, cuidam devoto suo famulo abyssum amoris sui incomprehensibilis manifestans, cum eum privasset sui ipsius ac omnium rerum mundanarum quæ quovismodo a Deo discrepant omnimoda proprietate, suavi amoris sui glutino tam inseparabiliter adunavit, ut nulla ex causa idem ipse a Deo in posterum avelli posset. Tum demum mirabilis Deus in sanctis suis alia quadam sequenti nocte permisit super eumdem famulum septem angustias, non tam mirabiles quam omni homini in puris naturalibus intolerabiles, et pene incredibiles inexpertis ; quas simul sustinuit in uno instanti. Quod si in genere dictarum angustiarum nosse velis excessus mirabiles, audi quid referat de eisdem. Ait enim quod minima earum tantæ fuit acerbitatis quod omnes simul qui super terram, in cœlis sunt et in purgatorio, immo ipsi summi angeli non potuissent libera et nuda voluntate eam in suis naturalibus pertulisse. Elice quantum is sustinuit qui simul tam graves tulit angustias, modo incognito omni creatæ rationi, subtracto etiam sensibili sibi influxu divinæ gratiæ, quo talibus remedium præstitisset.

Capitulum XII. De duabus primis angustiis infernalibus quas gustavit Bonus Coquus.

Harum angustiarum prima per ordinem talis fuit : Quia Deus hunc

[1] *cod.* eum.

suum privavit famulum omni sapore divinæ dulcedinis prius habitæ, omnique lætitia et unitate [1] quam prius senserat divini amoris. Quæ omnia in tantum sibi subtracta fuerunt et nubilo quodam supertecta, ac si nunquam de Deo aliquid sapuisset. Nec pro tunc aliter sic orbato divinæ dulcedinis experientia visum est quam si quolibet momento temporis præ timore stygialis angustiæ eum in nihilum redigi oporteret. Unde et sibi semper apparuit quod inter Deum et seipsum plus quam centum millia orbium interstitia mediarent. **Secunda.** Secunda vero fuit angustia, quia non solum Deus incognitus, verum etiam omnes meatus divinæ gratiæ sibi penitus præcludebantur omneque passionis Christi antidoton, in cujus merito copioso deliciari consueverat, ad libanda charismata gratiarum. Fides etiam christiana, spes quoque et caritas, ut sibi apparuit, tam mirabiliter se occultarunt, ut nec in sacra communione corporis Domini Jesu devotionis paululum degustaret. Quin potius, die noctuque præ nimia timoris magnitudine semper clamaret et reclamaret : *Domine, sicut et quomodo vis dispone de me, famulo tuo.*

Capitulum XIII. De tertia, quarta, quinta et sexta angustiis infernalibus.

Tertiam refert fuisse angustiam : quod, cum ipse Deo superius et gratia interius suo judicio fuisset orbatus, nihil tandem sentire potuit nisi quod esset quasi homo aridus, qui nunquam de Deo qualemcumque habuisset experientiam nec esset in posterum habiturus. **Quarta angustia.** Cui in nihilum sic redacto quarta angustia supervenit, qua sibi magnitudo, multitudo et turpitudo suorum omnium peccatorum, quæ unquam commiserat in hac vita, tanquam in unum conglomerata internis suæ mentis oculis proponebantur. Quorum pondus sibi in sarcinam cedebat gravius quam si mille molares suis humeris irruissent. Nimirum, cum de eis nihil sentiret aliud, quam si de singulis absque alicujus meriti indulgentia redditurus esset rationem. **Quinta.** Quamobrem etiam statim quinta angustia non minus terribilis adjiciebatur. Visum est enim Dei famulo quod audiret sonitum buccinæ et clangoris divinæ justitiæ, quæ super eum vindex incubuit, absque intuitu misericordiæ. **Sexta angustia.** Unde et sexta sequens angustia fuit baratrum desperationis, cum, quaquaversum se miserum verteret, nullibi recuperandæ [2] sibi veniæ aditum inveniret.

[1] *sic ; pro* suavitate ? — [2] *cod.* recuperando.

Capitulum XIV. De septima angustia infernali.

Septima et ceteris excellentior angustia sequitur in hunc modum. Visus est enim sibi cadere in quamdam gehennæ strictitudinem, quæ omnes pœnalitates et amaritudines verbo explicabiles præcellebat. Cujus similitudinem quantum sermone potuit explicavit, dicens : " Proximum quod tibi pro similitudine hujus angustiæ infernalis " possum dicere, est ac si terra quam pedibus calcamus, foret tot " millium spissitudinis et profunditatis quot sunt gramina super " terram, guttæ aquarum et arenæ maris. Quo pacto, si terra sic " disposita a summo deorsum se divideret, ita ut homo in ejus medio " cum corpore et anima locaretur, et demum terra ab omni parte " versus centrum concluderet dictum hominem sua mole, compri- " mens impetu et constringens, hæc profecto foret angustia intolera- " bilis, si homo talis in terræ medio semper vivere cogeretur, omni " momento mori desiderans præ nimia pressuræ violentia. " Nequaquam tamen hæc tanta calamitas præfatæ angustiæ vel modicum esset æquiparabilis, quam dictus Dei famulus, divina disponente providentia, in hac vita pœnaliter prælibavit.

Capitulum XV. De abjectione et vilitate suarum vestium.

Quam mortuus etiam fuerit seculo et quam incurius de seipso, testatur vestium suarum vilitas, quas magis videbatur verecunda necessitate quam qualibet appetere curiositate ad sui corporis indumentum. Unde cum semper amaret rigida, una contentus dumtaxat tunica, eam tamdiu absque mutatione suo usui reservavit quamdiu id sibi facere licuit. Quam etiam erat interdum videre fuliginosa pinguedine sic imbibitam, ut nullus perpendere in ea posset filorum seriem vel colorem. Sed et piæ simplicitatis magna profecto recommendatio, ut ipse qui vestes ornatas renuit, tam modicam de eis curam gereret, quod quamvis scienter invitissime vestem quantumlibet attritam permutasset, ipse tamen interdum deceptus per vestiarium aliam vestem ignorans induit, quam etiam per longa tempora, solitam æstimans, corporeis usibus mancipavit. Unde contigit quadam vice, cum esset annua Dedicatio in monasterio Viridisvallis, quod quidam frater Rubeævallis (1) qui tunc advenerat, vestes coqui viles

(1) Domus S. Pauli in Rubea Valle (*Rouge-Cloître*), ex eremitorio (medio seculo XIV) monasteriolum, dein anno 1373 prioratus Canonicorum Regularium sub regula S. Augustini, situs erat in silva Soniensi, non longe a Viridivalle, versus Bruxellas, in pago *Auderghem*. Aggregavit se Capitulo Viridivallensi anno 1402. Videsis Sanderum (Chorographia sacra Brabantiæ) et Acquoy, op. cit. Initia in Rubea Valle et in Viridi Valle simillima fuerunt.

et sordidas curiose respiciens, tanquam tantæ solemnitati minus congruas, curiosus incurium interrogaret, dicens : *Frater Johannes, cujus coloris est tunica tua?* At ille, magis cultus interius, exterioris coloris omnino nescius, respondit humiliter se nescire.

Capitulum XVI. Quomodo voluntatem suam in omnibus nitebatur divinæ voluntati conformare.

Quadam regnante pestilentia cum morbum haberet epidemiæ[1], tanta gravatus est infirmitate quod sacra daretur sibi communio corporis Domini Jesu Christi. Quod dum more veri catholici a manibus prioris devote sumeret, cum nondum hostiam ad plenum interius insumpsisset (1), audientibus cunctis tunc præsentibus, clamare cœpit in hæc verba : *Domine, ad tuum perpetuum honorem; Domine, ad tuum perpetuum honorem.* Quod dum stupens et multum attonitus unus e fratribus, ceteris sibi familiarior, admiratione non modica advertisset, conscius nimirum et expertus frequenter occultorum cordis sui affectuum, reportata qua decuit reverentia pyxide cum Sacramento ad ecclesiam, statim rediit ad infirmum, eique cum magna precum instantia quid hæc tam insperata verba prætenderent ut sibi diceret, supplicavit. Cujus vix tandem molestis precibus Coquus humillimus acquiescens, humiliter dicitur respondisse quod eo in tempore quo dicta verba in ejus et aliorum tunc secum astantium protulit audientia, sibi in spiritu erat locutum quod esset filius perditionis. Quamobrem divinæ ordinationis, ut sibi apparuit, beneplacito suæ voluntatis subdens arbitrium, in hoc tam arduo se submisit, dicens : *Domine, ad honorem tuum volo etiam damnari.*

Capitulum XVII. Quomodo ex magnitudine subjectæ humilitatis oritur interdum gustus perfectæ caritatis.

O virum ineffabilem, qui non solum mori non timuit, sed nec damnari recusavit, si ita divinæ dispensationis arbitrium in suum famulum decrevisset! Satis profecto, satis apparuit in hoc viro sui commodi abnegatio, dum non solum commodo corporis, sed æternæ jocunditatis carere et insuper pœnæ interminabilis dolorem cuperet sustinere potius quam Dei beneplacito vel semel in modico difformis esse. O quam probat electos suos Dominus, cui revera " non adhæret sedes iniquitatis: „ licet interdum " fingat amaritudinem in præceptis. „

[1] *cod.* epydimie.

(1) Majoris quantitatis hostiæ tunc dabantur laicis quam nunc.

Quin immo et ipse conferens cum tentatione proventum, ut justi valeant sustinere, secundum multitudinem doloris consolationes et gaudia superducit in mentes corde [1] contritorum. Quemadmodum et huic suo carissimo statim post tam liberam sui abnegationem fecisse dicitur in momento. Unde et ipse eidem fratri sciscitanti superius, adjunxit dicens : *Cum autem me taliter submisissem, audivi Dominum dicentem mihi : " Nunc cognovi quod me diligis. Unde et te, fili carissime, heredem facio æternæ felicitatis.* „ Ob quam causam et ipse post aliquot dies incipiens convalescere, dolenter aliquibus est conquestus super sua incolumitate, cum magis solvi et esse cum Christo a tunc et deinceps desiderasset.

Capitulum XVIII. Quomodo caute est et discrete dijudicare affectus sublimiter contemplantium.

Rogo humiliter et pio affectu omnes qui legerint hunc libellum, ut verba talia nec reprehendere [2] nec ad tantæ perfectionis facile ascendere gradum se posse existiment : ne primi, rudes intelligentia, idipsum arguant quod ignorant, alii autem, etsi intelligant, deficiente tamen experientia, incaute plus debito se extollant, scientes profecto quod multum differt [3] ista capere in intellectu superficiali et sapere affectu spirituali. Quod si qui tales inveniantur qui, capientes et sapientes in [4] hac materia glorientur, idipsum tamen non propriis meritis sed divinæ largitatis beneficiis adscribant, non ob inde alios minus capaces contemnentes, sed ipsis magis fraternæ pietatis benivolentia tanto viscerosius compatientes, quanto eos viderint a tantæ perfectionis gratia alienos. Hæc ita scripserim propter nonnullos qui vel scripta Patrum nostrorum minus intelligentes reprobare vel saltem penitus occultare student, dum alios video [5] qui ea intelligunt nimis præsumere de intellectu, alios vero in [6] errorem incidere, alios gloriari de affectu quem nec in infimo gustaverunt. Sed væ illis per quos hæc scandala oriuntur ! Quorum profecto vitanda commercia a fructibus eorum cognoscuntur.

Capitulum XIX. Quomodo occultam in uno pede gessit infirmitatem, nemine sciente usque ad mortem ejus.

Legitur etiam in libris suis de quadam infirmitate corporali quam diu gessit in uno pede : quod, licet graviter occasione doloris soleret

[1] *ita videtur legendum ; cod.* cordium. — [2] *omissum est forsan verbum, v. gr.* audeant. — [3] *cod.* refert. — [4] *sequitur in cod. littera* n *sola.* — [5] *ita videtur legendum ; cod.* vident. — [6] *add. ex conj.*

incedere, ut tamen corporis afflictionem, maxime a Deo sibi concessam, grato se animo pati ostenderet, nunquam diebus vitæ suæ eamdem infirmitatem alicui indicavit. Non tibi, lector, ut imiteris, sed ut magis mireris, ista significo : ne forte, rigorem absque fervore subire cupiens, ipse deficias præ dolore. Non enim omnibus omnia conveniunt ; sed, ut ait poeta Alanus :

" Diversis diversa valent medicamina morbis (1). "

Novit enim bonus Coquus per diuturnam divinæ familiaritatis experientiam tanta se gratia stabilitum, ut nec corporis robusti valitudinem quolibet indiscretionis ingenio posset enormiter enervare [1]. Unde et ipse pro ampliori corporis afflictione optare consuevit quod vellet habere naturam pessimam, non qua posset Dilectum offendere per suæ inclinationis concupiscentiam, sed magis amoris ignem accendere per inferendam sibi violentiam : quæ quanto fortior, tanto utilior pro caritatis incendio confovendo.

Capitulum XX. Quomodo semel in jubilo fratribus ministravit escula in refectorio.

Quadam vice, dum more solito fratribus serviret in refectorio, contigit ut in profesto beatissimi Martini confessoris, quem singulari venerabatur affectu, propter suæ liberalitatis magnitudinem, ipse in manibus scutellam portans plenam esculis interno ferveret calore spiritus, et cum magno jubilo coram fratribus in mensa sedentibus et mirantibus materno idiomate clamitaret :

Heere sinte Merten, heilich sant,
Goede platte mispelen wassen in u lant.
Kyrieleis.

Quem cum præpositus monasterii, ut ei indiceret fortassis silentium, facie conspiceret immutatum, vidit oculos ejus modo mirabili claros et lucidos, totamque ejus faciem splendore quodam igneo inflammatam. Qua in re tacitus ipse considerans internæ devotionis effusum spiritum, fratrem suum abire permisit sine verbo correptionis : quem non motu levitatis, sed impetu flammeæ caritatis perpendit ex ostenso sibi miraculo hoc fecisse.

[1] *cod.* enarvare.

(1) Alanus de Insulis, *Liber parabolarum,* cap. III (Migne, P. L., tom. CCX, pag. 587).

Capitulum XXI. De modo et die sui obitus.

Appropinquante autem termino suæ resolutionis, antequam finaliter lecto decumberet, fere per spatium dimidii anni continuo sedit in una cathedra, sic angariatus speciali quadam infirmitate, ut in lecto jacere minime posset. Qua tamen ægritudine non obstante, semper officio coquinæ præfuit, et quantum suffragabantur vires corporis ei totaliter se impendit. Quem, peractis aliquot diebus, cum die tertia ante ejus obitum frater Johannes de Scoenhovia, postmodum supprior Viridisvallis, sedentem in cathedra alloqueretur, eumque videns satis hilarem super sua infirmitate consolaretur, respondens ei bonus Coquus dixit dulcissimo cum affatu : *Frater, quid tibi videtur de me? An expediret quod hac vice caperem sacramentum extremæ unctionis?* Illo autem dicente : *Frater Johannes, spero quod nondum sit necesse*, ipse respondit : *Utique, frater.* Et concito petens fratrum præsentiam, cum adhuc videretur corpore validus, se ferri petivit ad commune infirmitorium. Quo statim inuncto, compos sensuum et rationis usque in finem vitæ suæ, die tertia emisit spiritum. Cujus *ossa e cemiterio in templum secus altare sanctæ Barbaræ translata sunt anno 1568, in festo Ceciliæ* (1). Dies autem emigrationis ejus ab hoc seculo, erat festum beatæ Agathæ virginis, anno Domini millesimo tricentesimo septuagesimo septimo.

(1) Hæc verba scripta sunt alia manu, prioribus abrasis, et in ipso loco priorum. — Una cum prima ecclesiola in Viridivalle erecta anno 1344 (cfr. supra, in parte prima Opusculi Pomerii, capitulum XV) sub tutela B. Mariæ et S. Joannis Baptistæ, qui titulus insigni Canonicæ Viridisvallis adhæsit, consecratum etiam fuerat cœmeterium ecclesiolæ " adjacens „ (cfr. ibidem in nota). Nova dein excitata est ecclesia, præposituram agente Reynero de Valle, de quo mox dicemus in epilogo, et anno 1395 consecrata. Quum primum cœmeterium " adjaceret „ primæ ecclesiolæ et nova ecclesia intelligi posse videatur constructa fuisse in loco ab hac diverso, credi etiam potest, ni certa documenta obstent, hoc antiquum cœmeterium in usu fuisse post majoris ecclesiæ ædificationem. In eo certe censendus est primo humatus fuisse " Bonus Coquus, „ quippe qui obierit anno 1377. Idem dicendum est de aliis undecim ex sociis Viridivallensibus qui ante eum vita functi leguntur in Necrologio ms. sæpe citato, et quorum primus est Joannes ille diaconus dictus " a Speculo „ seu " a Cureghem „, cujus Vitam aliquam in Appendice dabimus. Post incendium anni 1435, quo totum monasterium Viridivallense deflagravit, quodque occasio fuit novum ampliorem in formam exstruendi, videtur idem locus qui prius sepulturæ communi adhibitus fuisse. Licet porro tempore Philippi II, Hispaniarum regis, ab anno 1566 omnia in Belgio turbarentur, non nisi anno 1577 Viridisvallis ob metum hæreticorum desertus fuit, religiosis illius incolis in Refugium suum Bruxellense et alia in loca dilapsis. Translatio corporis " Boni Coqui „ de qua hic mentio fit, in hac luctuosa temporis intercapedine facta est, ignota nobis de causa. Anno 1585 pax reddita est; at nihilominus anno 1606 Viridemvallem monachi nostri repetentes omnia ibi circa sepulcra fratrum suorum vastata repererunt.

Conclusio per modum exhortationis ad reverentiam patrum nostrorum.

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua, per quos, eorumque sequaces discipulos, usque ad vitæ præsentis tempora Omnipotens nobis occulta suæ sapientiæ mirabilia propalavit. Homines nempe magni virtute et prudentia præditi, posteris suis narrantes carmina Scripturarum : habentes etiam pulchritudinis studium, pacem statuere in domibus suis. Quamobrem in generationibus gentis suæ gloriam adepti, in diebus suis habiti sunt in laudibus sapientum. Quorum utinam nos sequi contingat sacra vestigia, ne nobis improperet Sapientia : *Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum*[1]. *Et sunt quorum non est memoria; perierunt quasi non fuerunt.* Patres ergo nostros laudemus pariter et imitemur, ut, qui jam Christo conregnant in cœlis eis de nostra Deo digna conversatione congruat fecunditas suæ prolis, et de nobis lætentur illud audire eulogium[2] quod de justorum semine ipsis in gloriam subinfertur : *Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, et cum semine ipsorum perseverat bona hereditas. Nepotum eorum semen in testamento stetit, et filii ipsorum propter illos usque in æternum permanent. Semen eorum et gloria eorum non derelinquentur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in generatione et generationem.* Quod nobis concedat divina Sapientia, qui in Trinitate vivit et regnat unus Deus per infinita secula seculorum. Amen.

Explicit tractatus seu liber tertius :

et sic finis totius operis de origine monasterii Viridisvallis et de gestis patrum et fratrum in primordiali fervore ibidem degentium, quæ edidit fr. Henricus ex Pomerio, quondam professus in eodem monasterio, magister in artibus et clericus egregius.

[1] *cod.* ejus. — [2] *sic, pro* elogium.

APPENDIX (1).

Sequitur Planctus

venerabilis fratris Wilhelmi Jordani (2)

canonici regularis Viridisvallis

super obitu fratris

JOHANNIS DE SPECULO, alias DE CUREGHEM (3)

ejusdem cœnobii devotissimi diaconi.

[EXCUSATIO AUCTORIS.]

1. Alto quidem fretus consilio beatus pater noster Augustinus regulari nos præceptione salubriter admonet[1] : *Non carnalis,* inquiens, *sed spiritualis debet esse inter vos dilectio.* Inter carnalem quippe ac spiritualem dilectionem non minimam esse differentiam, facile perpendi potest ex diversitate fundamentorum, usuum ac finium eorumdem. Carnalis namque dilectionis fundamentum multifarium[2] est : quia nonnunquam similitudo complexionum[3], nonnunquam largitio beneficiorum, aliquando assidua familiaritas, interdum conditionis æqualitas seu parilitas studiorum. Usus vero est carnalis aliqua delectatio, secundum aliquem corporis sensum. Finis ejus intrinsecus est intentio delectandi, extrinsecus[4] supplicium sempiter-

[1] *add. hic cod.* nos. — [2] *cod.* multafarium. — [3] *cod.* complectionum. — [4] *cod.* extrinsecum.

(1) Cfr. supra, Præfationem nostram in fine. — (2) In cod. Bibl. Reg. Brux. (II, 155), in Necrologio scilicet monast. Viridisvallis, legitur ad diem IX Kl. Decembris : " *Anno Domini* MCCCLXXII *obiit frater Wilhelmus Jordani, presbyter. Quam excellens clericus iste fuerit, demonstrant libri* De tabernaculo, De nuptiis *et* De gradibus, *quos ipse in latinum de theutonico transtulit. Scripsit etiam plura, præcipue unum integrum antiphonarium in duobus voluminibus, ante præpositum locatum. Item unum integrum missale, jacens super altare apostolorum.* " — (3) Legitur ibidem, ad diem XI Kl. Octob. : " *Anno Domini* MCCCLVIII *obiit frater Johannes de Cureghem *, diaconus. Hujus vitam virtutibus plenam frater W[ilhelmus] Jordani curioso stylo neque minus veraci compendioseque depinxit.* "

* *Cureghem* vicus est prope Bruxellas.

num. Spiritualis autem dilectionis fundamentum Christus est. Usus, laus et honoratio Dei, mutuaque fraternæ salutis procuratio. Finis, vita æterna. Illa igitur, quia corruptibilibus innititur fundamentis, ruibilis est ac destructibilis; hæc vero, quia perpetua firmæ petræ soliditate sustentatur, inconcussa et stabilis permanet in æternum. Illa saltem morte dissipatur; hæc autem amplius morte confirmatur. Illa cum unius amore alterius compatitur odium; hæc vero, odium abhorrens, tam amicos quam inimicos brachiis amplectitur caritatis. Illius incentor caro est, vel diabolus; hujus auctor Spiritus sanctus. Et ut breviter concludam, hæc bona, illa mala est. Bene ergo dicitur: *Non autem carnalis,* etc. — Sed notandum proinde est spiritualem dilectionem et puram esse et impuram. Pura quidem puro ac nudo innititur fundamento, nec carnale seu naturale aliquid compatitur. Illa divinæ perfectionis est imitatrix, quæ simplici bonitatis intuitu solem dilectionis suæ oriri facit super bonos et malos, distinctivo vero ac discretivo respectu secundum hoc dumtaxat singulos singulariter diligens, quo vicinius quisque divinam participat bonitatem; ista plerumque naturalem admittit affectum. Illa oculis arentibus cordisque placore amicos conspicit expirare; hæc, amica mota mœstitia, pias lacrimas continere non potest. Illa immobili patientia dicit: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*; hæc naturali quadam tristitia proclamat: „ Pium est gaudere Martino et pium est flere Martinum. „ Illa sicut perfectorum est et in spiritu totaliter absortorum, ita est et paucorum; hæc autem apud modernos communior habetur et usitatior, ut videtur. Nec idcirco impuram eam appellaverim, quod sit peccati fuligine maculata, sed quia est naturalis affectus, exterius quidem nitidi, conspersione commixta, et non omnino in puritate mentis sed in affectione quoque consistit cordis. Cui [1] forte nec sacra Scriptura nec ratio contradicit. Quis est enim tam abstractæ puritatis, qui non ex aliqua parte vel occulto naturalis similitudinis impulsu seu beneficentiæ gratitudine aut ultro exhibitæ amicitiæ vicissitudine moveatur? Verum, quamquam in hac passione partim veniam mereatur humana fragilitas, conare nihilominus, anima mea, ad illam pertingere puritatem quæ, exclusa omni naturalis affectus aspergine, divinæ se perfectioni nititur quantum possibile est in omnibus conformare. — Porro spiritualis quælibet affectio ad unum tendit finem, ad vitam scilicet æternam, ad quam fideles servuli sperant divina prædestinatione post hujus vitæ terminum spe mutua pervenire, atque inchoatam in hac miseria veram dilectionem in æterna beatitudine consummare. — Cumque hæc breviter dicta ita se habeant, poteram quidem

[1] *cod.* tui.

super obitu tuo, mi frater, consolari, si tamen rationem admitteret vis doloris. Pium est mihi sane gaudere de te, et nihilominus flere. Et quidni fleam, frater carissime, immatura et florida adhuc ætate tam insperate [1] ac subito te sublatum. Raptus quidem es, ne malitia mutaret intellectum tuum, aut ne fictio deciperet animam tuam. Consummatus in brevi, explesti tempora multa : placita enim erat Deo anima tua. Jure quippe deflere debeo me amisisse [2] solatium vitæ meæ, antidotum mœstitiæ, fomentum lætitiæ, recreationis refugium, asylum pacis, stabilitatis patrocinium, omnium virtutum spectaculum et exemplum. Neque enim quisquam sanæ mentis superstitiosum causabitur tantam me deflere jacturam.

[NOMEN, VOCATIO, DOTES DEFUNCTI.]

2. Recte prorsus nomen tuum Johannes erat, et materno cognomine *de Speculo* cognomentum. Spiritus quidem sanctus, genitor filiorum Dei (ex aqua namque et Spiritu sancto fideles in baptismate renascuntur), ipse ab ineunte ætate tuam possedit animam tanquam thronum humilem et quietum, trementemque sermones divinos. Nutrix vero gratia, gremio te munditiæ confotum atque in adultam perductum ætatem, huic te loco, divinis apto servitiis, velut alumnum carissimum sub disciplinæ regularis jugo mancipavit, morum insigniis redimivit virtutumque speculum nobis dedit. Patere igitur, carissime, threnosis me enarrare suspiriis quid te non tantum mihi, sed cunctis fratribus reddiderit amabilem, et affabilem universis. Natura te siquidem decoravit, gratia sanctificavit, et nunc gloria æterna beatitudine decoravit. Quidni illa tua venusta facies, florido frequenter verecundæ mentis indicio, suffusa rubore, caput crispanti crine coruscum, licet incultum et ex frequentibus laboribus densitate pulveris lutulentum, staturæ quoque proceritas veneranda : quidni, inquam, illa, quæ sola spectaculum præbebant obtutibus, operatricem naturam commendabilem teque cunctis videntibus fecerant gratiosum? Fateor, carissime, illam tuam dulcem faciem, tuumque illud gracile [3] os, pii risus amœnitate floridum, efficaciam mihi sæpissime dedisse ac præbuisse smaragdi, sui gratiositate aspectus fugando tristitiam, lætitiam excitando. Putasne, mi frater dilecte, unquam me visurum illam tuam faciem tam formosam? Spero utique, spero per Dei misericordiam conspecturum [4] me illam ineffabiliter gloriosam : atque hæc spes cor meum mœstum longinquo solamine aliqualiter refocillat.

[1] *cod.* inspirate. — [2] *cod.* amisse. — [3] *cod.* gratile. — [4] *cod.* conspecturam.

[VIRTUTUM EJUS CONSPECTUS.]

3. Verumtamen nec sic conticescam; quin potius enarrabo ad meam consolationem quibus te gratia morum divitiis opulentaverit ac virtutum. Scio equidem, scio te de meis laudibus non superbiturum : et ideo, si quid in te laudabile repperero, non silebo. Igitur illam tui cordis humilitatem quibus depingam coloribus? Nempe verecundia, taciturnitas, amor solitudinis, mititas, mansuetudo, pietas, benignitas, patientia, obedientia, frugalitas, castitas, orationum instantia, discretio ceteræque virtutes : hæc, inquam, beata progenies in te commendat humilitatem matrem, et caritatem [1], filia genitricem. Non solum enim inter extraneos (quod raro accidit), sed et inter familiares fratres consistens, humilem mentis verecundiam declivitate vultus, rosæ suffusi rubore [2], monstrabas.

[AMOR SILENTII ET FUGA VANITATIS.]

4. Taciturnitatis tuæ quoque testem mecum invoco Deum, quod nunquam vel raro, nisi interrogatum ob certæ [3] utilitatis causam, et hoc cum affabilitatis ac humilitatis dulcedine, prout in eloquentia valuit, te meminerim esse locutum. Amorem præterea solitudinis mihi probat jugis cellæ in regularium intervallorum vacationibus immoratio:in qua, clauso super te ostio, aut legebas aut orabas aut scribebas; aut certe illuminabas libros noviter scriptos eosque vermiculabas, seu, ut communiter dicitur, florabas. Quod opus ita per te didiceras [4], ut vix in tota Brabantia quantum ad ipsam simplicem substantiam tui similis haberetur : quia bestiarum figuras vel hujusmodi, aliquam vanitatem redolentia, omnimodis refutabas depingere; sed tantummodo Domini crucifixi seu Matris virginis aut alicujus sanctorum imaginem, rogatus vel devotione invitatus, cum summa reverentia depingebas. Raro te vidisse me memini cum fratribus otiantem; sed interdum, inter otiosos et fabulantes existens, tacendo aliquid actitabas : puta, sipabas panem gallinis, quarum curam gerebas, aut aliqua legens orabas.

[CONSTANTIA IN LABORE.]

5. Ita tamen cellæ solitudinem diligebas, ut nullum fugeres communem cum fratribus subire laborem. Nam fœni vel messis aut alterius cujuslibet operis tempore evocatus, promptum te ac strenuum exhibebas, et notabiliter plus aliis, indefessis conatibus, cum summo

[1] *sic.* — [2] *cod.* robore. — [3] *cod.* certi. — [4] *cod.* dideceras.

vero silentio, laborabas. Non parcebas membris, licet grossis, assiduo tamen pœnitentiæ labore debilibus; sed, quasi non fuisset aliud opus futurum, ita vires tuas in præsente opere effundebas. Inter hæc quoque est tua longanimitas collaudanda, quod scilicet nunquam propter speciale opus injunctum a communi opere vel a servitio Missæ per aliquam excusationem te subtraxeris : sed ad illud paulatim explendum optima temporum intervalla cum humili longanimitate captabas.

[DEVOTIO ERGA ÆGROTOS ET FACILIS OFFENSIONUM VENIA.]

6. Porro mititatem cordis et animi tui mansuetudinem attestatur palam incessus tui maturitas, morum gravitas, verborum lenitas, omniumque gestuum tuorum disciplinosa compositio. Pietatem vero ac benignitatem tuam monstrabat ipsa tua dulcis affabilitas omnibus æqua, infirmorum sedula visitatio, et ipsa pervigil pernoctatio qua circa infirmos, non rogatus sed rogans, non jussus sed jussionem supplicatione præveniens, vigilabas ac benigne ministrabas. Unde, mi dilecte frater, si ego nunc aliqua ægritudine decumberem, quis circa me vigilaret? Certe nullum te potiorem vigilem [1] elegissem. In patientia quoque tua animam tuam possedisti, quoniam non recordor me unquam te vidisse iratum vel alicui justæ [2] offensionis causam intulisse, sed meorum vel cujuspiam alterius durorum verborum seu indignationis injuriam, quibus diabolico instinctu sibi invicem cohabitantes excedunt, cum summa patientia æquanimiter tolerasse. Cujus æquanimitatis mihi dabat indicium tua humilis taciturnitas et æquiformitas faciei. Neque enim magnam a quoquam patiebaris injuriam, qui tam cordialiter ab omnibus amabaris.

[OBEDIENTIA.]

7. Obedientiam tuam, carissime, ac voluntatis mortificationem tui testantur prælati, testatur et frater Reynerus (1), supprior, et tuus ab ingressu Ordinis magister pariter et confessor, cui ad nutum, ut testatus est, et absque contradictione et defensoria argumentatione seu excusatoria ratione in cunctis præscriptionibus obedisti. Testor et ego, contestem invocans cuncta scientem, quod te nunquam cognoverim, nisi humiliter et rationabiliter ac utiliter, etiam minimi fratris voluntati vel precatui restitisse.

[1] *ita videtur legendum ; cod.* vigile. — [2] *cod.* injustæ.

(1) De hoc Reynero vide citata paulo inferius in Epilogo nostro.

[MORTIFICATIO CORPORIS.]

8. Triplicem proinde frugalitatem notavi : temperantiam scilicet cibi et potus, brevitatem dormitionis ac omnimodam abstinentiam calefactionis, etiam tempore hiemali. Ita enim temperatus eras in mensa, ut, apposita indifferenter comedens, superflua et quæ sanitati putabas esse contraria modis omnibus refutares, ita semper alimenta quasi medicamenta sumens. Vinum raro, nisi jussus, et tunc modico haustu contentus, quasi libans potabas. Longas quoque solebas longo tempore celebrare vigilias et usque ad finem vitæ, ut credo, continuasses, nisi eas magistri tui prohibitio breviasset. Hiberno vero tempore, cum glaciale frigus fratres destinaret ad ignem, te superare non potuit, quia raro, die vel nocte ad cellam fugiens [1], propinquabas ad ignem, cum tamen esses tenuiter tunicatus [2] et raro pelliciatus, ita ut vultus algore rubesceret manusque nigrescerent ac tremeret totum corpus. Et si aliquando considebas aliqua occasione ad ignem, extendebas paululum manus, pedes autem præ verecundia demissis vestibus contegebas [3].

[FUGA MULIERUM.]

9. Inter hæc venena lasciviæ, puto, non habet opus tua virginalis castitas laudis suffragia mendicare, etiam confessoris tui proditio [4], quam oculotenus [5] in te conspecta munditia præconizat. Nam ob quam aliam rogo causam tuum illud gracile mentum usque ad finem vitæ permansit imberbe [6], tenui tantum et quasi invisibili respersum lanugine, cum triennio te juniores jam diu barbuerant, nisi quia ab infantia tyrannus ille pudicitiæ, virilis intepuerit calor? Et, cum hæc tua virginea puritas in te coaluerat [7], adeo ut tibi appareret quasi angelis [8] naturalis, tamen eam tam vigilanti custodia muniebas, ut non solum cum muliere loqui sed et eam conspicere aut ab ea conspici quantum poteras evitares. Impersuasibilis tibi ob hoc erat matris tuæ ac sororum virginum visitatio, ne vel tenuissimo terreni pulveris nævo animæ tuæ puritas fuscaretur. Hoc namque inter cetera probitatis tuæ præconia fratres venerantur et prædicant, quod post Ordinis ingressum semel tantum, non tamen visitationis sed ordinationis gratia, Bruxellam, nativitatis tuæ atque maternæ commorationis oppidum, adieras : et tamen ex hoc solo querebaris me audiente magnam te tranquillitatis tuæ pertulisse jacturam.

[1] et *add. cod.* — [2] *cod.* tunicatis. — [3] *cod.* contigebas. — [4] *legendum forsan* confessoris tui testimonio prodita. — [5] *scripserat prius* occultemus, *sed statim punctis delevit.* — [6] (imberbe) *cod.* in barbe. — [7] *sic cod., pro* coaluisset. — [8] *cod.* angelus.

[JUGE ORANDI STUDIUM.]

10. Hac itaque tam cordis quam corporis virginali puritate coruscus, poteras nimirum, mi frater dilecte, mundas semper ad Deum preces porrigere atque illud apostolicum, quod soli mundicordes, adimplere mandatum, quo dicitur : *Sine intermissione orate.* Solebas enim, ut familiari colloquio mihi dixisti, in continua te Dominicæ passionis meditatione exercere et secundum varietatem pœnarum *Pater noster* vel orationem aliquam adaptare. Vere, dilecte mi, ita te in illis petræ foraminibus, Christi scilicet vulneribus, velut simplex et immaculata columba jugi commoratione cubaveras [1], ut ne minimam quidem spiritualis ac religiosi decoris tui pennulam accipiter ille nequissimus se gaudeat evulsisse. Nonne et tu quoque, pridie obitus tui diem, volens infirmitatis tuæ causam pro tua æstimatione detegere, revelabas priori consuevisse te post Matutinas, longa [2] valde genuflexione fatigatum, retrorsum talis tuis pausationis gratia recedere atque inde tibi inguinarias glandes ortas esse? Et, cum hic orationum labor tuus extrinsecus nos latuerat, solum Deum nosse arbitror qua illi devotione intrinsecus adhærebas. Testatur hoc ipsa summa reverentia qua, me vel alio quovis sacra mysteria celebrante, te vero diaconizante, sacris altaribus devotissime astitisti, ita ut post depositionem corporalis et calicis in altari, tacto interim aliquo non sacro, non nisi relotis manibus præsumeres ea denuo contrectare.

[CULTUS PAUPERTATIS RELIGIOSÆ.]

11. Ceterum qua fide votum paupertatis servaveris [3], indiciis evidentibus innotescit. Nec enim mundanarum contemptus tantum possessionum vel (quod nobis commune est) proprii cujuslibet omnimoda abdicatio, promissam te pauperiem servasse testatur; verum etiam ipsorum tuorum utensilium annositas, vilitas et neglectio, proprii quoque corporis incuria insinuant teipsum cum rebus transitoriis quodammodo postergasse atque ad ea quæ in ante sunt totum te esse cum alacritate extentum. Nempe tunicarum, caligarum, calceorum ceterorumque tui corporis utensilium vilitas et vetustas, strati quoque incompositi durities ac cellæ indecora neglectio (ut de corporis tui incuria sileam), paupertatis in te sufficienter amorem commendant. Verumtamen, etsi ipsa tui corporis utensilia in se viluerant, nunc tamen habita sunt ob tui gratiam pretiosa, ita ut

[1] *cod.* tubaveras. *Num intendit scribere* tumbaveras ? — [2] *cod.* longe. — [3] *cod.* servaveras.

sotulares tuos binos pluries repetiatos et corrigiam [1] per te resubulatam ac repetiatam quidam extranei seculares reliquiarum loco venerentur, necnon et ligneam tuam quinquagenam una sororum tuarum ob tui amorem reverenter conservet.

[DISCRETIO IN VIRTUTUM EXERCITIO.]

12. Inter hæc autem virtutum tuarum insignia semper mihi grata erat ipsa virtutum omnium conditura, tua videlicet discretio : qua revera ita pollebas, ut absque tuæ diligenti examine rationis tuorumque seniorum judicio nihil præsumeres faciendum, ita in omnibus columbinam simplicitatem retinens, ut non amitteres prudentiam serpentinam. Ita quoque corporis tui valitudinem semper custodiens, ut tamen omnia carnis oblectamenta viderentur tibi in amaritudinem conversa esse. Scio enim a principio te solitum fuisse appositum tibi cibum multo sale aspergere; atque, cum hoc tibi a præposito propter pectoris passiones [2] fuisset [3] prohibitum, nunquam vel cibum aliquem nec ovum quidem salivisse de cetero, licet insulsum : ut cum abundanti obedientia salvares pariter corporis sanitatem, parvipensa cibi insipientia. In quo quidem uno quædam virtutum trinitas commendatur.

[CARITAS ERGA DEUM.]

13. His utique virtutum coloribus est tua gratiose satis atque pulcherrime adornata humilitas verecunda, quæ in cunctis gestibus tuis super omnes virtutum tuarum gemmas tanquam margarita pretiocissima gratius præfulgebat. In his tam præclaris virtutibus, ipsa sine qua nihil est validum, nihil sanctum, beata in te caritas sole fulgentius radiabat, utpote quem Pater cœlestis velut alterum Joseph præ ceteris fratribus ornaverat tunica illa talari et polymita. Hic, inquam, mi dilecte frater, virtutum gratissimus decor te mihi fecit amabilem valde et universis te videntibus gratiosum. In incessu namque et habitu, atque in omnibus motibus tuis, nunquam mihi visum est quidquam fieri quod cujusquam potuisset offendere aspectum, sed quod omnium te videntium in te provocaret affectum. Verum hæc mea tuæ sanctitatis laudatio confundit merito caput meum, dum ea quæ in te miror et prædico meis improbis moribus vituperare non cesso.

[1] *cod.* corrigia. — [2] (propter p. p.) *cod.* prop peccatoris passionis — [3] *add. ex conjectura.*

[ULTIMUS MORBUS ET PIUS OBITUS.]

14. En, hucusque, dilecte mi frater, te solem nostrum præfulgidum, nostrum emisperum illuminantem, descripsi: sed heu! nunc accedit oratio ad occasum, ad horam videlicet illam dolorosam in qua nos corporaliter mors separavit. Quarta autem feria orto in inguine [1] epidimiali [2] apostemate, quo apud Bruxellam multi obierant, languere cœpisti ac die tertio, sexta scilicet feria, nata te ignorante in dextra scapula quadam subrufa letiferaque macula quasi fustigationis impœdatura morbus invaluit, adeo ut propter inanitatem capitis, cerebro jejuniis ac vigiliis rarefacto, in verbis aliquantulum phreneticare monstrares. Quo audito ac postea oculotenus perspecto, de tua mox convalescentia desperando, ita cor meum tuæ mortis occupavit imago, ut fierent mihi lacrimæ meæ panes in prandio; nec solum mihi, sed et fratri Reynero, magistro tuo, qui te in mirum [3] tenerrime diligebat. Post prandium vero, congregatis fratribus, fugata divinitus phrenesi, confessus, corpus Domini cum magna devotione sumpsisti; et post hoc, statim extrema unctione recepta, ad mortem te disposuisti, atque tuæ ætatis anno .24. et mense sexto, ab ingressu vero Ordinis anno septimo et mense 2°, anno vero Dominicæ Incarnationis 1358, in die beati Matthæi evangelistæ, cujus frequenter evangelium cum summa reverentia humilis levita legeras, circa horam Vesperarum ad vitæ vesperam veniens, noster nobis lucifer occidisti.

[DESIDERIUM QUOD SUI FECIT.]

15. O quantus putas, carissime, tunc luctus omnium, quantus præcipue affectu te præcipuo diligentium, quantus denique omnium te cognoscentium, qui primæ tuæ celebrationi, cum fueras anno proximo ad sacerdotium promovendus, ob tui gratiam speraverant interesse! Quantum putas quoque tunc meum cor repletum fuit mœrore, cum viderem illam gratiosam faciem mortis pallore perfusam? O quantum solatium me amisisse nunc sentio, amisso te, quem cordialiter diligebam! Quis nunc, dilecte, loco tui pro me sariet rosarium, et quam nuper plantavimus areolam fragorum? Heu! sublatum sarculum meum; nec spero me aliud simile habiturum. O quanta adhuc agitatur mœstitia cor meum, cogitans illam formosam faciem subterratam vermibus scaturire!

[1] *cod.* virgine. — [2] *cod.* epydumiale. — [3] *sic, pro* mirum in modum *vel* nimirum.

[FAMA APPARITIONUM.]

16. Nunc igitur, si sic necesse est, putrescat caro et corpus, obducto [1] lapide sepulcro; et ego ut potero quo spiritus devenerit indagabo, ut, æterna animæ tuæ felicitate comperta, tanto mihi sit gratius gaudere de te, quanto de tuo recessu fuerat flere gratum. Mox enim, ut pie credo, illa tua impolluta anima, de casti corporis tabernaculo egressa, sanctorum est collegio sociata atque in cœlesti rosario rosa candidissima complantata. Quid, si quisquam mihi dixerit sperare quidem hoc posse, diffinire vero non posse, cum alia sint judicia Dei, alia hominum nesciatque homo an quis dignus sit amore vel odio? Quam ergo fidem accommodabo, frater dilecte, visionibus illis quas quidam [2] frater laicus priori (1) in confessione semel veraciter atque iterum adjuratione astrictus se vidisse revelavit? Dixit enim, te agonizante sibi in ecclesia orationis gratia constituto, apparuisse quoddam lumen mirabile, duobus angelis hinc inde vallatum, raptimque ac subito pertransisse. Cum ob hoc esset animo consternatus incidissetque mox menti ejus te expirasse atque animam tuam sibi in specie luminis ostensam atque ab angelis vallatam [3] in cœlum deferri, venit quidam subito te nuntians obisse. Idem frater quoque confessus est se vidisse in die exequiarum tuarum inter Missarum solemnia diaconum quemdam juxta tuam staturam, indutum tunica supra humanum modum præfulgida, conversantem inter alios altaris ministros. Quem cum in facie videre cuperet, sed illo se avertente nequiret, tandem in fine Missæ eum [4] ex obliquo respicientem conspexit, tibique similem esse advertit. Quid, inquam de his, frater dilecte, sentiam visionibus? Putabone adjuratum fuisse mentitum? Cum etiam peccatori cuilibet, alias mendaci, sit tam pro se quam contra se in confessione credendum. Absit! Neque enim vita tua visionibus contradicit.

[SPES SCRIPTORIS.]

17. Credo utique pia fide ac indubitata animam tuam angelico ministerio divino mox fuisse conspectui præsentatam atque ab eo cum ineffabili gratulatione susceptam et æternæ beatitudinis gloria coronatam. Tunc, puto, invitavit te sacer ille chorus virginum, dicentium : *Mane nobiscum, Deo dilecte, in æternum, quoniam in tua virginea puri-*

[1] *cod.* abducto. — [2] *ita videtur legendum ; cod.* quidem. — [3] *cod.* vallatum. — [4] *ita videtur legendum ; cod.* quem.

(1) Hic prior erat B. Joannes Rusbrochius.

tate castum Deo habitaculum præparasti. Invitavit te quoque gloriosus ille confessorum chorus et præcipue monachorum conventus, dicentium : *Mane nobiscum, purissimum speculum monachorum, quoniam per regularium votorum perfectam observantiam factus es insigne triclinium sanctissimæ Trinitatis.* Angeli vero te, angelicæ puritatis consortem, ineffabili quoque tripudio invitarunt; nec non, quia expletis sex annis regularis conversationis septimum intraveras teque Spiritui sancto thronum humilem et quietum [1] exhibueras, non immerito ad eum qui Thronorum dicitur septimum chorum, ut pia ratione [2], deduxerunt.

[NOVA COMMENDATIO DEFUNCTI.]

18. Lætatus itaque sum, carissime, in his quæ dicta sunt mihi, quoniam, in domum Domini nostri ductus, pretiosa primitia feliciter introisti. Nos enim, licet inviti [3], mandatum istud servavimus quo ad opus Moysaici tabernaculi jubebatur populus offerre optimum et pretiosius quod habebat, dum ad ædificationem cœlestis Hierusalem te, nostram pretiosissimam et singularem offerimus margaritam.

[POSTULATIO.]

19. Tu ergo, ex quo a facie tua gloriosa ipse humilis verecundiæ tuæ rubor abstersus est, accede cum fiducia ad thronum gloriæ, tam pro me quam pro aliis fratribus tuis, de tuo recessu pie dolentibus, piissimam divinæ bonitatis clementiam exoraturus, quatenus dignetur nobis de tuæ humilitatis gratia vel unam saltem guttam infundere quo, sicut ad nostram societatem ærumnosam quondam venisti, ita quoque ad tuum gloriosum consortium mereamur aliquando pervenire. Eia euge nunc, vere mi dilectissime frater; gaude gaudio magno et sempiterno, meque illi recommenda quem vides, quem amas, quo frueris, quo beatus es, cui quoque æterna caritate inseparabiliter es unitus : qui est benedictus, laudabilis, gloriosus et superexaltatus Deus in secula seculorum. Amen.

Explicit planctus venerabilis fratris Wilhelmi Jordani, canonici regularis Viridisvallis, super obitu fratris Johannis de Speculo, alias *de Cureghem,* ejusdem cœnobii devotissimi diaconi. Qui obiit anno Domini M°CCCLVIII, ipso die beati Matthæi evangelistæ.

[1] *cod.* quietam. — [2] *supple v. g.* credimus. — [3] *cod.* initi.

EPILOGUS.

Judicio lectoris qui opusculum Pomerii de Viridivalle perlegerit, subjicimus alterum argumentum quo firmatum volumus ea quæ statuimus in Præfatione de Vita beati Joannis Rusbrochii a Sconhovio conscripta.

Desumitur hoc argumentum ex Necrologio jam sæpe citato. Etenim una eademque manus, quæ prima est, inscripsit huic Necrologio inter alia tum " Commemorationes fratrum „ tum " Catalogum fratrum choralium. „ Catalogum fratrum choralium confecit usque ad num. 62, sub quo venit : " *Johannes Wyssonis, de Leydis, supprior in Eemsteyn. Vocatus et electus anno Domini* M°CCCC°XIIII°, *mensis septembris die tertia, est in tertium priorem et sextum prælatum hujus nostri monasterii.* „ Verum ibi ALIA MANUS addidit sequentia : " *Sed absolutus, ad monasterium suum* (scilicet Eemsteyn) *reversus est.* „ Hoc autem additamentum factum est post diem 3 septembris 1416, quandoquidem præfuit Johannes circiter annos duos (1).

Hæc eadem prima manus inscripsit " Commemorationes fratrum „ usque ad 16 maii 1415 ; et a die 25 septembris 1417 alia manus, quæ secunda est, apparet.

Age jam, in parte Necrologii a primo auctore exarata legitur, ad diem quartum januarii (fol. 35r) : " *Item anno Domini* MCCCCVIII *(secundum stylum curiæ Cameracensis) obiit venerabilis pater Dominus Reynerus de Valle, secundus præpositus hujus monasterii. Ad quantam perfectionem iste pervenerit qualiterve vixerit, quidque in quibus profecerit, si scire volueris, perlege Vitam Domini Johannis de Rusbroeck, primi prioris nostri, et prædicabis Deum in sanctis suis etiam nostris temporibus fore mirabilem.* Præterea ad diem decimum quartum martii (fol. 52r) : " *Anno Domini* MCCCXCVI *obiit frater Walterus, dictus Neve, de Heyst, presbyter. Quantæ scrupulositatis iste fuerit conscientiæque suæ sollicitus explorator, scire volenti detur recursus ad gesta Domini Johannis de Rusbroec, primi prioris nostri.* „ Jam vero non potest censeri auctor Necrologii remittere hic ad Vitam Rusbrochii auctore Pomerio, in qua nec de Reynero nec de Waltero ulla mentio fit ; sed, quoniam ad diem 4 decembris inscribens " obitum „ beati Joannis (citavimus verba initio Præfationis nostræ), aperte loquitur de ejus Vita a Sconhovia conscripta, ne verbum quidem addens de Pomerio, haud absurdum est contendere primum Necrologii auctorem ante scribendi finem fecisse quam Pomerius opus suum ederet. Alias enim hujus operis mentionem minime omisisset, quippe qui in ipsa Viridivalle intra 16 maii 1415 et 25 septembris 1417, immo ante 3 septembris 1416 Necrologii primam partem scribendi finem fecerit, ut modo ostensum est.

Ex his tandem ulterius sequeretur Pomerium non intra annos 1414 ac 1421, sed intra annos 1417 ac 1421 Vitam Rusbrochii scripsisse.

(1) Cfr. fol. 8r, sub rubrica " Nomina prælatorum qui huic monasterio præfuerunt. „

TRANSLATIO

CORPORIS SANCTÆ CHRISTINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

e castro Sepino Panormum seculo XII.

Sub hoc titulo transmisit nobis documentum a se descriptum ex Lectionario exarato sub finem seculi XIV et asservato in thesauro Ecclesiæ Cathedralis Panormitanæ, R. D. Aloysius Boglino, cui jam debemus Acta sanctæ Olivæ. Cfr. supra, p. 5. De hac autem translatione sanctæ Christinæ cfr. *Act. SS.*, ad diem 24 julii (tom. V, p. 498), Comment. Præv. § III.

Lectio i. — Igitur, regnante felicis memoriæ victorioso Guillelmo, famosissimi regis Rogerii filio, et præsidente Panormitanæ sedi Hugone, dignæ recordationis antistite, factum est verbum, absque dubio Domini, de reliquiis martyrum in commune. Et assidentibus multis contigit nobilem virum comitem Hugonem, qui Molisanus appellabatur, illi tunc interesse frequentiæ et qui ferebatur in medio de reliquiis audire sermonem. Qui, se quasi de munere jactans, indicat in terra ditionis suæ pretiosum corpus sanctæ martyris haberi Christinæ, in castro quod Supinum dicitur, circumdatum. Audiens hæc pontifex memoratus, cœpit ab eo diligenter inquirere unde vel ex quando illuc venerabile corpus et qua de causa, cum is locus passionis suæ non esset, delatum aut conditum crederetur. Tunc ille fuisse quemdam in ecclesiola presbyterum asserebat, qui, gravi morbo diutissime fatigatus, nullo poterat medicorum remedio liberari.

Lectio ii. — Is fratruelem habebat ejusdem professionis, in Romana curia clericum : cui suppliciter scribit, obsecrans aliquas sibi reliquias mitti, patrocinio quarum [1], ubi humanum defuerat auxilium, cœleste sentiret. At ille, cupiens satis facere [2] petenti, quia palam non poterat, rapere furtim attentat, inventumque corpusculum de sacello, totum ut erat (dubium religiosus magis an sacrilegus) asportat [3], sperans

[1] *cod.* quorum. — [2] *cod.* satis dare. — [3] *cod.* asportaverit.

ut dicitur illud se unde venerat relaturum. Sed, Deo nobis melius, sicut existimo, providente, clericus idem, morte præventus, quod attulerat referre non potuit. Presbyter autem sacras reliquias omni cum veneratione suscipiens, juxta modum suum apto in locello composuit, multosque per annos, recuperata corporis sanitate, summa curavit diligentia custodire : metuens hoc ipsum patefacere cuiquam, ne forte vel tamquam sacrilegii conscius pœnas exsolveret, vel, raptum restituens, tanta consolatione fraudaretur. Tandem vero perductus ad mortem, quia celare ulterius non licebat, uni de compresbyteris secretum hujusmodi revelavit. Et tempore procedente, frequentia miraculorum cunctis paulatim innotuit.

Lectio iii. — Et prius quidem ab ejusdem loci ac deinde venerari ab omnibus cœpit. His auditis ex ordine, Panormitanus antistes rogat obnixe nobilem virum quatenus pro sua suorumque salute præfatas reliquias, quæ minus idoneo servabantur in loco, ad matrem ecclesiam Panormitanam concederet deferendas. Ille se libenter facturum : sed impossibile arbitrabatur propter rusticanam manum, quæ se prius periculo daret quam sacras asportari reliquias pateretur. Sed aspirante cœlitus Domino, qui omnia quæ voluit fecit, sic actum est consilio et favore paucorum quod sine tumultu et conscientia populi beatissimum corpus de sacello sublatum Panormum usque transmissum est. Cui clerus et populus, virgines et maritatæ, totaque simul civitas, cum cereis et lampadibus, cum hymnis et laudibus obviam trans pontem processit. Thesaurum repertum in agro in domum Domini reverenter advectum, arca locavit argentea, ad gloriam Christi et civitatis nostræ perpetuum munimentum. Ubi sacræ martyris interventu pie salutis dona petentibus large subvenitur a Christo, qui sui nominis testes et angelis, nec immerito, et hominibus statuit honorandos. Habetur igitur celebris dies translationis ipsius Nonas Maias; passionis autem festivitas decimo Kalendas Augusti.

MIRACULA S. REMIGII

EPISCOPI REMENSIS

SECULO XIV

ex codice Bruxellensi 5538-39.

Decessores nostri ad finem Actorum beatissimi Remigii (1) monent anno 1349 miracula non pauca meritis ejusdem patrata fuisse. Quæ tamen distincte enarrare non valuerunt, quod documenta deficerent. Neque enim præsto eis erat compilatio quam ad sancti Francorum apostoli memoriam celebrandam confecit, ut verbis utamur scriptorum *Galliæ Christianæ*, in Commentario de S. Remigio citatis (2), " Nicolaus Picardus de Larisvilla, qui multos sermones ineditos condi- " dit, tum vitam et miracula S. Remigii politiore stylo donavit, haud infacundus " seculi decimi quarti scriptor. „ Compilationem istam reperimus in codice Bruxellensi signato num. 5538-39. Ex hoc itaque codice (quem mox describemus distinctius in Catalogo nostro codd. mss. hagiograph. Bruxell.) prædicta miracula nunc proferimus, quæ leguntur in eo fol. 46^{v}-50^{r}, alia nonnulla ex eodem de S. Remigii gestis et cultu forte mox edituri.

Miracula sanctissimi Remigii.

1. Ut abdita [1] Cunctipotentis magnalia fidelibus populis pandantur compertaque jubilentur, ut etiam populus suum verum artis medicinalis opificem agnoscat, profecto quoniam sera medicinalis operatio tum quamplures homines inficit, tum quamplures opprimit, miracula quædam quæ per gloriosum Francorum apostolum ac protectorem nostrum Remigium noviter, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, tempore domni Johannis de Crannis, Remensis archiepiscopi, auctore Deo sunt operata, licet multis seclusis, non omnibus originaliter compaginatis, istis consonantiæ causa sic protensis, litteris curavimus mancipare.

[1] *ita videtur legendum ; cod.* addita.

(1) *Act. SS.*, tom. I Oct., p. 187, num. 9. — (2) Ibid., p. 64, num. 28.

2. Anno igitur supradicto, æstatis tempore funesta fines istos epidimiali veraciter lue occupante, mulier quædam Isabella nomine, Johannis de Meldis Remis manentis filia, horribilem in angulis gestans gibbum, epidimiali fœditate totaliter obsessa, ob durissimos ægritudinis nexus invalescentis loquelam amiserat. Hæc siquidem vitali spiramine destituta, extra lectum fuit posita et cooperta secundum personæ defunctæ morem, quasi protinus inhumanda. Cujus autem patrem dolor incutiebat non modicus. Lacrimosa vero propter filiam suam erumpendo suspiria, unde precibus indefessis beatissimum inquietans Remigium, promisit denique ad ejus ecclesiam flexis genibus ac nudis manibus accedere, si eam pristinæ redderet sospitati. Nec mora ad filiam conversus, quam firmiter mortuam æstimabat, sic eidem ait puella : *Pater mi, ubinam sunt, qui volebant me sepelire? Pater meus, sanctissimus Remigius, me supra caput pupugit, sic dicens: " Surge, filia mea, tu non es mortua. "* Tunc igitur de funereo mox languore surrexit, gibbo dissipato incolumis et jocunda. Pater autem ejus gestiens, quæ promiserat, ascita filia sua, devote persolvit, Deo et sancto Remigio gratias referens lætabundus.

3. De patre gesta pia negligentia quæ caligavit,
Pagina nostra dolet, lætus amorque gemit,
Lucida quæque micant. Nec inertia nos maculavit :
His quia præstat opem, quos amor ejus alit.

Unde hujus anni concursu, æstatis tempore, quidam juvenis Pressonnus nomine, cujus mater Maressonna vocabatur, tribus gibbis epidimialibus interceptus, duobus autem in angulis alteroque sub brachio sævientibus, ante beatissimi Francorum apostoli sepulcrum ab amicis est devectus. Cumque lacrimis percurrentibus preces ubertim fu[n]derentur, gibbis evanescentibus perfecta sospitate subito potitus est.

4. Et quia libenter memoriæ traditur quod ad laudem diffunditur Salvatoris, homo quidam de Remis, Pressonnus nomine, crudeli trium gibborum epidimialium clade graviter attritus, ipsius votis parentumque ad sanctum Remigium suorum comitatu amicorum accessit. Ut autem ante sepulcrum pervenerunt, promissis adimpletis, orationibus protelatis, sanitatem illico obtinuit corporalem. Indeque domum remeans, matri suæ dixit : *O mater mea, infortunio ignoto sub altero brachiorum æstuantem caloris ardorem patior.* Nimio pavore deprehensus, digressus itaque, matris parentumque concilio fretus, reciproco gradu ante Francorum apostoli sepulcrum rediit oraturus. Ubi cum ipse dicendo septem psalmos pœnitentiales genibus flexis, ac parentes ejus aliquantulum orassent et orationibus finem dedissent, ab omni se sensit corporis molestia penitus liberatum.

5. Nec enim desperandus est ægrotus, ubi tantæ eminentiæ medi-

cus reperitur. Die vero Veneris post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum, homo quidam de Estreis in Therasca, Colinus nomine, epidimialem gibbum habens in gutture [1] et circa guttur, cujus turgitas caputium ingredi vix sinebat aut exire, spe vero tanti doloris impulsum secludendi, beatissimo Remigio candelam spopondit [2] ex sui corporis longitudine se laturum [3]. Absoluto itaque [4] voti promisso, sequenti sabbato devote denuo deflectit ad idem. Cum autem rursus illuc flebilibus propensius decumberet precibus, gibbus prædictus a parte interiori crepuit et omnem veneni saniem per os terræ mancipavit. Sicque, laudibus Dei peractis, domum gaudenter remeans, sanitatem plenissimam reportavit.

6. Aliud laude dignum aggrediamur miraculum. De civitate vero Remensi mulier quædam nomine Maressonna, cognomine Lestailete, unius incommoditate gibbi sub brachio epidimialiter eam insultantis sacrosanctam Eucharistiam necnon extremam Unctionem sumpsit, quasi moritura. Rursusque peste in deteriorem vergente, eidem gibbus alter in gutture concrevit, angustiam ejus undique artius perurgens. Hæc namque diutino fere consumpta [5] languore, beatissimo Remigio corde tristi vota votis annexuit, ejusque ecclesiam adire promisit. Nec mora, paulatim convalescens, suorum laborioso ductu propinquorum ante ipsius sepulcrum pervenit. Ut autem hæc mulier et quamplures aliæ personæ congruas terminassent preces, ab omni se exutam corporis peste gibbisque exinanitis est professa.

Unde simul monachi laudes dant Omnipotenti,
Nec sine Remigio cantica dant Domino.

Sed laudibus nondum finitis inconsulte discedens, mulier domum suam adiit. Cujus vindicta subsequitur. Verum quoque subito gibbi squalore gravioris priore comprimitur. Sed quid agat, anxia conqueritur. Tandem suarum munere precum suæ calamitatis agnoscit vitium iterque retorquet ad sepulcrum, miscet precibus lamentum, supernum instanter deposcit suffragium, immoderate sanctum clamat Remigium. Quibus sic actis, plene sanitatis mox est adepta solatium. Sic ergo meritis beatissimi Francorum apostoli duplici incommodo duplex datur miraculum, jure fidelibus jubilandum.

7. Discurrente vero sicut præmissum est epidimiali [6] severitate, circa festum beatorum Jacobi et Christopheri mulier quædam, Alizonna nomine, Johannis de Blanzy civis Remensis uxor, validis febribus vehementer agitata, necnon duobus gibbis epidimialibus in angulis hinc et inde, quorum acerbitate pene lacessita, continuo extremum præstolabatur excidium, beatissimo Remigio sui corporis sic ægro-

[1] *cod.* guttere *et ita deinceps.* — [2] *cod.* sposponditt. — [3] *cod.* laturam. — [4] *cod. add.* a. — [5] *cod.* consumpto. — [6] *cod.* epedimiali.

tantis pondus frumenti, addito peregrinio, promisit. Nec magna siquidem temporis extensione, non modicoque illuc progressa labore, promissis finem dedit. Et revera, cum ante ipsius sepulcrum, oblatis etiam cereo candelaque sui corporis ex longitudine, lacrimas precibus innecteret, totius illatæ corruptionis febriumque [1], mox inesse sibi perfectæ sanitatis vigorem coram multis hilariter est professa, incolumisque domum progressa celer remeavit et abiit.

8. Subveniendum indigentibus creditur, si pastoris cura medicinaliter agnoscatur. Circa festum beati Petri ad vincula, gibbus grossus [2] et horribilis hominem quemdam, Colardum nomine, circa guttur sic invasit, ut ob angoris tristitiam varias sibi sciret non prodesse medicinas. Hic vero dum ante sepulcrum beatissimi Francorum apostoli flexis genibus lacrimabiliter aliquantulum oravisset, gibbus crepuit, et omne venenum intus scatens illico per os emananter humo effudit. Sicque post datas Deo sanctoque Remigio gratias sospes domum suam repedavit.

9. Hoc etenim temporis articulo simillimum pene extitit miraculum compendiose discurrendum. Quidam etiam gravissimum gestans in gutture gibbum adeo dolorosum [3] quod loquelam amiserit, suorum fuit subsidio [4] delatus amicorum ante beatissimi Remigii sepulcrum, ubi ipsorum intercessionibus una cum religiosorum precibus venenum evomuit et loquelam perditam mox recepit.

10. Sicut autem arbor bona in fertilitate fructus commendatur, sic beatissimus Remigius suarum jubilatione virtutum collaudatur. Nam de Remensi civitate mulier quædam, nomine Bilonnia, tanta fuit miseranda passionis angustia vexata, quod quasi confestim moritura multotiens loquelam amiserat. Pro cujus vero salute mater ejusdem, Maressonna nomine, ejus non expers doloris, suam beatissimo Remigio direxit devotionem, promittendo quod exhinc in sui vigilia festi jejunaret in pane et aqua, et quod opus vile non ageret in ejus festo, nec filiæ suæ permitteret operari, si eidem subveniret. Moxque candelam suæ filiæ longitudine beatissimo Remigio portavit et obtulit. Quæ vero retrogressa, juxta filiæ suæ lectum in quodam lectulo præ tædio obdormiens, usque crastinum sic permansit; et evigilans suam perspexit filiam extra lectum pellicio indutam, erectamque contra parietem. Quæ præ gaudio surgens nuda, dixit ei : *O filia mea, vis opem tibi per me deferri?* Cui filia : *Non, mater mea, quia dominus meus sanctus Remigius suo me juvamine prævenit* [5]. Indeque non distento temporis spatio perfectam suscepit corporis sospitatem. Sed, ut hujus rei magnitudo niteat fascibus veritatis, asserebat mater jurejurando,

[1] *supple v. g.* evanescente malo. — [2] *cod.* grossis. — [3] *cod.* dolerosum. — [4] *cod.* subsidiorum. — [5] *cod.* præventus.

quod dum ante gloriosi Remigii sepulcrum precibus insisteret, illam beatus Remigius ex uno oculo secundum judicium suum est intuitus, dicens : *Vade, mulier; Deus adjuvabit te.* Ex quo claret, fratres, quod nemo de patroni nostri medicamine diffidat, quem tantis nostri Creatoris clementia meritis insignivit.

11. Proferendumque congruenter profitemur in lucem, quod prodest ad salutem. Quædam vero mulier Yderonna nuncupata, filia Marionnæ, uxoris Colardi dicti Clarenbaut de Wymert, tanta ægritudinis ferocitate coartata, ut quatriduo [1] et amplius sine cibo potuque consisteret. Erat enim amens et furibunda, et eam sub vinculorum seu manuum detentionis tutela magistrare contingebat. Quapropter non modicum mater ejus afflicta, multa pro eadem peregit peregrinia, nec tamen in aliquo eam melioratam percepit. Tandemque cordiali gloriosi Remigii adhibita memoria, ecclesiam ejus adire promisit, parique pro filia promissione prolata. Sed necdum finito vix verbo, filia surrexit sana mente, dicens puella ipsa apud sanctum Remigium velle proficisci. Unde mox a parentibus illuc ultro [2] aurora micante, valvis nondum reseratis, foras obdormivit ad ostium; et a somno surgens totius sanitatis et intelligentiæ compos, jam pestibus penitus abdicatis, ecclesiam hilariter intravit. Nec mora, quidquid tantæ gratiæ faciendum gens censuit, non defuit pro viribus adimplere.

12. Ut autem ab omnibus concipiatur quantum eos Deus remunerat qui ejus imitantur vestigia, subsecutum disseramus miraculum. Mulier vero quædam quam urgentis infirmitatis lacessitudo corpore [3] et mente corruperat in tantum, ut nullam corporis refectionem assumerat, sed velut insensata et furibunda omni prorsus ratione et intelligentia careret. Hæc autem cum a fratre suo et amicis ante sepulcrum beatissimi Remigii fuisset allata, statimque corporis et mentis sanitate resumpta, laudes gloriosi promsit Remigii et gratias Salvatoris.

13. Sed ne tamquam inertes a fidelibus arguamur, Francorum protectoris beneficia, quamplurimis licet virtutum floribus distincta, prosequamur. Nam de Remis mulier quædam, Raicleti de Bonnencurte filia, quæ ob longum ægritudinis dolorem in altero oculorum tabescentem monocula fuerat et votis astrictis ante beatissimi Remigii sepulcrum est profecta, de infirmitate totaliter convaluit et lumen perditum protinus reparavit.

14. Nobis igitur non immerito agnoscitur vivere meritis, qui tantis fulget exemplis. Profecto quoniam in festo sancti Petri ad vincula, de Rilly mulier quædam nomine Maressonna, unius oculi visione privata, alterius quoque pene concussa, magnam ob hoc gentium indignatio-

[1] *cod.* quadriduo. — [2] *ita cod.; forsan pro* allata. — [3] *cod.* corporis.

nem incurrens, auditis miraculis sancti Remigii, summo cordis affectu sola Remis cum labore proficiscens, curato de Ludia obviavit ac eidem peccata sua denudavit. Denique ante sepulcrum beatissimi Remigii veniens, flexis genibus preces lacrimis copulavit. Ubi cum aliquantulum oravisset, claritatem amborum recepisse [1] dinoscitur oculorum.

15. Laus profecto sanctis impenditur, dum eorum suffragia præconantur. Itaque quamdam alteram audivimus mulierem a longo tempore alterius oculi lumine orbatam, quæ statim, questuosis gemitibus præmissis, ante gloriosi Francorum apostoli sepulcrum plenam oculi sui obtinuit sanitatem.

16. Salutiferumque donum, non importune prædictis copulandum, ejus ne laudi repugnemus, duximus disserendum. Nam cujusdam villæ campestris muliercula quædam, ab duodecimo anno ampliusque geminis orbata luminibus, gressu laborioso beatissimi Francorum protectoris ecclesiam adiit. Ante cujus tumulum precibus æstuans et lacrimis, de Christi plenitudine gratiarum ipsius sancti interventu amborum suscepit oculorum abundantiam sanitatis.

17. Transsilit montes et colles sanctitatis ejus altitudo, cujus unius æstatis articulo tot insignia referuntur. Mulier quædam de burgo Vidulæ, partus dolore graviter obsessa, peperit infantulum ultra modum parvulum, obstetricis assertione juramenti mortuum a ventre matris enixum. Unde pater ac parentes ejus crebrius ejulantes, ipsum beato Remigio votis præfixis, adjuncto pondere ceræ cum precibus querulis, lacrimabiliter obtulerunt. Cumque ante sepulcrum ejus orationibus extensis, non modicas ab intimo cordis lacrimas procreassent, infans os aperuit et brachium super alterum humerorum posuit. Deindeque sacrosancti consecutus est baptismatis sacramentum.

18. Quamvis abs dubio multa protectoris nostri Remigii miracula homini testimonio improbanda videantur, tamen cœptis quorum tabellionibus littera nos instruit, intendamus. Recuperandæ vero gratia vitæ infantulum quemdam, debito relatu mortuum natum, ante Francorum apostoli sepulcrum delatum, protestamur mutato colore de pallido in rubeum os aperuisse et labia movisse. Quibus vero sic patefactis, more christiano mox cunctis fuit plaudentibus baptisatus.

19. Succedit enim et aliud miraculum pari laude commendandum. Infans vero quidam noviter natus Stefani, dicti le conte de Bar, omnium judicio mortuus, verum quoque quamplurimorum consilio aqua tepida huic tepidiori positus, nullum tamen vitæ deprompta [2] veritatis indagine spiraculum est elixus. Unde cum, querulosis patris ac parentum gemitibus, magnisque votis prævenientibus, ante sepul-

[1] *cod.* recipisse. — [2] de *in fine lineæ*, prompta *initio sequentis*.

crum apostoli Francorum, addita magna candela, fuisset oblatus, os quod erat clausum aperuit et linguam extra os aliquantulum palpitantem emisit. Qui denique magna cum laude regenerationis extitit lavacro perfusus, religiosis inde psallentibus solemniter " Te Deum laudamus. „

Magnus acervus erit, si littera congerat acta
Quæ pater in solo nobis perduxit in anno.
Quorum non nobis notio certa datur.
Grandior est cumulus, plures [1] si verteris annos.
Grandia sunt reliqua nec sensu concipienda.
Prudens judicio discute cuncta tuo.
Æstatis dictæ finem discurramus aperte.
Finis ad extremum noster eat titulum.

20. De Remensi autem civitate mulier quædam infantis gravida, nomine Maressonna, filia Agnetis dictæ Quarcssinæ, quam tanta vis ægritudinis oppresserat, quod in curte hospitalis beatæ Mariæ virginis Remensis, nuncupata *la court Goedart,* prægnans ab hac luce decessit. Perterritisque præ pavore xenodochii custodibus, unius pene spatio horæ intacta sic permansit. Postmodum viribus resumptis, jussu obstetricis hæc mulier aperitur, infans inde comperto rei velamine mortuus exponitur.

Tunc fletusque preces mox componunt mulieres,
Remigiumque pium magnis clamoribus instant,
Pro vita pueri, quod valeat revehi.
Hinc obstetrix flensque manus supra puerum dans,
Sentit ibi motum vitæ consistere verum.
Vidit et hunc propere sine ficto labra movere,
Os quod erat clausum, binies monstratur apertum,
Vitæ signa mere patulo monstravit habere.
Quem festinanter obstetrix et mulieres
Fecerunt sacri baptismatis aqua lavari.
Vocibus hinc jubilis laus psallitur Omnipotentis.
Est etiamque pio laus data Remigio.
Omnes inde tamen gratias dant laudes et Amen.

[1] *cod.* pleres.

INVENTIO CORPORIS
SANCTI PRIMIANI
EPISCOPI ET MARTYRIS
ET MIRACULA EJUSDEM.

Joannes Bollandus in Commentario prævio de S. Primiano, episcopo et martyre, in *Actis Sanctorum* mensis Februarii, ad diem 23 (1), exstare dixit narrationem inventionis S. Primiani, quæ ipso scribente (anno videlicet 1658) ante fere ccc annos contigerat, itemque " Revelationem martyrii ac translationis „ ac " Miracula quædam, „ tunc descripta in libro qui cum reliquiis asservari dicebatur in curia Anconitana. Addit " utramque eam narrationem italice vertisse Georgium Trombam, theologum ac sacerdotem Anconitanum, edique in lucem curasse typis Marci Salvioni anno 1609 : quam ipsi (Bollandus scilicet et Henschenius) denuo latine interpretati sint, quum adipisci autographum nequirent. Postea tamen autographi adepti apographum prædecessores nostri, in scriniis suis asservarunt; illudque nos *Analectis* inserimus, una cum miraculis quæ fortassis currente tempore patrata originali scripto pro more adjuncta fuerint. Totam lucubrationem, qua parte in Actis Februarii ex italico latine versa legitur, minoribus litteris expressimus; qua vero Trombæ narrationem excedit, litteris majoribus.

Incipit legenda inventionis corporis beatissimi Primiani, episcopi et martyris.

1. Quoniam Deus, in suis sanctis mirabilis et gloriosus, pauperum suorumque devotorum divitias non sinit perpetuo occultari; sed, ut ipsius Omnipotentis in ipsis victoriosis militibus magnalia reserentur, ignota sæpe hominibus mirifice manifestat. Cum igitur thesaurus maximus, scilicet corpus beatissimi Primiani episcopi, natione græci, ut per infra scripta evidenter apparet, pro orthodoxa fide amore Jesu Christi martyria passi, in ecclesia Beatæ Mariæ Turriani de Anchona fuisset per tempora memoriæ incelebris occultatus, die revelationis adveniente divina institutione præambula dominus Jacobus Benamati canonicus Anconitanus, et

(1) Tom. III, p. 367, num. 2.

dominus Smedutius Paulini, canonicus ac prædictæ ecclesiæ Sanctæ Mariæ Turriani rector, post divini satisfactionem officii in eadem ecclesia solitarie residentes, Spiritus sancti gratia inspirati, opus marmoreum a dextris majoris altaris in pariete ecclesiæ absque occupatione spatii in modum tumuli notaverunt, in cujus summitatis spatio vacante corpus Domini conservabatur, ut et hodie reservatur per rectores ipsius ecclesiæ præsidentes. Hujus autem operis constructionem pulcherrimam latius intuentes, stupefactique tumulo propius adhærentes, epitaphium in ipsis cælatum lapidibus, caliginosa et obliviosa memoria quampluribus temporibus occultatum, pro declaratione convenientibus appositis instrumentis et laboriose detectis litteris, aspexerunt in hac forma : HIC REQUIESCIT CORPUS BEATI PRIMIANI EPISCOPI QUI FUIT GRÆCUS ; quod intuentibus dilucido declaratur.

2. Paucorum autem dierum spatio subsequente, dominus Smedutius præfatus una cum operario ipsius ecclesiæ tunc temporis existente, hujus veritatis ardore succensi, gratia inspirante superna, ex summa parte, ubi fenestra erat et sancta Eucharistia servabatur, undique perspicaciter oculantes, quadratum lapidem artificiose compositum utensilibus opportunis adhibitis devotissime abstraxerunt. Post quem concavum aspicientes sepulcrum, capsam ligneam invenerunt. Quam cum maxima aperientes devotione et reverentia, ossa totius corporis adinventa sunt, pulchro sudario seu velamine redimita. Post hæc autem reponentes et omnia in statu pristino reducentes, secretissime arbitrati sunt hæc omnia Reverendo in Christo Patri et Domino fratri Joanni, Ordinis eremitarum, dignissimo episcopo Anconitano, viro utique honestatis et vitæ sanctissimæ, revelare, ac ibidem construi facere craticulam ferream et capsam novam, argento et aliis ornamentis munitam, prout tanti thesauri congruitas non immerito postulabat.

3. Profectique prædicti supranominati ad sanctissimum episcopum prælibatum, prædicta omnia seriosius enarrarunt, eumdem deprecantes ut ad prædictorum omnium indagationem certissimam personaliter accedere dignaretur. Qui dominus episcopus, prædictorum serie non modicum admiratione compunctus, personis aliis quamplurimis fide dignis de prænominato martyre multa et miranda narrantibus, promisit se personaliter accessurum. Et accedens tam reverenter quam devote ad memoratam ecclesiam, ecclesiam Sanctæ Mariæ Turriani, cum maxima cleri cohorte, quæ auditu perceperat intuentibus oculis adinvenit; et gratias Deo agentes ac canticum laudum devotissime decantantes, " Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, „ pro tanti collatione beneficii, diem hunc inventionis seu revelationis celebrem scilicet cum mobilibus festivitatibus die secundum Dominicum quadragesimæ ordinaverunt, ac datum ordinem adimplentes præsul prælibatus cum clero et populi multitudine copiosa concurrente, ipsum diem officii et aliorum solemnitatibus ornaverunt, gratia prævia Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

4. Omnipotens Deus, ad suorum operum manifestam declarationem et suorum servorum exaltationem et gloriam, multa et diversa tam in lege veteri quam in nova miranda hominibus per somnia demonstravit : in veteri de Joseph filio Jacob patriarcha, et Pharaone, rege Ægypti, et alia ; in nova de Joseph viro Mariæ, et

Magis : dum Christum venerant adorare, responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Necnon etiam corpus beati Liberii in ecclesia cathedrali Anchonitana mirifice collocati per somnium cujusdam mulieris, dum in loco ignoto existeret, fuit penitus revelatum, ut in ejus historia evidentissime declaratur. Et quia Deus semper fuit, et est, et erit, apud eum circumscripto præterito et futuro, nimirum [1] si hodie velut olim aliqua servorum suorum stupenda per somnia reserantur.

5. Hinc est quod tempore revelationis prædicti thesauri, scilicet corporis beati Primiani, mulier quædam, Ceccola nomine, habens filium morbo caduco laborantem, eumdem vovit Deo et B. Primiano, promittens quod, si ipse filius ex tali liberaretur ægritudine, ordinaret quod omnium per ipsum acquisitorum beato Primiano decimas exhiberet. Quæ facto voto, nocte sequente vidit in somnis B. Primianum, statura magnum et bene formosum, vestes indutum pontificales ac mitra et ferula decoratum, qui per viam Ceptarii incedere videbatur versus ecclesiam Sanctæ Mariæ Turiani. Et cum esset secus ecclesiam, vocavit ipsam dominam Ceccolam, eumdem secutam continuo. Quæ verecundia et timore territa, ad eum omisit accedere. Similiterque secundario agens, tertio ab eodem vocata tandem ad ipsum accessit. Qui eidem ait : *Ito ad sacerdotes hujus ecclesiæ, et ex mei parte eisdem prohibeas ut nullam faciant ferream craticulam ante meam sepulturam. Imo dicas quod de mei est voluntate quod Dominus episcopus Anchonitanus extrahat corpus meum de monumento in quo est, et ipsum ponat in una capsa ex ligno cypressi constructa, absque aliquo argenti redimiculo : quoniam volo unumquemque mea posse ossa videre. Et ornamenta non requiro, quia super meum corpus servatur Eucharistia absque aliquibus vel aliorum [2] ornamentis. Non enim major esse debet reverentia servi quam Domini.* Hoc de ornamentis dixisse videtur, eo quod sacerdotes tacite et secrete ordinaverant velle facere capsam novam, argenti ornamentis communitam, ut superius enarratur.

6. Tunc vero ipsa domina ex familiari sermone audaciam consecuta, eumdem interrogavit, dicens : *Sanctissime pater, unde venisti, et quando fuisti in hac conditus sepultura ?* Cui dominæ ipse respondens inquit : *Nos tres fuimus socii, qui pro Christi fide martyria passi sumus et ultimo mortem : scilicet sanctus Georgius* (et alium nominavit, cujus nominis ipsa domina non recordabatur), *et ego Primianus. Qui fui sævissime in capite vulneratus, inter alias pœnas : propter quod anima fuit a corpore separata, cum palma martyrii ad gaudia convolans paradisi. Et sunt mille anni et ultra quibus mortuus fui pro fide Christi ; bonique homines Anchonitani, cum navigiis venientes ad partes in quibus mea erant ossa recondita, meum corpus Anchonam detulerunt, de mei voluntate, recondentes in tumulo in quo sum ; ubi mansi quadringentis annis, et manere volo usque ad diem ultimæ et universæ corporum resurrectionis. Permisi autem de illo loco in quo eram removeri, quia in me Christi nomen non venerabatur ab incolis.*

7. Dixitque etiam : *O domina, scito quod post non multos dies erit in mari tem-*

[1] *intellige* nil mirum. — [2] *glossema diceres in textum introductum.*

pestas valida, adeo quod væ matribus habentibus filios navigantes in mari, eo quod multi naufragium patientur. Et multi erunt in naufragii periculo; sed Deus ex sanctorum multorum meritis nonnullos liberabit. Tunc domina prædicta dixit: *Quid erit de galea quæ ducitur ad summum Pontificem, ut ad partes accedat Italiæ seu Romam, cum qua sunt meliores homines totius ipsius civitatis?* Beatus Primianus respondens ait: *Dicta galea maximam habebit tempestatem et erit in periculo naufragandi; sed ipsorum aliqui me invocabunt, et gratiam a Deo liberationis accipient.* Interrogavitque iterum dicta domina: *Sancte pater, quid erit de ligno Cescoli Rubei, de Anchona, qui meus est convicinus, quia maxima pietas et damnum esset de ejus periculo?* Respondit beatus Primianus et dixit: *Dic uxori dicti Cescoli ut in me habeat devotionem, et meis precibus Deus eum a periculo liberabit, ita quod ad domum meam, videlicet ad ecclesiam in qua requiesco, incolumis reducetur, non obstante quod maximam sit tempestatem habiturus et in maximo sit futurus periculo.*

8. Interrogans autem ulterius prædicta domina, dixit: *Sanctissime pater, estne aliquod remedium adhibendum huic futuræ tempestati?* Et respondens beatus Primianus inquit: *Dicite sacerdotibus hujus ecclesiæ ut, cum fuerit hæc magna tempestas, sudarium sive linteum accipiant quod repertum est in capsa in qua mea ossa requiescunt, et ecclesiæ tectum ascendant cum dopleriis sive cereis accensis, sonitu addito campanarum, et circumcirca ecclesiam ostendant, divinum auxilium implorando: et quantum procul videri poterit pannus ille ac campanarum sonitus poterit audiri, tempestas cessabit; et Deus circumstantes a periculo liberabit, meis precibus et amore. Quod si facere omiserint ipsi sacerdotes, quamplures in mari naufragium patientur.* Quæ domina supradicta a somno excitata et in die ad dictam Sanctæ Mariæ ecclesiam veniens, omnia hæc supra inserta sacerdotibus declaravit.

9. Pro prædictæ vero revelationis tempestatis vera executione sciendum est quod infra trium mensium spatium, scilicet in vigilia Penthecostes facta est tempestas valida in mari, invisa et inaudita a cunctis viventibus, ita ut navigia in portu existentia, solidissimis rudentibus peroptime communita ac a marilegis et navium ministris pro viribus plenis suffragiis roborata, pene evaderent, et cum toto hominum conatu aliquod ex eis in portu juxta muros confractum est. Tuncque Clugiensium navigium quoddam juxta portus muros exterius existens tempestatis impulsu ad Sanctum Clementem violenter conductum est, et ibi navigium ac homines in ipso existentes exitium finale passi sunt et in mari submersi.

10. Quibus sic perditis, ad eumdem locum adhuc invalescente tempestatis rabie conductum est navigium quoddam Pasqualini Perucii, de Anchona, quod, uxores existentium in ipso navigio maximis clamoribus et imbre maximo lacrimarum devotissime cum reverentia concurrentes ad sepulcrum beatissimi Primiani, factis devotis oraculis, illico cessavit tempestas, et dictum navigium cum omnibus in ipso existentibus incolumem portum saluberrime intraverunt, gratiam a Deo accipientes singularem meritis beatissimi Primiani.

11. Fuit mulier quædam, nomine Marozola, uxor Andrioli, quæ,

nervorum patiens contractionem, brachiorum ac manunm erat officio penitus destituta, ita quod cum ipsis nihil poterat breviter operari. Tali autem instante languore, nocte quadam sibi in somnis visum est se stare in ecclesia Sanctæ Mariæ Turriani prædicta, orationibus insudantem; et dum sic orans permaneret, juvenis quidam superveniens ipsamque invadens dominam, abscidit tres digitos manus, addens dolores doloribus. Et ingemescens, lamentabatur dicens : *Væ mihi, quæ cruciatus cruciatibus addidisti.* Cumque sic conquereretur, eidem apparuit B. Primianus, dicens : *Ut quid te sic dolere demonstras?* Respondens domina dixit : *Quis es, pater, tam grandis formæ et pontificalibus plenarie decoratus ornamentis?* Dixit B. Primianus : *Ego sum Primianus, qui ad hujus tuæ passionis curam accessi.* Et apprehendens brachia et manus ejusdem dominæ manibus propriis, inquit : *In signum recognitionis beneficii meis precibus tibi a Deo collati ante meum sepulcrum ponas duo brachia cerea, habens in me devotionem, et liberata eris.* Hæc vero domina a somno excitata, se reperit liberatam, pristina brachiorum et personæ integra sospitate recepta. Sed dum instaret precibus erga virum, ut dicta brachia cerea emeret, ductum negligentia per tempus renuit votum uxoris adimplere, ita ut in pristinam incideret ægritudinem. Et querimoniam proferens de marito, dum ad ejus sic ægrotantis [1] semel accederet, ait : *Tu es ille qui non vis me ab hac ægritudine liberari, votum meum negligens adimplere.* Qui turbatus et pœnitentia ductus, ivit et dicta brachia cerea emit; et, mirabile dictu, dum in domum ipsa brachia portarentur, ipsa domina in illo instanti est restituta pristinæ sospitati, Deo cooperante meritis beatissimi Primiani.

12. Fuit mulier alia, nomine Nina, partus doloribus in tantum attrita, ut quorumcumque judicio mortis periculum immineret. Quæ sic vitæ successibus insperata, devotissime Primianum beatissimum invocavit. Quo invocato filiam peperit, sine mora a cunctis periculis et doloribus sublevata a Jesu Christo Domino nostro, intercessionibus et meritis B. Primiani, in cujus reverentia et honore filiam vocavit ipsam nomine Primiana.

13. Vir fuit unus, nomine Martinellus, de Anchona, anno primo inventionis corporis B. Primiani, gravissimis pedum doloribus occupatus, ita quod ipsorum officium nullatenus poterat operari. Sed ad sanctorum recurrens suffragia, votum fecit beatissimo Primiano. Quo facto, ipsius meritis est ab ipsis doloribus totaliter liberatus, solidissime ambulans sicut prius.

14. Quidam vir alius nomine Julianus Montoncelli fuit, habens filium ætatis annorum quinque, gravissima valetudine in ultimis

[1] *supple v. gr.* lectum.

laborantem; et medicis deerat spes omnimoda illum evadendi. Propter quod uterque parens maxime dolens, multas lacrimas profundebat. Mater vero ad sanctorum recurrens medelam, mundanis deficientibus argumentis, votum fecit ob hoc glorioso Primiano. Quo facto, ipsius meritis filius ille primæ fuit incolumitati integre restitutus.

15. Idem asseruit, jurisjurandi delectione suscepta in curia prælibati nostri præsulis, quod ante revelationem hujus pretiosi secreti, scilicet corporis B. Primiani, pluries et pluries noctis tempore tenebrarum dum pro eundo piscatum exsurgeret, una cum sociis vidit tam in terra quam in mari supra ecclesiam tantum luminis splendorem quantum si fuisset centum accensa tortitia. Quod credendum est non aliud fuisse nisi sanctorum splendorem in futurum aliquid designantem; quia fulgent justi ante Dominum tanquam stellæ firmamenti.

16. Alius fuit, nomine Zacchellus mascioli Balsami, de Anchona, qui dum esset in galea in Anchona constructa pro summo Pontifice, scilicet sanctissimo in Christo Patre et Domino Urbano Papa quinto ad partes Italiæ tunc temporis accessuro, cum aliis existentibus in dicta galea, ventorum impetu et aquarum impulsu maximam passus est maris tempestatem, ita ut unusquisque arbitraretur se vita durabili omnimode destitutum. Sed reminiscens simul cum multis aliis sociis hujus gratiosissimi Primiani, ejus subsidium implorarunt, votum in signum recognitionis beneficii eidem facientes. Quo facto, illico oculata fide ventorum turbo sævire cessavit, et facta est in mari quieta tranquillitas cum jocundo prosperitatis accessu, operante Domino nostro Jesu Christo meritis beatissimi Primiani.

17. Fuit alius, nomine Matheus Coleantaldi, de Ancona, qui curriculo annorum octo et ultra passus fuerat duas plagas fistulares, mundanis curis incurabiles, in tibia sive in crure. Sed remediis et medicorum quorumcumque unguentis ac emplastris nullum afferentibus sublevamen, audivit factas a Deo gratias quamplurimis meritis beatissimi Primiani. Qui devotissime invocans ejus curam, brevissimo temporis spatio subsequente, fuit a dicta ægritudine integre liberatus.

18. Mulier quædam prædives ac nobilis, nomine Turola de Patricianis, de Anchona, erat, quæ unius anni spatio continuo tantis fuerat capitis agitata doloribus, ut virtute visiva esset quasi totaliter destituta. Sed voto facto devotissime beatissimo Primiano, visui claro pristino dolore cessante est saluberrime restituta.

19. Angelus quidam nomine Melutii de Offania, habitator Anchonæ, recedens de civitate præfata in festo Ascensionis Domini, quod tunc fuit de mense junii, et Fabrianum iturus, flumen pertransibat Esi-

num (1). Et dum aquam in loco ipsius transitus foret valde profunda, ita ut pectus et guttur excederet, putabat se in ipsa submergi moriturus, contra ejus voluntatem tractus quasi quantum esset jactus lapidis. Recordatus tamen divina inspiratione beatissimi Primiani, ipsum in suis suffragiis devotissime invocavit pro vitæ evasione. Quem cum invocasset, visum eidem fuit ut manus una suffragatrix intraret inter utramque tibiam, ipsum elevans et de aqua extrahens saluberrime cum effectu, intercessionibus beatissimi Primiani.

20. Idem cum ad subsidium cujusdam lintris sive burchi naufragati ad littus maris accederet, in auxilium personarum, quidam græcus figens unum passillum in terram cum uno gravissimo malleo ligneo qui vulgo apud marilegas Anchonæ dicitur *mazza varea,* fefellit, et hunc Angelum dolentissime percussit in tibia. Qui propter ictus vehementiam syncopizavit, cadens semivivus in terram, ita ut astantes cuncti putarent ipsum penitus expirasse. Et sic dolorose prostratus, in mente recordatus est specialis gratiæ alias a sancto Primiano receptæ. Quo iterum invocato, surrexit illæsus, tanquam si nunquam ille casus accidisset. Quod videntes circumstantes ceteri, tanto prodigio stupefacti, vehementissime mirabantur, Deo gratias agentes et beatissimo Primiano.

21. Uxor peregrini Colutii xxii diebus fuit in partu laborioso, vehementissimis attrita doloribus, ita ut, si ex Dei processisset voluntate, vitam morti voluntarie postposuisset. Sed cum reverentia et devotione maxima invocato B. Primiano, creaturam peperit, et fuit a cunctis imminentibus doloribus liberata.

22. Bonavantius, de Ferraria, marinarius, habitator Anchonæ, dum ad partes Sclavoniæ accessisset, tantum fuit passus dolorem in brachio, ut nullo modo cum illo posset aliquid operari. Putans se ipsius brachii totaliter privatum auxilio, dolens tamen graviter ob hanc causam, nisi Dominus subveniat, medicantium conditionem assumpturus, gratiam subventionis a B. Primiano humiliter impetravit, obtentu plenarie subsecuto, ita ab illo liberatus dolore tanquam si nunquam passus esset.

23. Idem, dum a rectoris secularis Anchonæ innocenter familia captus, positus est ad torturam, in iram incidens ministrorum. Qui sic sævissime pluries et pluries tractus, dum trahebatur, altissimis vocibus beatissimum Primianum invocabat. Cujus invocatione nequitiæ ministri verbis delusoriis illudebant, ob hoc graviora supplicia inferentes. Mirabile tamen auditu Deus operatus est meritis hujus gloriosi martyris : nam de tortura positus nullam videbatur pœnam

(1) Æsis flumen inter Anconam et Senogalliam, in Hadriaticum mare influens, nunc *Fiumesino* vel *Esino.* Cfr. Lexicon Forcellini (edit. De Vit), tom. VII, ad hanc vocem.

sustulisse, et per se ipsum absque alicujus auxilio se proprias induit vestes, et stetit tanquam si nunquam supplicia passus esset.

24. Vir quidam Anchonitanus, nomine Paciolus Corradutii, ingentem capitis dolorem multis et multis diebus passus cum tumore maximo, ex quo emanabat aqua velut a rivulo vel scaturiente fonte, omnibus tandem remediis destitutus, Christum Salvatorem meritis gratiosissimi Primiani sibi in auxilium invocavit. Quo facto, post pusillum cessavit dolor ac tumor, pristinam B. Primiani intercessionibus recipiens sospitatem.

25. Habebat vero mulier, Turula nuncupata, Antonio Beretini copulata conjugio, filiam decem annorum ætatis, quæ cunctorum judicio vitæ metas transcenderat, eo quod diebus octo insensibilis manserat ut cadaver. Sed ipsa mater B. Primianum votive invocans, a Deo gratiam subita filiæ reductione præsensit, B. Primiani meritis prælibati.

26. Aliaque fuit mulier, Mita nomine, custos hospitalis S. Honorii, quæ quamdam tenens puellam, dicta Francischella, morbo sæpissime laborantem caduco, et ab eodem triennii spatio jam oppressam, beatissimo recommendavit Primiano. Cujus meritis a dicta est ægritudine integraliter liberata.

27. Per omnia etiam proxime enarrata Paulus Vanutii filiam habebat simili morbo detentam. Sed voto facto B. Primiano cum devotione et reverentia, a Deo liberationis gratiam, intercedente eodem Primiano, meruit obtinere.

28. Diebus sex gravissime ob puerperium gravata doloribus domina Vannella, uxor Donati, gratiam a Deo sumpsit optatam, B. Primiano ab eadem intercessore vocato.

29. Angelus Jacobi Agrinæ, Anchonitanus, dum ad partes accederet Sclavoniæ cum quodam suo navigio, et Vannes Grassi de Anchona, fuerunt febris doloribus tantis agitati, quod vitæ exitum imaginabantur incurrere. Sed B. Primiani ab eis devotissime invocati, Christo Jesu suffragante, obtinuerunt suffragiis liberari.

30. Similiter Franciscus dictus Cecchus Jacobi, simili attritus passione, cum importabili capitis dolore, eodem B. Primiano medicatore fuit gratiam assecutus.

31. Hisque Parascrivanus Constantii, de ultramarinis partibus oriundus, B. Primiani meritis, ab eo mentaliter invocati, a vehementissimis capitis doloribus extitit liberatus.

32. Quiriacoli Meoli vero genita, gravissimo languore percussa duorum mensium spatio, in tantum ut ab omnibus sæpius et sæpius ipsius ultimum vitæ spiraculum expectaretur, precibus lacrimabilibus votive a petente adjunctis ad beatissimum Primianum, fuit a Deo pristinæ reddita sospitati.

33. Francisca, dicta Ceccharella Pasqualini, pro filio, gimbi descendentis corrupturam patiente, et Nina Antonii Falconarii similiter pro genito eodem morbo laborante, votivis orationibus B. Primiano a prædictis mulieribus factis, sanitatis et consolidationis perfectæ pro eisdem filiis sunt gratiam consecutæ.

34. Vehementibus et lacrimabilibus doloribus agitata domina Nicolotta, conjux Jannellicolæ, civis Anchonitani, ob pedis dislocationem quam casualiter incurrerat, ita ut nullo modo per se posset a lectulo removere, et ad intercessionem beatissimi recurrens Primiani, voto et precibus, illico sanitati fuit integre restituta.

35. Insuper gratiosissimus Primianus, Christi gratia succurrente, subitam liberationis medelam contulit Joanni Salvoli, Anchonitano, qui annorum quatuor spatio passus fuerat corruptionem maximam in tibia sinistra, cum duobus foraminibus profundis ac fistulosis, quibus omnimode cura humana defecerat, cum dictus Joannes ad prælibatum B. Primianum vota et recommendationem mentaliter obtulisset.

36. Colecta quidam Blasii, Anchonitanus, dum esset in castro Galignani (1) percussus a quodam, nomine Pannisio, cum latera gladio tribus vulneribus in gutture cum irremediabili sanguinis effusione, ex quo mortis periculum nullatenus posse evitare sperabat, intra mentis arcana revolvens se ad beatum convertit Primianum, a quo post preces et vota, divino suffragante favore, convalescentiæ obtinuit remedium, et subsequenter celerem sospitatem.

37. Ingentem capitis passa dolorem duorum annorum circulo domina Margarella, uxor Mecoli Petroni, facto voto B. Primiano, subito sensit se a Deo gravamine non oppressam.

38. Hisque Girellus Mecoli jungendum est, qui, eo tempore quo fama vigere incepit corpus beati ac gratiosi Primiani in ecclesiam S. Mariæ Turriani Anchonæ existere, languorem incurabilem a parte dextra in gutture sustinebat. Cujus morbi causa verbi, cibi ac potus potentiam totalem amiserat, medicorum et remediorum penitus auxilio destitutus. Sed dum sic jaceret in lectulo, quasi jam mundanæ vitæ diffisus obtentu et tanquam homo quæritans omnimodo remedia sospitatis, intra se votive B. Primianum in suum auxilium invocavit. Sed post pusillum a somno captus est, in quo visum est se beatum videre Primianum, statura magnum et antiquum, ac vestes albissimas pontificales indutum. Qui ipsi Girello ait : *Quid vis, fili, ut faciam tibi? Quem tantum cordialiter invocasti.* Cui respondens Girellus, dixit : *Sancte pater, es tu beatus Primianus ?* At ipse dicens : *Sum,* inquit, *fili; ne timeas, quia de hac ægritudine liberaberis.* Et tan-

(1) Castrum Ancona distans kilomet. 9,68.

gens ipsum, recessit. Post hæc idem Girellus a somno expergefactus, reperit ex eadem gutturis parte apostema maximum a dextra tumescens, quod per se apertum omnem saniem ac corruptionem emisit. Unde se comperit totaliter liberatum Dei gratia et meritis beatissimi Primiani.

39. Ad hæc domina Bella, Cescarelli Lippi uxor, filium habebat, nomine Kyriacus, qui ad mortem infirmatus ultimum jam sumpserat Ecclesiæ sacramentum a fratre Bartholo, suo patrino. Et in hoc diebus octo laborante eodem, ut proximus de hora in horam exitus expectaretur ultimus, et lacrimose et devote cum voto se ad beatum convertit Primianum. Quo peracto, illico Deus convalescentiam et liberationem contulit manifestam.

40. Domina Diamariola, Cicolini uxor, tribus mensibus stetit auditu privata. Sed recommendatione beato exhibita Primiano, mirabiliter extitit liberata.

41. Similiter Cola Pasqualutii, dolorem maximum passus in brachio quammultis diebus, ab Angila ejus uxore facto voto beato Primiano, a dicto dolore subito se comperit non oppressum.

42. Ventris doloribus agitatus Quiriacolus, magistri Joannis de Anchona, duorum dierum continuorum spatio, adeo ut de cubili se posset nullatenus sublevare, beatum Primianum sibi in medicum invocavit, spondens in recognitionis signum cereum unum parvulum ad ejusdem beati Primiani corporis sepulturam devotissime præsentare. Quo facto, ab ipsis est languoribus integre liberatus.

43. Mutius Francisci, de Asculo, genitum, nomine Antonium, obtinebat vehementissimum tumorem gutturis patientem, ut vitæ quasi exitus suspicaretur ab hominibus. Sed unius imaginis ceræ et unius tobaliæ ad indicium gratiæ votive facta sponsione, per intercessionem beati Primiani a Jesu Christo est redditus pristinæ sospitati.

44. Dum Andriolus Marcellini Romipetas ab Urbe redeuntes ad partes duceret Sclavoniæ, apostema quoddam est ejus in naribus ortum, ex quo caput et guttur vehementer sunt passa inflaturam, ita ut quasi morti fuerit commnniter judicandus, etiam ab artis peritissimis medicinæ. Et non afferentibus remediis auxilium nec juvamen, se beatissimo recommendavit Primiano. Post quod continuo apostematis illius tumor saniei ac corrupti sanguinis maximam quantitatem emisit. Cujus rei causa sortitus est pristinam sospitatem, Deo succurrente precibus beatissimi Primiani.

45. Giacontella, dominæ Margaritæ filia et uxor Joannis Simonis, in cossa[1] et tibia tumorem mirabilem patiens, quam medici, vehementia[2] tumoris territi, ob instantis lethalis discriminis suspicionem,

[1] *ita cod. pro* coxa. — [2] *cod.* vehementiam.

incisione curare minime præsumebant: sed sic de medico insperata, beatissimum Primianum sibi cum voto unius cruris ceræ ad demonstrationem miraculi una cum matre lacrimabiliter et devote in medicum invocavit; et exaudita meritis beati Primiani, fuit a Christo perfectissime liberata.

46. Domina Angela, uxor Colæ, filiam quamdam habebat, nomine Vannella, quæ ob ægritudinis valitudinem ultimo vitæ exitu laborare videbatur. Ob quod ultimum Ecclesiæ sumpserat sacramentum, et animæ Deo recommendationem ab ejus patrino, domino Smedutio. Sed, dum ipsa mater atque consanguinei doloris aculeo vexarentur, ad beatissimum se converterunt Primianum, ipsam Vannellam eidem de sanitate recommendantes, cum voto unius imaginis ceræ. Qui beatus Primianus devotionem tantam mulieris suscipiens, precibus Deo erogatis, ipsam reduxit ad vitæ integram sospitatem.

47. Necnon Quiriacolus Meoli, de Anchona, dum filium haberet casu in simili existentem, nomine Meolum, Deo ac beato Primiano votive spopondit quod, si de ipsa ægritudine ipsum filium contigerit liberari, eumdem ad Dei servitium relaxaret et clericum faceret ordinari. Qua facta promissione, ipse Meolus beatum vidit in somnis Primianum eidem dicentem : *Exsurge, fili, quia patris tui petitio exaudita est.* Et a somno exsurgens, ac illico convalescens, liber effectus est. Quod firmiter credendum evenisse meritis B. Primiani. Cui idem Quiriacolus postea cursu minimo temporis in unguine [1] pestiferum patiens morbum, ipsum ad ultima vitæ præsentis deducentem, et seipsum iterum recommendans, gratiam liberationis obtinuit.

48. Similiter uxor nunc dicti, Catharina nomine, suffragiis prælibati B. Primiani recuperavit auditum, quem triennii antea elapso spatio ex toto amiserat, ita ut ne quo modo eo possit uti sensu, nec aliquid nisi nutibus ab aliis intellectu percipere, cum eidem ex voto ceræ imaginem obtulisset, devote ejusdem sponsione præmissa.

49. Cumque Marchisana, genita Pasquæ, uxoris Pasqualis de Candia, iret ad clibanum Coppini de Bononia, diabolum nominavit, et a dicto recedens clibano, fuit mali spiritus non minima vexatione commota. Et ligata manus et pedes, vi ducta est magnis clamoribus ad tumulum beatissimi Primiani, in ecclesia S. Mariæ Turriani. Quæ Marchisana nec crucem aspicere nec sanctorum volebat videre reliquias. Exorcizationeque præmissa interrogata, respondebat in dicto corpore diabolum habitare. Et instando sacerdotes exorcizationibus ante locum corporis beatissimi Primiani, clamare fortissime cœpit spiritus immundus voce puellæ ab eo detentæ, dicens : *Ego recedam; nec amplius stare possum. Plus enim timeo beatissimum Primianum*

[1] *pro* inguine.

quam librum vel Missale. Ob quod mater ipsam, si liberaretur, promisit relictis vestibus reportare. Quo facto, spatio fortassis horæ unius, ante dictum locum ab illo fuit spiritu immundo totaliter derelicta; nec ab eo fuit amplius molestata.

50. Hisque Dominicus Mathei, pictor, de Anchona, ad laudem beatissimi Primiani, est merito conjungendus. Qui dum gravissimam infirmitatem incurrisset, ita ut viscera ad bursam liberum haberent discursum; et maxima doloris vehementia ambulandi privatus potentia, medicorum ac multorum est expertus remedia, quæ nullam passioni poterant convalescentiam exhibere. Suffragiis ergo sic diffisus [1] gemens ac maxime dolens, dum vellet membra dare quieti, ejus in animo redacta est B. Primiani memoria. Cui se devotissime recommendans pro hujus passíonis conferenti [2] remedio, vovensque ceræ imaginem se daturum, noctis silentio somnum cœpit, et mane exsurgens, per [3] Dei gratiam et meritis B. Primiani nulla se comperit infirmitate gravatum, et a jam dicta penitus liberatum. Sed temporis spatio postmodum subsequente, dum in voti perfectione tardius existeret et in ipsius memoria totaliter negligens foret, ivissetque extra Anchonam causa lucri, eamdem se præsensit infirmitatem incurrere, et tenere [4] votum adimplens anima, dicto morbo fuit solidissime destitutus. Quod indubie sperandum est venisse meritis et suffragiis beatissimi Primiani.

Gaudeat basilica eia Turriani
Maria sub nomine dono Primiani,
Præsulis Argolici, Deo reserati,
Dominis Smedutio, Jacobo Benamati,
Anconæ canonicis, viris et devotis.
Sub mille Dominicis annis cum trecentis
Octo sexagenis a Jesu Christi ortu
Nota reseratio in Anchonæ portu.
Ubi cum miraculis merito dotatus
Conducas ad patriam cunctos nostros artus.
Amen.

[1] *cod.* diffusus. — [2] *ita cod. pro* conferendo ? — [3] *add. ex conjectura.* — [4] *sic.*

DE S. ARNOLDO

CONFESSORE

in pago Arnoldsweiler in agro Juliacensi

NOTÆ QUÆDAM

AUCTORE V. V. ARNOLDO STEFFENS

SACERDOTE.

Has notas, quæ spectant ad Vitam anonymam S. Arnoldi a Gulielmo Cupero nostro editam ad diem 18 julii (1), nobiscum benigne communicavit v. v. Arnoldus Steffens, ortu Cyrinensis (qui vicus est juxta Arnoldsweiler in eodem agro Juliacensi situs), nunc vicarius in parochia Lupariæ (*La Louvière*) diœcesis Tornacensis; easque libenter *Analectis* nostris inserimus, quod perutile præbeant supplementum ad ea quæ Cuperus in prædictam Vitam commentatus est. Tria eædem complectuntur capita, quorum primo elucidantur nomina locorum quæ in Vita S. Arnoldi occurrunt, altero agitur de antiquo ejusdem sancti cultu; in tertio de Vitæ Arnoldinæ ætate probabili conjectura inquiritur.

CAPUT I.

DE LOCIS QUÆ CITANTUR IN VITA S. ARNOLDI.

§ 1. *De vici* Arnoldsweiler *antiquo et moderno vocabulis.*

1. Biographus S. Arnoldi affirmat locum qui nunc vocatur *Arnoldsweiler*, antea vocatum fuisse *Ginnezwilre*, suis vero temporibus eum dici *Arnoldswilre* " ob reverentiam sancti nominis „ (2). Enumerando vero villas quibus S. Arnoldus distribuit silvam, eumdem locum simpliciter *Wilre* appellat. Juxta auctorem ergo *Arnoldsweiler* antiquitus vocabatur *Ginnezwilre* vel simpliciter *Wilre*, quæ

(1) *Acta SS.*, tom. IV Julii, p. 449. — (2) Vit numm. 4, 10 (*Acta SS.*, tom. cit., pp. 450, 451).

denominationes, cultu Sancti in dies majora capiente incrementa, paulatim mutatæ sunt in nomen *S. Arnoldi villa.*

2. Idem aliunde egregie probatur. Constat enim ex antiquis diplomatibus locum de quo agitur, antiquissimis temporibus appellatum fuisse *Wilre* vel *Ginnizwilre,* anno vero 1168 eum jam vocatum fuisse *S. Arnoldi villam.*

3. Prima loci nostri mentio habetur in numero quadraginta trium villarum quarum nonam Lotharius rex donavit Capellæ Palatinæ B. M. V. Aquisgrani; quam donationem Arnulfus rex confirmavit die 13 junii anno 888 (1). Nomen enim *Villare* vel *Villara,* germanice *Wilre,* quod ibi invenitur, nonnisi *Arnoldsweiler* posse significare patet ex ejus positione inter Duram et Aschwilram, quæ urbes finitimæ sunt loco nostro. Idem nomen habetur in confirmationibus dictæ donationis factis per Henricum I (d. 7 julii 930), Ottonem Magnum (d. 16 febr. 966) et Fredericum II (jul. 1226) (2).

4. Herimannus I, archiepiscopus Coloniensis, in diplomate d. 11 aug. 922 conscripto (3), inter bona et reditus coadunatorum Sanctæ Ursulæ et de Gerresheim monasteriorum, quorum possessiones confirmat, allegat inter alia, *in villa vel marca Ginizwilere ecclesiam I cum terra salaritia mansa VIII et dimidium.* Vi prædictæ donationis Coloniense Sanctæ Ursulæ collegium usque ad perturbationem gallicam possedit curtem in *Arnoldsweiler* cum patronatu ecclesiæ et decimam (4).

5. Adrianus autem Papa IV in diplomate, quod d. 23 mai 1159 ad Gepam dedit abbatissam, locum nostrum simpliciter vocat *Wilre.* Nam nostrum locum sub isto nomine esse intelligendum, apparet ex eo quod res de quibus agitur, usque ad seculum decimum nonum præstandæ erant a parocho in *Arnoldsweiler* abbatissæ Sanctæ Ursulæ Coloniæ (5).

6. Anno vero 1168, in diplomate Philippi Heinsbergici, archiepiscopi Coloniensis, locus primo authentice vocatur *Wilre S. Arnoldi. Godefridus* enim *sacerdos de Wilre S. Arnoldi, divinæ miserationis intuitu, pro remedio animæ suæ parentumque suorum, XX jornales terræ in parochia villæ præmemoratæ sitos, per manum Willelmi, advocati comitis Juliacensis, et filii sui Willelmi beatissimo confessori Kuniberto ad altare ipsius libera traditione donavit* (6). Testes illius

(1) Lacomblet, *Urkundenbuch,* I, p. 39 (ed. Düsseldorf 1840). — (2) Ibid., p. 50 (sub n. 89), p. 64 (sub n. 108) et tom. II (1846), p. 73 (sub num. 135). — (3) *Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein,* fasc. 26-27, p. 338. Cfr. appendicem. — (4) Cfr. Lacomblet, *Archiv.* III, 133. — (5) Cfr. *Hauptbuch und Verzeichniss der im Gülich-Aachener Bezirk befindlichen geistlichen Ländereyen, etc.: im Jahre 1795* (Köln 1882. Bachem), p. 15; Binterim, *Die alte und neue Erzdiöcese Köln,* II, 110. — (6) Lacomblet, *Urkundenbuch,* I, p. 298.

rei affuerunt quamplurimi, tam clerici quam laici. Inter laicos nomina habentur Willelmi comitis Juliacensis, Alberti comitis de Nörvenich et Herimanni de Bustorp, qui omnes degebant in eodem pago in quo S. Arnoldi villa sita est.

7. Ab illo autem tempore usque ad hodiernum diem locus noster, quidquid nonnulli in hac re erronee autumarunt scriptores, semper et constanter in scriptis authenticis et vulgari locutione, septem jam seculorum usu consecrata, vocatur *Arnoldswilre* vel *Sanct Arnoldswilre*. Exempli gratia in *Libro valoris* sec. XIV, parochia nostra vocatur *Arnoltzwilre* (1); in *Designatione* sec. XVI, *Arnoldsweiler* (2); in protocollo denique Visitationis ecclesiarum ducatus Juliacensis d. d. 10 jun. 1550, *Sanct Arnoltzwyler*.

8. Abunde, puto, probavi jure ac merito auctorem Vitæ S. Arnoldi dixisse *S. Arnoldi villam* antea vocatam fuisse *Ginnezwilre*. Neque illud mirum videri debet, quod juxta auctorem (3) Carolus Magnus venandi gratia apud istam moratus sit villam. Carolus enim rex eodem loco, i. e. apud Marcodurum, anno 779 habuit regni cœtum (4). Licet proinde conjicere ibi castellum quoddam regium exstitisse. *Ginnezwilre* vero ad fiscum regium pertinuisse et villam fortasse fuisse regiam, inde colligitur quod Lotharius rex ejus nonam dedit Capellæ Palatinæ Aquisgranensi (5). Dicta Capella, usque ad secularisationem gallicam, possidebat 350 jugera terræ in *Arnoldsweiler* (6).

§ 2. *De silva Burgela et villis Burgelæ silvæ adjacentibus.*

9. Sed et, quod maximi momenti est, cum evidentia demonstrari potest *silvam Burgele dictam cum S. Arnoldo intimam habere connexionem.* Nam in tabulario civitatis Marcoduranæ antiquum habetur documentum, quo constat die 18 martii anni 1360 coram Wilhelmo, duce Juliacensi, comparuisse simplices agricolas parochiarum et villarum, quarum nomina postea enumerantur, et confessos esse pro se suisque posterioribus se hereditarie et in sempiternum quotannis feria tertia Pentecostes ratione *Burgulæ* ad altare S. Arnoldi in ecclesia in *Arnoldswiler* offerre et dare debere candelas talis vel talis ponderis. Sequuntur deinde nomina villarum, quarum decem et septem sunt identica cum illis quæ in vita Arnoldina recensentur (7). Desunt nomina *Oberembe,* quod unum facere videtur cum *Niederembe,* et *Manheim* et *Angilsdorp*. Additæ sunt aliæ villæ minores, quæ ad

(1) Binterim, op. cit., I, 183. — (2) Binterim, op. cit., II, 110. — (3) Vit. num. 4 (*Act. SS.*, tom. cit., p. 450). — (4) E. Mühlbacher, *Die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern,* nach J. F. Böhmer, Innsbruck 1880, tom. I, p. 83. — (5) Cfr. supra, num. 3. — (6) Cfr. *Hauptbuch*, etc., l. c. — (7) Cfr. infra, num. 14.

majores illas villas in Vita Arnoldina memoratas jure communitatis pertinent. Villæ, quæ quotannis candelas justi ponderis offerre omittebant, duci Juliacensi pro pœna solvere debebant decem aureos. Ita sancitum est in dicto documento.

10. Vi hujus documenti municipia Rœdingen et Lich (unam antiquitus constituebant parochiam), quæ amplius nolebant offerre consuetas candelas ad altare S. Arnoldi, per sententiam judicis (1) coacta sunt istam erga altare S. Arnoldi in *Arnoldsweiler* redimere obligationem; id quod et reliquæ villæ fecerunt ultro, scilicet: *Arnoldsweiler, Ellen, Oberzier, Niederzier, Niederembt, Paffendorf, Elsdorf, Sindorf, Blatzheim, Buir, Golzheim, Morschenich, Merzenich.* Cujus rei fidem faciunt acta tabularii parochialis in *Arnoldsweiler* ad d. 20 nov. 1837.

11. Constat ergo ex actis judici probatis inde a feria tertia Pentecostes anni 1360 usque ad feriam secundam (2) 1829 villas in Vita S. Arnoldi memoratas quotannis cum candelis venisse ad altare S. Arnoldi easque ibi deposuisse. Quæ candelæ deinde ponebantur circa sepulcrum Sancti et accendebantur in gloriam Dei et honorem S. Arnoldi. Quodsi incolæ illarum villarum anno 1360 sese esse obligatos declaraverunt ratione silvæ, quæ Burgela nuncupatur, quotannis oblationem candelarum ponderis determinati ad S. Arnoldi altare offerre, concludendum est inter silvam istam et S. Arnoldum aliquam intercedere connexionem, quæ nulla alia esse potest quam illa in Vita Arnoldina descripta et unanimi constantique traditione incolarum illius pagi proclamata, cum aliter nequeat explicari.

12. Bollandista occasione Burgelæ duas facit observationes, quas juvat corrigere. Dicit se frustra in mappis geographicis aliisque topographis silvæ *Burgelæ* dictæ nomen et situm quæsivisse (3). Quoad mappas fatendum est in iis quæ a Blaeu editæ sunt medio sec. XVI, quæque solæ puto Bollandianis hagiographis præsto erant, in tractu Juliacensi silvas alio omnino loco quam ubi Burgela est, notari. Nihilominus illa silva usque ad hodiernum diem quoad nomen, situm, extensionem eadem plane est, quæ ab Arnoldinæ Vitæ auctore describitur. In antiquis quoque documentis, quorum tempore Cuperi inopia erat, quibusque nunc abundamus, ejusdem sæpius fit mentio. V. gr. nominatur in documento ab abbate Steinfeldensi et parochia Cyrina feria tertia post Epiphaniam anno 1301 exarato. Quædam enim dicti monasterii in communitate Cyrinensi proprietas dicitur esse sita sicuti hodie *ex una parte juxta silvam quæ*

(1) A tribunali Aquisgranensi sententiæ latæ sunt contra municipium *Rœdingen* d. 22 aug. 1833, contra municipium *Lich* d. 7 aug. 1834. — (2) Feria tertia Pentecostes quum ab anno 1802 cessaverit a populo festivo more coli, solemnitas candelarum feria secunda Pentecostes celebrari consuevit. — (3) Annot. *c* (*Act. SS.*, tom. cit., p. 452).

dicitur Burgele (1). Item, in arbitrio d. d. 1 sept. anni 1306, quo variæ lites inter Henricum II archiepiscopum Coloniensem et Gerardum comitem Juliacensem componuntur, hunc invenimus locum : *De Burgela statuimus archiepiscopum conservare jus suum et comitem Juliacensem et socios lignarios suum jus, secundum quod socii lignarii sibi dividunt ligna silvæ ab antiquo, sicut sub juramento declaraverunt.*

13. Sicuti de Burgela, ita de villis Burgelæ adjacentibus minus feliciter loquitur Bollandista. Ad enumerationem enim illarum villarum quibus S. Arnoldus distribuit Burgelam, Bollandista annotat *aliquos* solummodo ex iis pagis sub simili fere nomine hodiedum in ducatu Juliacensi inveniri (2). Verius dici potest ad unum omnes hodiedum inveniri in territorio pristini ducatus Juliacensis circumpositosque esse, uti Vita Arnoldina habet, silvæ *Burgele* nuncupatæ, eorumque incolis quotannis vel omni biennio gratis ex dicta silva dari ligna ad comburendum vel ad construendum.

14. En elenchus antiquus et modernus illarum villarum :

FORMÆ ANTIQUÆ (3).	FORMÆ MODERNÆ (4).
Wylre	*Arnoldsweiler.*
Ellin	*Ellen.*
Cirin superior	*Oberzier.*
Cirin	*Niederzier.*
Ligch	*Lich.*
Embe superior	*Oberembt.*
Embe	*Niederembt.*
Angilsdorp	*Angelsdorf.*
Egilodorp	*Elsdorf.*
Baffindorp	*Paffendorf.*
Glessin	*Glesch.*
Eppendorp	*Heppendorf.*
Siegendorp	*Sindorf.*
Manheim	*Manheim.*
Kerpin	*Kerpen.*
Bladesheim	*Blatzheim.*
Godilsheim	*Golzheim.*
Burrin	*Buir.*
Morirsazan	*Morschenich.*
Mertzenich	*Merzenich.*

(1) Lac., *Urk*, III, p. 10-11. — (2) Annot. *f* (loc. cit.). — (3) Desumptæ ex apographo Vitæ Arnoldinæ quod conservatur in tabulario parochiali in Stockheim. — (4) Desumptæ ex *Schematismo* archidiœceseos Coloniensis anni 1878.

15. Supra audivimus anno 1360 socios lignarios sub juramento declarasse, sese *ab antiquo* sibi silvæ ligna dividere. Jam ab antiquo villas illas sæpe memoratas communem habuisse silvam, confirmatur ex notitia quadam spectante unam ex illis, scilicet Cyrinensem. Diplomate enim Herimanni I, archiepiscopi Coloniensis, d. 11 aug. 922 dato, Everwinus tradit Coloniensi S. Ursulæ monasterio *in villa vel marca Cyrina mansum I et de communi silva quantum ad integrum debetur mansum.* Ineunte ergo seculo X invenimus jam communem silvam, quæ alia fuisse non potuit quam sæpe dicta Burgela.

CAPUT II.

DE ANTIQUO CULTU S. ARNOLDI.

1. Habetur Officium proprium de S. Arnoldo, quod a clericis Villæ S. Arnoldi in ejus festo recitabatur. Adest quoque Missa propria de ipso. Illa documenta liturgica sunt antiquissima; sed quo anno conscripta sint definiri nequit. Antiquum enim exemplar Officii S. Arnoldi, cujus lectiones ex Vita anonyma sunt desumptæ, et quod solum ex omnibus documentis ecclesiæ et presbyterii Villæ S. Arnoldi incendio circa finem seculi XVII consumptis (quum in lapideo sepulcro cum sacris S. Arnoldi reliquiis soleret asservari) ad nostra usque pervenit tempora, nunc proh dolor! in ignotis versatur manibus. Pastor illud pretiosum manuscriptum alicui commodavit. Pastore vero et illo cui commendatum fuit manuscriptum jam mortuis, nulla ejus documenti inveniri possunt vestigia. Describitur in inventario tabularii parochialis anno 1832 a parocho Klein confecto, ut antiquissimum documentum in folio super membrana latino sermone conscriptum beneque conservatum. Exstat ejusdem documenti apographum in tabulario parochiali in Stockheim, confectum anno 1758. En hujus apographi inscriptio: *Officium et Vita S. Arnoldi, parochialis ecclesiæ in St Arnoldsweiler Patroni, exscripta ex antiquissimo fatæ ecclesiæ cantuali sub littera Petri conscripto, cujus antiquitatis memoria est irreparabilis* *. Additur Missa propria de Sancto, quæ et ipsa ex antiquo ecclesiæ Villæ S. Arnoldi missali, quod interea periit, dicitur extracta. Quum Officium et Vita S. Arnoldi in antiquissimo documento fuerint conjuncta, illorum et originem eisdem placet adscribere temporibus. Vita enim Sancti jam

* *forsan pro* irreperibilis.

conscripta, facile intelligitur sacerdotes Villæ S. Arnoldi pro festo Sancti celebrando Officium proprium sibi curavisse concinnari.

2. Quo anno S. Arnoldi ossa elevata et in sepulcro lapideo ejus statua ornato condita sint, ignoratur. Id vero seculo XII factum fuisse, concludere licet ex delineamentis gothicis, structuram sepulcri ejus ornantibus, quæ ex illo seculo provenire videntur.

3. Firmissimum autem argumentum quo antiquitus S. Arnoldum cultum habuisse liturgicum probatur, inde petitur quod ex Marcodurano de quo supra locuti sumus documento constat *anno 1360 altare* S. Arnoldo *dedicatum fuisse in ecclesia in Arnoldsweiler*. Cum illo altari connexum erat beneficium S. Arnoldi, cujus collatores initio seculi XVI erant liberi barones de Spies in Rodt (1). Reditus illius beneficii erant viginti octo jugera terræ arabilis et quatuor jugera cum dimidio pratorum (2). Altare et beneficium in honorem S. Arnoldi condi non potuerunt absque consensu Ordinarii. Proinde concludere debemus cultum liturgicum S. Arnoldi ad minus implicite initio seculi XVI approbatum fuisse per auctoritatem ecclesiasticam. Adhuc vigent fundationes missarum quæ in honorem S. Arnoldi debent quotannis celebrari.

4. Devotio populi erga S. Arnoldum nunquam cessavit. Sufficit sacrum ipsius inspicere caput, quod, quum nudum populo osculandum præbeatur religiosoque usu jam sit tritum, in se luculentissimum cultus S. Arnoldo exhibiti exstat monumentum. Ejus nomen tamquam sancti patroni in baptismate quamplurimis pagi Juliacensis inde ab antiquissimis temporibus ad nostros usque dies imponitur infantulis. Invocatur præcipue contra morbos equorum aliorumque animalium. Die festo Sancti benedicitur a sacerdote siligo, qua utuntur agricolæ in morbis pecudum. Pie enim autumant Arnoldum pecorum, quæ in ejus pascuntur silva, agere speciale patrocinium.

5. Ab immemoriali tempore S. Arnoldus uti patronus parochiæ ab ipso nuncupatæ summa colitur cum veneratione. Expressam et authenticam hujus rei habes mentionem in *Designatione* etc. (3) initio seculi XVI facta. Ibi enumeratur parochia *Arnoldsweiler,* et additur : *Patronus* S. Arnoldus, *in aula Caroli Magni musicus. Num patronus sit loci an titularis ecclesiæ, non est in aperto.* Generatim creditur eum esse patronum loci, quum locus ab ejus nomine sit nuncupatus.

6. Patronum vero sive titularem ecclesiæ antiquitus S. Urbanum fuisse, localis fert traditio. Nulla hujus rei mentio invenitur in scri-

(1) *Rodt* est domus quædam vel castellum in parochia S. Arnoldi situm. Fortasse eodem stat loco quo Caroli Magni antea stetit castellum, quum silvæ sit proximum. Nunc occupatur per liberum baronem de Bourscheidt. — (2) Cfr. Binterim, op. cit., II, 110. — (3) Cfr. Binterim, op. cit., II, 110.

ptis, cultusque S. Urbani plane in desuetudinem et oblivionem abiit. Popularis vero hæc de S. Urbano traditio nequaquam censenda est omni fundamento carere. Nam hodiedum statua S. Urbani sat antiqua in dicta videtur ecclesia, unaque ex campanis S. Urbani vocatur nomine (1). Insuper si examinas quales sint patroni villarum illarum quæ in Vita Arnoldina recensentur, invenis omnes villas quæ tunc temporis habebant ecclesias, patronos habere aut martyres primævæ Ecclesiæ, v. gr. S. Cæciliam, S. Pancratium, S. Laurentium, aut confessores antiquissimi temporis Francisque apprime caros, v. gr. S. Martinum, S. Cunibertum vel etiam sanctum Lambertum episcopum et martyrem. Quæ quum ita sint, et S. Arnoldi villam, quæ seculo IX habuit oratorium, ejusmodi patronum habuisse putandum est, quem, accedente traditione, S. Urbanum fuisse non est cur negemus. Superveniente vero novo S. Arnoldi cultu eoque in dies majora capiente incrementa, S. Urbanum oblivioni datum fuisse facile intelligitur.

7. Ex omnibus quæ de cultu S. Arnoldi attulimus, liquet cultum illum fuisse præcipue localem, sed antiquissimum seculoque XII majorem, eumque approbationem saltem implicitam ecclesiasticæ auctoritatis accepisse. Ad hoc firmandum facit etiam illud, quod documentum anno 1168 confectum, quo primo authentice Arnoldus nomine Sancti nuncupatur, ab Ordinario loci emanat, ab archiepiscopo videlicet Coloniensi Philippo Heinsbergico (2).

(1) Inscriptiones duarum campanarum Villæ S. Arnoldi sunt hæ :

1. S. URBANUS EPISCOPUS ET MARTYR.
PATRINUS LOUIS DE SPIES ET MATRINA
JOSINA DE HOCHSTEDEN. ARNOLS-
WEILER ANNO 1807 SUB PASTORE
MATHIA EIKS. P. BOITEL ET C. RE-
NAUD NOS FECIT.

2. ST ARNOLD BIN ICH GENANT
DEO ET CAROLO MAGNO WOHL
BEKANT UND RUFFE ICH ZU
GOTTES DIENST JEDERMAN.
ME FECIT CHRISTIAN WILHELM
VOIGT ANNO 1738.

S. ARNOLDUS CONFESSOR ARNOLSWEILER ANNO 1807.

Noli mirari campanas Villæ S. Arnoldi recentioris esse ætatis. Nam incendio circa finem seculi XVII tecta ecclesiæ et turris una cum campanis sunt destructa. Attamen nomina antiquarum campanarum etiam novis data esse, credendum est. — (2) Cfr. supra, cap. I, n. 6.

CAPUT III.

QUO TEMPORE CONSCRIPTA SIT VITA ARNOLDINA.

1. Quo tempore conscripta sit Vita Arnoldina in *Actis SS.* edita, ne per conjecturam quidem se assequi posse fatebatur Cuperus. Ope tamen documentorum postmodum editorum ostendere conabimur eam initio seculi XII satis probabiliter adscribi posse. Argumentum deducimus ex ratione scribendi nomina villarum de quibus in Vita sermo est. Nomina hæc scripta inveniuntur in documentis seculi X et XI vocabulis magis latinis quam in Vita Arnoldina; seculo contra XII et deinceps hæc nomina faciem jam induunt omnino germanicam. Percurramus singula.

2. Villa quæ nunc dicitur *Arnoldsweiler,* vocabatur *Villare* seculo IX a regibus Lothario et Arnulpho (quod confirmant Henricus I et Otto Magnus), ut vidimus supra (1). Seculo X eadem vocatur " *marca Ginizwilere* „ ab archiepiscopo Coloniensi (2); medio autem seculo XII vocatur ab archiepiscopo item Coloniensi, ut in Vita nostra, " *Wilre S. Arnoldi* „ (3). A Summo Pontifice vocatur circa idem tempus " *Wilre* „ (4). Hæc autem forma *Wilre* inde a seculo XIII transiisse in recentiorem *Wiler* seu *Weiler,* sequenti modo ostendimus. Vicina sunt nostro pago *Ahrweiler* et *Eschweiler*. Jam vero in documentis quæ indicat Oesterley (5) seculo eodem quo scribebatur *Villare* pro *Arnoldsweiler,* scribebatur idem pro aliis; seculo vero XII medio jam citat *Ascwilere* et *Arwilre* (6) : ubi autem transitur ad seculum XIII, prius nomen fit *Arweiller;* et hoc notatur in variis passim nominibus desinentibus nunc in *weiler,* v. gr. *Esseratsweiler* apud eumdem. Unde concludere jam posse nobis videmur Vitam Arnoldinam quoad nomen primæ villæ quæ in ea occurrit nullius alius temporis faciem referre quam seculi XII.

3. Sed ulterius progredi licet. Ab auctore nostro diceres hoc nomen usurpari ut satis recens. Ait enim : " Modo vero dicitur ob reverentiam sancti nominis *Arnoldswilre.* „ Etsi enim ex una parte nomen *Ginnezwilre,* cum *e,* prout auctor noster scribit, minus latine sonat quam *Ginizwilere* cum *i* cumque longiore desinentia *ere,* ut scribebatur seculo X (7), et sic rursus post seculum X rejicimur :

(1) Cap. I, num. 3. — (2) Num. 4. — (3) Num. 6. — (4) Num. 5. — (5) *Historisch-geographisches Wörterbuch des Deutschen Mittelalters,* Gotha, Justus Perthes, 1883. — (6) Cfr. apud Lacomblet, *Urk.*, tom. I, pp. 170, 171, *Dorwilere* et *Othwilere* ad annum 1104. — (7) Supra, cap. I, num. 4.

simul tamen ex alia parte, quandoquidem nominum transformationes nonnisi paulatim usu solent introduci, jam a seculo XI locum nostrum a S. Arnoldo nuncupatum fuisse censendum est. Sistimus nos ad initium seculi XII.

4. Villa quæ hic *Cirin* dicitur, sic jam non vocabatur seculo XIII. Ita anno 1259 mentio fit " Conradi de *Cirne* „ (1); quæ forma jam est germanica. Item in Libro Valoris vocatur sec. XIV hæc villa " Cirne „ (2) et anno 1301 " *Ceyrne* „ (3). Seculo vero X dicebatur adhuc Cyrina (4). Spatio ergo rursus intermedio consistimus, seculo XII.

5. Nomen *Embe* seculo XI scribebatur adhuc forma magis latina *Embin* (5), quod est quasi *Embini,* genitivus casus ex *Embinum :* dum in Vita Arnoldina scribitur *Embe,* minus latina forma, non tamen recentiori illa quæ est *Embt.*

6. Idem in *Ellin, Glessin, Kerpin,* quæ post medium seculum XII sonant *Ellen* vel *Elle, Glesch, Kerpen,* perspicuum est. Sic etiam seculo XII medio *Drauinsdorp, Rukelingin,* apud Lacomblet (6).

7. In nominibus *Angilsdorp, Baffindorp, Egilodorp,* littera *i* vestigia servat temporis remotioris; dum contra post medium seculum XII hæc nomina litteram *e* exhibent (7).

8. Terminatio in *dorp,* quam præter modo citata exhibent in Vita Arnoldina *Eppendorp* et *Siegendorp,* antiquior est terminatione *dorf,* quam apud Oesterley hæc eadem nomina jam passim induunt in documentis seculi XII medii et seculi XIII. Nam, si scribebatur adhuc anno 1189 *Duseldorp* (8), scribebatur etiam jam *Rindorf, Kardorph* anno 1156 (9).

9. *Bladesheim* quod nunc dicitur *Blatzheim,* scribitur locis ex seculo XII ab Oesterley allatis sicut in Vita nostra. Eodem modo scribitur apud Lacomblet (10) ad annum 1156 in documento archiepiscopi Coloniensis. Idem quoad *Ligch* seu *Lich* notari potest. Germanica nondum sunt tempore auctoris nostri *Godilsheim* (quod dein transiit in *Golzheim),* nec *Burrin* (quod factum est *Buir*). Immo seculo XI apud Lacomblet (11) scribitur *Gotholueshem,* fere ut apud auctorem nostrum. *Morirsazan* nondum est *Morschenich,* nec *Mertzenich* amisit litteram *t,* ut fieret *Merzenich :* quæ tamen littera seculo XIV jam aboleverat.

(1) Lacomblet, *Urk.*, tom. II, p. 267. — (2) Binterim, op. cit., tom. I, p. 173. — (3) Lacomblet, *Urk.*, tom. III, p. 10-11. — (4) Supra, cap. I, num. 7. — (5) Cfr. Oesterley. — (6) *Urk.*, tom. I, num. 371. — (7) Cfr. *Bettindorp* apud Lacomblet, tom. cit., p. 171. — (8) Lac., *Urk.*, tom. I, 364. — (9) Ibid., num. 389. Cfr. apud Oesterley, *Prunctorf* ad annum 1187 (quod nunc *Braunstorf*); et apud Lacomblet, I, p. 167, *Zuhudendorph,* jam ad annum 1100; *Mosendorph* ad annnm 1154 (tom. cit., num. 381); *Wurmerstorph* ibid. — (10) Num. 388. — (11) Num. 237.

10. Quum igitur aliqua ex his nominibus ante sec. XII latinam magis formam habuerint quam quæ in Vita Arnoldina apparet, ex alia tamen parte pleraque ex his post sec. XII modernam inceperint induere formam, quumque in hanc conclusionem multa ex dissitis locis conveniant documenta, nullum vero ei adversetur, statui posse putamus Cuperum, si hæc documenta novisset, quæ fere omnia testantur de nominibus locorum tractus Coloniensis et Juliacensis, hanc Vitam relaturum fuisse ad initium seculi XII. Sic etiam traditio popularis rei tangibili annexa, scilicet distributioni quotannis factæ lignorum e silva Burgelæ, conservari potuit, itemque intelligitur indicia ictibus gladii per Arnoldum in altis ilicibus facta auctoris tempore adhue potuisse videri.

11. Si demum quæras quisnam potuerit esse auctor hujus Vitæ, accipe quæ leguntur in Annalibus Rodensibus ad annum 1122 (1): " Florebat illa ætate Giselbertus, parochus Cyrinensis et decanus cleri districtus Juliacensis, qui anno 1122 electus fuit abbas Rodensis. Ille fuisse dicitur vir imbutus admodum scientia seculari et literali. „

12. Addere juvat in tabulis geographicis a Blaeu usque ad Cassini miro modo omnia fere nomina quæ in Vita Arnoldina citantur, fuisse corrupta. Quod mappas Cassini nomine vulgatas cum ea quæ apud Binterim, op. cit., exhibetur conferenti statim apparebit. Sic *Arnoldsweiler* seu *Arntweiler* scriptum est apud Cassini *Artitwiler*. *Paffendorf* scriptum est apud Blaeu *Pependorp;* occurrunt dein apud eumdem *Niderem, Oberem* et alia id genus. Silva *Burgela* cui villæ Arnoldinæ circumjacent, in neutro indicatur, ne minimo quidem signo, ut jam supra quoad Blaeu monuimus.

(1) *Monum. Germ. hist.*, Scriptt., tom. XVI.

SANCTI SWITHUNI

WINTONIENSIS EPISCOPI

TRANSLATIO ET MIRACULA

AUCTORE LANTFREDO MONACHO WINTONIENSI

Ex codice olim Gemeticensi, jam Rotomagensi

NUNC PRIMUM EDIDIT

E. P. SAUVAGE

SACERDOS ROTOMAGENSIS.

Ubi primum, devicto Haroldo, Anglorum regno potitus est Gulielmus, Normanniæ Dux, qui inde cognomine barbaro vulgo audit *Conquistor*, haud minimam operam in eo posuit ut illius regni episcopalibus sedibus et monasteriis præficeret e Normanniæ cœnobiis selectos monachos. Hujusmodi non paucos emisit florentissima tunc Gemeticensis abbatia *(Jumièges)*. Qui ad culmina illa ecclesiasticarum dignitatum evecti, nec prioris in qua nutriti et educati fuerant familiæ obliti, immo vero magno studio procurarunt ut ex prædivitum beneficiorum proventibus quæ in Anglia adepti erant, suæ patriæ ecclesias et monasteria, a Normannis adhuc barbaris ineunte seculo X misere direpta et eversa, magnificentius instaurarent ac decorarent. Porro inter hæc decora, quibus pristina sua domicilia cohonestare gestiebant, præcipuo quodam loco annumerabantur codices manu scripti, quibus, ut erant ea ætate disciplinarum ecclesiasticarum studio imprimis intenta Normanniæ cœnobia (in cujus rei comprobationem citasse sufficiat præclara Lanfranci, Anselmi et Gemeticensis abbatis Alexandri (1) nomina), nullum aliud donum majori in pretio censebatur habendum.

Inde factum est ut Gemeticensis monasterii bibliotheca tot codicibus anglosaxonicis ditata sit, quos doctorum virorum existimationi commendat sive scripturæ venustas sive ornamentorum artificium sive, quod majus est, documentorum in iis descriptorum veneranda antiquitas. Codices autem isti, tempore magnæ pertur-

(1) *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Pierre de Jumièges*, opus anonymi monachi Benedictini Congregationis S. Mauri, sumptibus et studio Societatis Historiæ Normannicæ recens editum, tom. I, pp. 305-310.

bationis gallicæ, vergente superiori seculo legitimis possessoribus erepti, potissimum nunc decus sunt quo glorietur bibliotheca publica civitatis Rotomagensis (1).

Inter hos codices non infimum locum sibi vindicat qui in bibliotheca Rotomagensi nunc signatus est numero U 107, olim vero in libraria Gemeticensi G 32 (2), seculis X et XI conscriptus. Formam is præ se fert quam vocant in quarto, non adeo spissus, quippe qui 87 tantum constet foliis membraneis, dodrantem altitudine, septemplicem vero unciam latitudine attingentibus, quibus adjectus est codicillus chartaceus paulo minutior foliorum octo, Vitam continens S. Kentigerni " Glasguensis " episcopi, quam recentior quidam excerpsit, si inscriptioni fides, ex schedis R. P. " Fabricii Sendersom " e Societate Jesu.

Foliis membraneis, præter fragmenta nonnulla S. Ephremi, Fulberti Carnotensis, regulæ S. Benedicti, concilii alicujus Aquisgranensis et alia quædam documenta ad seculum XI, X vel etiam IX spectantia, continetur LIBER MIRACULORUM S. SWITHUNI EPISCOPI WINTONIENSIS (an. 852-862), cui ab imperito aliquo commentatore exordio seculi XVII perperam titulus inscriptus est *Vita S. Swinthuni episcopi Wintoniensis, 2 julii.* Lucubratio ista non minus folia 52 complet, eique præpositi et subjecti sunt hymni versibus paractericis (3) concepti in laudem S. Swithuni, S. Birini et S. Athelwodi.

Librum miraculorum S. Swithuni novit Joannes Mabillonius (4) ejusque auctorem fuisse ait Lantfredum seu Lanfridum, Wintoniensem monachum, de quo Pitseus (5) pauca tradit quæ hoc loco exscribere non piget. *Lanfridus, Ordinis S. Benedicti monachus, Anglus, in Veteri cœnobio Wintoniensi, congregationis Gribennæ. In præfato monasterio tam accurate cum monastica disciplina bonas litteras hausit, ut ab excellente doctrina vulgo* Doctor eximius *appellaretur. Quin etiam, ut ad altiores in omni perfectionis genere gradus ascenderet, neglectis et contemptis omnibus rebus terrenis, soli cœlestium rerum contemplationi se dedit; unde pauca, et illa spiritualia, soluta oratione scripsit.* De Vita et miraculis sancti Suithuni Vintoniensis episcopi libri duo. *Ms. in bibliotheca illustris Baronis Lunleiani. De aliis hactenus non invenio. Floruit anno Christi 980, dum in Anglia languide regnavit Ethelredus.*

Epistolam dedicatoriam, quam ad fratres Veteris monasterii Wintoniensis directam Libro miraculorum præmisit Lantfredus, publici juris fecit H. Wharton (6). In illa epistola non solum nequaquam nomen suum profert scriptor, sed nec aliud

(1) Aliquantulam codicum anglosaxonicorum in bibliotheca Rotomagensi repositorum notitiam vulgavi ante hos duos annos (*Les manuscrits anglo-saxons et les manuscrits de Jumièges à la Bibliothèque municipale de Rouen*, Le Havre, Lepelletier, 1883, in-8°, 15 pp.), sed jejunam nimis, nec talem unde quanto in pretio illa collectio habenda sit legentibus satis innotescat. — (2) Montfaucon, *Bibliotheca Manuscriptorum nova*, tom. II, p. 1215. — (3) De significatione hujus vocis vide infra, notam in inscriptionem hymni de S. Swithuno. — (4) *Act. SS. O. S. B.*, sec. IV, part. II, pag. 71, numm. 5, 6. — (5) *Relationum historicarum de rebus Angliæ* tom. I (Paris. 1619, in-4°) : *De illustribus Angliæ scriptoribus, ætate decima*, p. 178. — (6) *Anglia Sacra*, tom. I, p. 322.

quidpiam unde diserte significatur illius cœnobii fuisse monachus: iis enim verbis concepta est quæ usurpare licuisset etiam monacho alieno.

At magis perspicue ex ipso opere colligitur qua ætate vixerit et scriptionem suam sit executus. Etenim suum libellum exorditur narratione apparitionis S. Swithuni cuidam viro operario, cui mandat ut translationem corporis ipsius fieri curet. Hæc autem translatio facta est anno 971 (1), eamque statim eodem anno subsecuta sunt innumera prodigia. Jam vero apparitionem S. Swithuni ex ipsius opificis et alterius testis ore acceperat scriptor (2), plura insuper miracula post translationem suis conspexerat oculis (3), unumque se audisse dicit ex ore ipsius S. Athelwoldi (4). Denique et miracula adhuc fieri non cessasse quo tempore scribebat, decennio scilicet a translatione jam evoluto, disertis idem verbis testatur (5). Unde tandem non solum circa annum 980, ut conjectando notarat Pitseus, sed præcise omnino anno 981 priorem hanc partem suæ lucubrationis conscripsisse, seu absolvisse, dicendus est Lantfredus.

Priorem partem, inquam. Licet enim in codice sine intermissione aut librorum distinctione suis numeris in margine notata capita, a III scilicet usque ad XXVII (6) (reliqui vero numeri longe recentioribus manibus adscripti sunt) continua serie sibi ex ordine succedant, duplicem tamen vel etiam triplicem partem in Lantfredi scriptione haud obscure est discernere. Equidem, utut factum est ut a recentioribus ipsi attributi sint libri *de vita et miraculis* sive *de vita, translatione et miraculis* S. Swithuni, v. g. a Thoma Rudborne apud Wharton, op. cit., p. 203 (ubi tamen Thomas sub hoc nomine *Vitæ* citat verba desumpta ex Libro de Miraculis), nullum usquam reperi indicium unde colligere liceat *Vitam* sancti Swithuni ab eo esse concinnatam. Immo suspicari forsan licet Lantfredum non scripsisse ullam Vitam S. Swithuni, saltem ante hunc quam nunc edimus textum, quippe in cujus Prologo dicat: " Perparum scimus de signis... quæ sanctus iste in sua gessit... vita (7). „ Ubi etiam notari potest eum non negare ullam Vitam S. Swithuni exstare; sed tantum conqueritur miracula a S. Swithuno vivente patrata fuisse parum nota suo tempore, ob scriptorum sive inopiam sive negligentiam.

(1) Cfr. infra, not. ad num. 4. — (2) " Quo narrante (*i. e. canonico*) ipsoque opifice didicimus „ (num. 9). — (3) " Vidimus plus quam ducentos in decem diebus per meritum sancti sanatos „ (*Act. SS.*, Miracula post translationem S. Swithuni, tom. cit., p. 331, num. 1; cui in cod. respondet caput IIII). " Vidimus etiam... „ (num. 2; in cod. capite eodem IIII). — (4) " Venerabilis enim antistes ita hoc miraculum indicavit scriptori, sicut scriptum est in superficie hujus codicelli „ (cap. XXXIII extr., i. e. nostro numero 49, infra). — (5) " Ex quo die usque ad præsens tempus non cessavit Dominus beneficia præstare languentibus per præsulis almi meritum, jam sole decimum replicante annum „ (num. 24). — (6) Ita tamen ut in codice. post tria prima capita, veniant ut *capita* eæ divisiones textus quas, cum Bollandianis in *Act. SS.*, vocamus *numeros*, a IIII usque ad XXVII et deinceps. — (7) Eamdem opinionem profiteri videtur Godescard in sua editione Albani Butler (*Vies des Pères*, etc. *traduit librement de l'anglais*), inter annotata ad Vitam S. Swithuni (ad diem 15 Julii).

Et revera Gotzelinus qui seculo demum XI aliquam Vitam S. Swithuni ex documentis quæ non citat, concinnavit, unum tantum miraculum refert a Swithuno in vivis agente patratum. Sponte tamen, diligenter inspecto codice, ad eam sententiam adductus sum ut existimarem duos distinctos libros miraculorum Lantfredo deberi : alterum de S. Swithuni translatione, alterum vero de miraculis quæ translationem subsecuta sunt. Horum prior absolvitur tribus primis totius scriptionis capitulis, quibus continetur, post prologum, relatio eorum quæ translationi præluserunt et translationis ipsius, et concluditur consueta doxologia : *Benedictus omnipotens Deus... in sempiterna secula.*

Reliqua vero post tertium capitula quasi aliam scribendi speciem præ se ferunt. Sermo scilicet fere brevior est et hujusmodi ut hæc altera pars exhibeat seriem narratiuncularum quas in dies collegerit auctor et raptim scripto consignarit. Quod et ipsa scripturæ facies, ut vehementer fallor, in codice nostro manifestum facit. Nimirum quum priora capita, usque ad finem tertii, eadem nitida et firma manu exarata conspiciantur, postea vero, id est, nostro judicio, in posteriori lucubrationis parte, quasi singula capita diverso atramento diversisque temporibus videntur descripta : ut facile appareat scriptorem sæpissime intermisisse laborem. Quin immo unum alterumve miraculum plus semel ab eodem notatum videor mihi perspicere, quod scilicet, undique quæ ad rem suam conferrent percontari et, ut singulæ relationes ad eum perveniebant, in libello suo congerere gestiens, non satis adverterit aliquam ex iis, antea aliunde acceptam, jam superiori aliquo capitulo contineri (1).

Sed et in hac ipsa posteriori parte duas iterum quasi distinctas partes indicare licet, quum rursus in fine capituli XXXV (infra, num. 51) legatur doxologia qualis ea ætate conclusionem alicujus libri notare solebat (2).

Unde subsequentia capitula tria, quæ nulla terminantur doxologia, videntur additamenta, pristino Lantfredi labori ab ipso vel ab alio S. Swithuni cultore adjecta.

Genere scribendi utitur Lantfredus perspicuo et expedito, iis tamen nævis non immuni quos passim apud scriptores ejusdem ætatis notarunt eruditi viri. Itaque subinde adversus grammaticæ artis leges peccat ; prolixas sententias concludit ubi frustra verbalem vocem quæsieris præter participium ; non raro apud ipsum indicatur tempus futurum pro præterito ; legitur *fore* pro *fuisse*, *nunc* pro *tunc*, etc. Sed et ultra omnem modum delectatur vocibus similiter cadentibus, adeo ut furem quasi carmine quodam ad Deum preces fundentem inducat (cap. XXX ; infra, num. 46). Præterea terminis græcis sermonem suum conspergere gaudet, quod

(1) Quod, ni fallor, agnoscere vix hæserit is qui contulerit, exempli gratia, num. 50 infra cum numero 5 *Actorum*, p. 331. — (2) Quapropter, dilectissimi fratres, glorificemus Christum, Salvatorem inclitum ac Redemptorem nostrum, qui nostris temporibus tanta hominibus beneficia languentibus dignatus est largire per salutiferum Swithuni interventum. Cui est honor et imperium sine fine cum Patre et sancto Pneumate, qui nos purget ab omni crimine et perducat ad cœlica tempe. »

vitium utique solemne fuit scriptoribus seculi IX et X (1), præsertim apud Anglo-Saxones, quos iis temporibus græci idiomatis studio præcipue intentos fuisse constat (2).

Verum, quod nostra magis interest quam orationis venustas, illud profecto affirmare licet, ex Lantfredi lucubratione non pauca nobis innotescere quæ ad definiendos mores et usus extremi seculi X multum juvare queant, non pauca etiam ad geographicam disciplinam admodum proficua. Merito itaque doluerunt Bollandiani hagiographi, ubi de S. Swithuno illis agendum fuit ad diem 2 Julii, quod tam parvi illam æstimaverit Mabillonius ut repertam in publicam lucem non proferret (3). Ipsi vero non nisi admodum mutilum ejusdem exemplar, ex codice Vaticano Reginæ Sueciæ 769, sibi comparare valuerunt, in quo cum prologo desiderabantur tria prima capita, id est integra pars prior quam " Librum primum " vocamus (hujus tantummodo compendium utique sat accurate concinnatum secundum textum primigenium, exhibere licuit ex ms. quodam Bigotiano) (4), atque in fine deerant capitula XXX ad XXXVIII. Epistolam autem dedicatoriam eos ex Whartono excerpere necesse fuit. Felicioribus nobis contigit eorum desiderium levare, textum Lantfredi ex exemplari scriptori saltem coævo nactis (5), quod continuo *Analectis Bollandianis* inserendum ad Bollandi successores transmittere volupe fuit.

Jam quod spectat ad rationem editionis nostræ, non duximus textum codicis nostri (coævum, ut diximus, auctori, quemque ejus diceremus autographum, nisi menda obstarent quibus scatet quæque vix credibile est auctorem scripsisse, ut facile inspicienti verba a nobis ad calcem paginarum rejecta patebit) ita exhibendum, ut formam etiam vocum seu, ut, aiunt, orthographiam in codice usurpatam sequeremur. Inde est quod litteras *i* et *u* expressimus typis *j* et *v* quoties hæ litteræ consonantium munere funguntur, et litteræ *e* vel simplici vel caudatæ substituimus duplicem conjunctam *æ* vel *œ*. Formas etiam ut *columpnas, karitas, sollempnitas, temptare,* et similes, pro quibus usitatiores adhibuimus, hic indicasse sufficiat.

(1) Cfr. *Histoire littéraire de la France,* tom. V, pp. 527, 539; A. Tougard, *L'Hellénisme dans les écrivains du moyen âge* (Rouen 1886), p. 41. — (2) Cfr. *Act. SS.*, tom. I Jan., p, 596, num. 6. — (3) *Act. SS.*, tom. I Julii, p. 323, num. 13. — (4) Num. 174, nunc Biblioth. Nat. Paris., cod. lat. 5362; cfr. L. Delisle, *Bibliotheca Bigotiana manuscripta* (edit. Rotomagi 1877), p. 48. — (5) Addit Godescard in sua editione Albani Butler inter annotata ad Vitam S. Swithuni (ad d. 15 Julii) alia duo exemplaria hujus documenti contineri in codd. nunc in Museo Britannico repositis: alterum scilicet in Bibl. Regis (id est, codex 15 C. VII, juxta Casley, *A catalogue of the manuscripts of the King's Library,* London 1734); alterum in Bibl. Cottoniana (videlicet Nero E, I, fol. 33, ut jam monebat Pinius in *Act. SS.*, Comment. Præv. num. 13 modo citato).

*[LANTFREDI EPISTOLA PRÆMISSA HISTORIÆ DE MIRACULIS S. SWITHUNI, EPISCOPI WINTONIENSIS *.]*

1. Dilectissimis fratribus (1) Wintoniæ (2) commorantibus in Sancti Petri cœnobio, quod nuncupatur Vetustissimum [1] (3), jugis concordia, salus ac perennis gloria, gaudium inenarrabile, splendor sine fine, pax sempiterna, caritas continua hic et in cœlo multiplicetur a Domino. — Licet, carissimi atque [2] affabiles adelphi, per universam ferme Europam sint divulgata penitus miracula quæ præpotens auctor miraculorum dignatus est largiri gentibus Anglorum per sancti SWITHUNI meritum, tamen, ne tanta Dei beneficia queant posteritatem latere succedentem, nequissimus cunctorum pravis actibus hominum, utpote nulla divinæ prærogativa scientiæ, nulla fultus bonitatis auctoritate, verum vestris obtemperans jussionibus, vestris confisus orationibus, tremens ad tantam pelagi magnitudinem accessi, et, quasi stillam de undis oceani, ita de plurimis sancti miraculis perpauca decerpsi.

* Sub hoc titulo legitur sequens Epistola apud Wharton, *Anglia Sacra,* tom. I, p. 322, num. 16. In codice nostro nullus legitur titulus hoc loco. nec uspiam fit in eo mentio Lantfredi. Variantes lectiones quoad hanc epistolam ex Whartono tantum notavimus, siquidem ejus textui se adhæsisse fatentur editores Bollandiani.

[1] *cod.* vetussimum. — [2] ac *W.*

(1) Hi *fratres* monachi erant viventes Abendoniæ (*Abington*) sub regula S. Benedicti, qui, vocantibus Athelwoldo episcopo et Edgaro rege, anno 967, locum sumpserant canonicorum. Cfr. paulo inferius, numm. 5, 8. — (2) Wintonia seu Wentana (Antonini, ut videtur, Venta Belgarum), civitas est perantiqua Occidentalis Angliæ, nunc *Winchester.* Tempore de quo hic agitur, scilicet anno 971, caput erat regni Saxonum Occidentalium, immo totius Angliæ, inde ab anno 800. — (3) Tria distinguenda Wintoniensia cœnobia : 1° Cœnobium vetus, de quo hic sermo est, ab ipso S. Birino, Occidentalium Saxonum apostolo, S. Petro, ut putabant, consecratum quodque adhærebat ecclesiæ cathedrali, de qua mox, num. 4; 2° Monasterium novum (*Newminster*) Sanctæ Trinitatis, cura Alfredi regis ædificatum circa annum 901 (cfr. *Act. SS.*, in Vita S. Grimbaldi abbatis, tom. II Julii, p. 657, num. 37) quodque postmodum, alio sub Henrico I extra oppidum constructo cœnobio, in monasterium *de Hyda* (sic ex nomine loci appellatum) transiit; 3° Sanctimoniale seu Parthenon S. Mariæ Virginis, idiomate vulgari *Nunnamunster* (cfr. *Act. SS.*, in Vita sanctæ Edithæ, tom. V Sept., p. 371, annot. *f*).

Quapropter efflagito conditorem rerum, quatinus non meum respiciat meritum sed affectus [1] jubentum. Vos etiam pro meis precor orare deliquiis [2], ne me seducat spiritus falsitatis. Nimirum animus terrenis irretitus curis nihil veritatis excogitare poterit, nisi prius fallacis caligines erroris Spiritus scientiæ et pietatis expulerit. Et quoniam perparum scimus de signis mirabilibus, prodigiis ac virtutibus, quæ sanctus iste in sua gessit orationibus vita : nimirum, ut inquit Priscianus, auctor grammaticæ artis peritissimus, studiis litterarum transeuntibus in negligentiam propter [3] scriptorum inopiam (1), veniamus ad ea quæ post obitum ejus [4] indubitanter sunt peracta ad viri Dei tumulum. Idcircoque accessimus maxime ad evolvenda hujus sancti miracula, quoniam, ut beneficia Dei dignissimum est laudare et justissimum ea [5] nescientibus prædicare, sic impiissimum est illa negare silendo [6] et nequissimum eadem ignorantibus non enarrare. Humanus quin etiam [7] animus istius est naturæ ut, quotiescumque legendo didicerit vel audiendo sacros actus antiquorum vel mores patrum, relinquat cordis duritiam deseratque mentis contumaciam, sectatricem vitiorum, et inclinetur ad misericordiam secteturque humilitatem, magistram virtutum.

[PROLOGUS.]

PANDIT HIC EX MULTIS MIRACULA PAUCA LIBELLUS
PER MERITUM SANCTI QUÆ FECIT RECTOR OLYMPI,
PONTIFICIS NACTO SWITHUNI CORPORE SACRO.

2. Notum est, fratres, fidelibus ubique gentium degentibus quanta piæ dilectionis beneficia quantamque justæ remunerationis gloriam Dominus noster Jesus Christus suis concessit clientibus, ac spopondit omnibus fide opereque colentibus

[1] *cod.* effectus. — [2] delictis *W.* — [3] per *W.* — [4] (o. e.) e. o. *W.* — [5] eum *W.* — [6] (n. s.) s. n. *W.* — [7] (quin etiam) *om.* *W.*

(1) « In negligentiam cadentibus studiis litterarum propter inopiam scriptorum. » Priscianus, *Institut. grammatic.*, procem. n. 2 (ed. Lipsiæ 1819, tom. 1, p. 4).

verum et summum Deum, in unitate trinum, in trinitate unum. Qui, licet angelorum foret creator et hominum, ineffabili nativitate omousios [1] genitus a coæterno Patre ante materialem olympi, telluris et oceani formationem, longe lateque ante cuncta temporum primordia pulcherrimus, rerum gerens [2] pulchrum profunda mente empyrium, non dedignatus est homo fieri, ferme in extrema caducorum margine, nostram suscipiendo fragilitatem suamque haud minuendo divinitatem, quatinus humanam reduceret naturam proprii effusione cruoris, a perpetuæ liberaret damnatione necis ac restitueret claritati [3] sempiternæ atque immortalitati cœlestis patriæ, unde eam protoplastus [4] expulit per vitium inobedientiæ. Qui, sacræ incarnationis expleto ac præfulgidæ nativitatis mysterio, universaque baptismatis peccamina purificantis, bis ternis divinitas lustris [5] ab assumpto humanitatis idalmate [6] terminatis, tribusque annis jure additis, stauro [7] fixa, luce tertia morte resurrectura, emori sivit quod [8] accepit, ut inde [9] conferret vitam nobis unde dæmon mortem [10] intulit, inde trophæum unde supplicium, inde æternitatis lætitiam unde damnationis pœnam, inde lauream [11] unde ruinam. Post cujus corporalem vivificæ crucis passionem solibus quaterdenis commoratus in arvis, cœlos petiit demate, quibus numquam defuit deitate. Denique, imeris septies septenis typice completis post gloriosam ejus anastasim, consolator Spiritus, a genito promissus, a genitore missus, ab utroque progressus, compar ambobus et coæternus, repentino fragore, ignis instar et linguæ, proseucam [12] irruit, quo latebant fornifori [13], metu tribulum territi. Quorum corda complevit sancti tanta infusione charismatis, ut in una etiam apostolorum vaticinatione pariter eadem

[1] (*alia manu addita explicatio hic et deinceps*) *supra lin.* id est unius substantiæ. — [2] *nisi jungendum sit* pulcherrimus rerum. *Cfr. num. 3, lin. 24.* — [3] *cod.* claritatis. — [4] *supra lin.* id est primus formatus. — [5] *supra lin.* id est quinquenniis. — [6] *supra lin.* id est forma et specimine, idem est et agalma. — [7] *supra lin.* id est cruce. — [8] *in marg.* id est corpus humanum. — [9] *in marg.* id est per lignum sanctæ crucis. — [10] *in marg.* id est per lignum vetitum. — [11] *in marg.* id est coronam perpetuæ beatitudinis. — [12] *intellige* domum orationis. *Cfr. Du Cange.* — [13] *An pro* φερνοφόρος, qui fert dotem? *Cfr. Comment. S. Hieron. in caput* XI *Danielis.*

tempestate dinoscerenter sermones omnium consona voce populorum. Qui, divino referti Pneumate, foribus patefactis, citissime Christum prædicabant publice, quem dudum, septi firmo munimine, auribus vulgi non audebant vaticinari. Moxque conversis ad fidem paucis ex eorum consanguineis, respuentibus ceteris doctrinam, didascali adimplentes veriloqui mathites, quæ infit, jussionem : *Euntes in omnem dogmatizantes* [1] *orbem evangelium humanæ omni creaturæ,* judaici relicta erroris perfidia, optione bis senas sortiti provincias totiusque gentilitatis fines adgressi, pene universum, Deo favente, cosmum, quaterno climate quadrifidum, ad christianæ fidei religionem et ad sanctæ Trinitatis agnitionem, signis virtutibusque miraculorum credulitatem præbentibus, converterunt.

3. Quorum æquiperatores novissime ad gentes pervenerunt felices, in Britanniæ limitibus commorantes, quæ nuncupantur Angli Saxones, etiam nunc [2] compeditas nexibus zabuleis [3] turificantesque dæmonum simulacris, necne varias antiquæ malignitatis illusiones pro Deo, rerum auctore, venerantes. Quas ideo felices prædico, quoniam mox audito veritatis lumine, relicta dæmoniacæ pravitatis caligine, susceperunt christianitatem absque doctorum strage, quam gentes ceteræ noscuntur suscepisse cum cruoris testium respersione multorum. Gentes nimirum præfatæ Anglorum cum tantæ sitibundo ardore devotionis sperma divini percepere rematis, ut etiam in fide religionis catholicæ non solum pontifices, cœnobitæ et abbates, verum reges, reginæ ac satrapes, quamquam haud omnes, tamen perplures, extiterint religiosiores monachis complurimis. Quapropter idem Dominus Messias Jesus contulit tantam præfatæ nationi gratiam, quatinus sanctos fere innumerabiles ex privis contribulibus possideret, per virtutem Domini curantes totius insulæ ægros diversis languoribus oppressos. Sit benedictus noster Dominus Sother Christus, qui, assumpta nostræ infirmitatis idea, nos liberavit ab æternæ damnationis pœna,

[1] *intelligendum forsan* dogmatizate *vel supplendum* prædicate. — [2] *sic, pro* tunc. *Vide præfat. nostram.* — [3] *i. e.* diabolicis. *Cfr. Du Cange, v.* zabulus.

quam ille priscus cerestes [1] olim primogenito intulit, fraudis inventa versutæ nequitia. Qui dum concupivit Creatori majestate similis fieri, cum foret cunctarum excellentissimus creaturarum, effectus est omnibus deterior rebus : detrususque tetri in ima tartari, etiam nunc impia jugis luens tormenta livoris, quod homo, inferior natura, utpote ex terrena corporatus massa, de qua nefanda pulsus est contumacia, perpetualiter cœlestem possessurus est amœnitatem.

4. Post cujus ergo ineffabilem mirificæ humanationis adunationem, transcurso nongentorum curriculo annorum cum bis septem revolutione lustri, quin etiam ferme annum Phœbo rotante medium, ætate sexta, quæ est caducorum novissima, indictione quartadecima, EADGARO regnante (1), basileo insigni atque invictissimo, præpotente ac clementissimo, necnon gloriosissime sceptrigera ditione et feliciter gentibus imperante compluribus, habitu distantibus, voce atque moribus, diffuse in insula commorantibus quæ Albio (2) nuncupata legitur ab Anglorum fore veteribus, ipse Dei cuncticreantis unicus, lucis assiduæ splendor sempiternus, dignatus est suis largire Anglis Saxonibus cœleste munusculum per gloriosi præcipuum antistitis [2] SWITHUNI meritum, ægrotis ætherium conferens beneficium, quia in præsignata tempestate pontificis hujus almi reliquiæ convocationi catholicæ cœlitus Deo largiente mirabiliterque sunt revelatæ; quin etiam multiplicibus prodigiis ac virtutibus comprobatæ, miraculisque inenarrabilibus luculenter adornatæ [atque [3], donec illi templum fabricaretur, infra mœnia basilicæ apostolorum Petri Paulique (3) decenter collocatæ]. Post cujus etenim sacri

[1] *intellige* κεράστης, cornutus. — [2] *cod.* antistis. — [3] *in margine codicis scripta sunt hæc quæ uncis hic inclusimus, et posteriori tempore videntur addita.*

(1) Optime conveniunt hæ notæ in annum 971, Edgari regnantis 13, Athelwoldi episcopatus 8.—(2) Primo jam seculo æræ christianæ ut vetus habebatur illud vocabulum. Plinius, *Nat. hist.*, lib. IV, cap. 16 : " Albion ipsi nomen fuit. „ Cfr. Cellarius, *Notitia Orbis antiqui*, l. II, c. IV, n. 1 (edit. Cantabrigiæ 1703, p. 254). — (3) Anno 648 " Perfecta fabrica Wentanæ ecclesiæ ... dedicavit ipsam basilicam ... beatus Birinus in honorem summæ et individuæ Trinitatis ... Venit Birinus in Angliam XLI° anno post adventum S. Augustini. „ Ita Thomas Rudborne, monachus Wintoniensis seculo XV medio, *Historia Major Wintoniensis*,

translationem corpusculi tot languentes pristinæ sanitati Deo præstante sunt restituti in sacello quo quiescebant ossa pontificis almi, quot nemo vivens corporea luce quivit conspicere, neque elementorum sacras recitando schedulas ediscere, nec rumore mordaces pulsante aures percipere ad monumentum unius sancti curatos fore, neque post sanctos prædicatores apostolos, quorum umbra quotquot tangebat ægros redire cogebat illæsos, quisquam sanctus mortali septus dematis velamine uspiam utriusque sospitatis vitæ dinoscitur reddidisse.

[LIBER I LANTFREDI DE S. SWITHUNO SEU DE TRANSLATIONE.]

CAPUT I.

ANNIS ANTE TRIBUS QUAM DE TUMULO TRAHERETUR,
IN SOMNIS PRÆSUL HOMINI COMPARUIT ALMUS,
PER QUEM CANONICO MITTIT SUA JUSSA POTENTI.

5. Triennio igitur antequam sanctæ egregii ac venerabilis præsulis exuviæ de mausoleo quo olim fuerant humatæ, divini [1] jubare splendoris manifestatæ, a reverentissimo ejusdem loci antistite fratribusque ibidem commanentibus [2] essent sublatæ, apparuit (1) idem in quiete somni [3] cuipiam

[1] *supra lin.* — [2] *ita corr.; prius* commorantibus. — [3] *cod.* somnii.

lib. II, cap. 2 (apud Wharton, tom. cit.). Infra, num. 21, auctor noster Lantfredus Novum Monasterium vocat " Sanctæ Trinitatis ædem. „ Ven. Beda vocat ecclesiam Veteris monasterii " ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli „ (*Hist. eccles. Angl.*, III, 7), sicut hic auctor noster. Addit cap. 3 idem Thomas Rudborne : (ecclesia) " quæ modo dicitur Apostolorum Petri et Pauli et S. Swithuni confessoris, tunc dedicata erat, ut superius diximus, in honorem summæ Trinitatis. „ Loquitur autem de anno 683. Liber Vigilantii, ad quem sæpe provocat Rudborne, titulum habebat " de Basilica Petri. „ Refert Lewis *A topographical dictionary of England* (Londini 1831), ad verbum *Winchester*, p. 494, S. Swithunum persuasisse regi Æthelbaldo ut ecclesiam cathedralem, cui adhærebat monasterium Vetus, mœnibus cingeret, quæ incursiones Danorum arcere possent. Sic intelligitur quomodo dicere potuerit auctor noster inventum corpus beati Swithuni fuisse prius collocatum " infra *mœnia* basilicæ apostolorum Petri Paulique. „ — (1) Anno 968, quandoquidem repertum fuit, ut diximus, corpus S. Swithuni anno 971.

veridico opifici, decora præditus canitie angelicoque præclarus effigie, necne byssino amictus peplo pedesque aurato comptus sandalio. Aurea rude ter paululum ejus tangente capitulum, conspicua voce postmodum sic fatur ad eum : *Dormisne, frater, an vigilas?* Qui respondit : *Nuper, domine mi, dormiebam; verum postquam nostram introgressus es domiculam, sopor gravis confestim a privis recessit oculis.* Cui sanctus [1] inquit præsul : *Numquidnam talem agnoscis canonicum, qui quondam a vetusto cum ceteris infauste viventibus expulsus est* (1) *cœnobio? Ut eum recognoscas dilucide, Eadzinus nuncupatur vocamine.* Faber eulogito [2] respondit episcopo : *Quondam illum novi, pater; modo tamen nescio ubi est.* Cui præsul ait : *Nunc Wincelcumbe* (2) *degit.* Faber inquit : *Domine mi pater, cur illum a me* [3] *requiris, quem melius me cognoscis? Nonne mihi ejus vocabulum innotuisti atque locellum? Indica mihi, pastor eximie, quo nominaris onomate? Per tuum stoma* [4] *nempe divina reboat tuba* [5], *quæ cœlicolam vere te pandit fore; quapropter, te flagito, mei miserere.* Ad quem sacer infit antistes : *Nomen meum si quæris, ocius habebis. In nomine Trinitatis almæ unitatisque individuæ tibi præcipio, fili, teque rogo* [6] *in dilectione Christi, si quando ad istam prædictus urbem venerit canonicus, quatinus ad illum propere pergas, meaque illi jussa dicas. Sin autem huc numquam destinavit accedere neque tu ad eum ulla ratione poteris pervenire, quandocumque aliquem ex illius conspexeris clientibus, vigilanti cura parte ex mea illi impera ut proprio dicat seniori omne quod narrabo tibi: " Hoc tibi præsul, Eadzine, mandat Swithunus, quatinus ad Wintoniensem festinanter pergas civitatem, dicasque antistiti qui modo eamdem regit diocesim, cui olim præfuit, quo corpus suum de monumento elevet et digne in ecclesia collocet.* Cui faber : *Domine, nullo modo voluerit meis credere dictis.* Vir sanctus inquit : *Ut tuis credat sermonibus utque meis annuat jussionibus, dic ei ad meum*

[1] *supra lin.* — [2] *supra lin.* be[nedicto]. — [3] (a me) *supra lin.* — [4] *supra lin.* os. — [5] *supra lin.* id est vox angelica. — [6] *supra lin.*

(1) Cfr. infra, num. 8. De eadem re agit Wolstanus in Vita S. Athelwoldi (*Act. SS.*, tom. I Aug., p. 72, n. 18). — (2) *Wincelcumbe* vetus erat vocabulum moderni *Winchcombe* prope *Gloucester*.

quo pergat tumulum et trahat unum manu anulum ex bis ternis qui sunt fixi in mei cooperculo [1] *sarcofagi* (1). *Si confestim subsecutus fuerit illum, hoc sit ei vere manifestum, quoniam te misi ad illum; sin autem illum minime hinc poterit evellere, tunc nulla ratione tibi debet credere. Potes deinde illi indubitanter referre quod, si utriusque vitæ desiderat perfrui sospitate, relictis præteritorum nævis peccaminum, præstat* [2] *ei mores et actus commutare in melius et ad cœlestis patriæ beatitudinem incessanter festinare immarcescibilem, quam probrosis voluptatibus deservire mortetenus, quæ post metam hujus lucis pœnam* [3] *ingerunt perpetuæ damnationis. Quin etiam nec hoc silendo transeas, verum omnibus vaticinando prodas, quod mox ut meam aperuerint sepulturam, repperient thesauros tam inæstimabiles tamque pretiosos, ut quidquid usquam est auri et gemmarum vilescet in comparatione horum.* Postquam talia fabro edicta sanctus vates tradidit, tugurium [4] obsoleti deserens tegetis [5], cœlos petiit, quibus Christo, omnium capiti sanctorum, conjunctus, æternaliter inhabitare meruit pro bonis operibus.

6. Verum faber ille modestus sobrietate, primo metuens videri sycofanta falsidicus ac deinde divulgari insana mente furiosus, hanc visionem prorsus nemini ausus est prima vice inclinare viventi. Qui commonitus secundo ab eodem sancto, nec minus tertia commonitione acriter increpatus ab euchari [6] pontifice, videlicet [7] cur ejus nollet sacris obedire præceptis, crudelique insuper comminatus nece, si non allubesceret [8] edictis [9] sacratissimi vatis, quod sponte noluit, coactus prodiit. Ergo opifex ille, ignorans quid posset agere, nimirum civitatulam nesciebat quo clericus ille manebat: et, licet eam sciret, illi tamen nihil proficeret, qui, præ nimiæ infirmitatis dolore, nec incedens pedibus nec equo vectus ad illam quibat pervenire. Qui antelucanus [10], matu-

[1] *cod.* coperculo. — [2] *cod.* Restat. — [3] *vox suppleta ex conjectura.* — [4] *supra lin.* casulam. — [5] *in marg.* teges id est medieta sancti. — [6] *supra lin.* id est repleto gratia Spiritus sancti. — [7] *in marg.* — [8] *supra lin.* id est faveret consentiret. — [9] *in marg.* jussionibus et præceptis. — [10] *supra lin.* id est ante lucem surgens.

(1) Nota annulos sarcophago affixos vel ornamenti gratia vel ad suspendenda votiva filialis fidelium pietatis monumenta.

tina pulsante campana [1] sicuti valuit ad tumbam almi pontificis accessit, Deumque supplici prece exoravit, quatinus illi talem ostenderet hominem, qui vellet deferre suam legationem usque ad illam in qua canonicus degebat præsignatus urbem.

7. Qui consurgens ab oratione, sentiens remedium ægritudinis suæ, ilico intellexit supplicationem suam cœlitus a Domino esse exauditam, qui zoen [2] præstat omnibus ad se confugientibus. Moxque ex senis unum supradictis arripiens anulum, tali voce inquit ad Dominum, creatorem rerum : *Domine Deus, universæ conditor creaturæ, concede mihi, nequissimo peccatori, si sanctus iste qui hic quiescit somate* [3], *ter comparuit meis obtutibus* [4] *in noctis sopore, ut hinc istam ferream possim* [5] *evellere sperulam, sicut nuper in somni visione idem vir Dei meis auribus studuit resignare.* Qui statim ut traxit orbem calybis [6], ita subsecutus est illum ex lapidea mole, quasi foret fixus in marino sabulone. Quem in propria [7] reponens rimula, ita fixus permansit, paululum pressus calce, ut posthac nequaquam possit inde avelli a nemine. Tandem eodem die dum perageret [8] forum, repperit quemdam commemorati inquilinum canonici, qui causa necessariæ coemptionis Wintoniam venerat. Quem suppliciter flagitans exoravit, ut seniori suo cuncta narraret quæ de eo per somnia viderat; nec illum a sese uspiam ante sivit redire, donec impetravit precibus quod poposcit pluribus.

8. [Q]ui [9] postquam ad proprium pervenit herum [10], per longinqui intervallum temporis, sive immemor [11] commissæ legationis, seu metu herili territus, siluit, dominoque intimare distulit quod supplicanti amico spopondit. Quadam tamen die, sagaci pertractans mente, cognovit sese nefandum scelus committere, occultando macharii missatica Swithuni ac negligendo fidi precamina amici. Compunctus nimium accessit ad dominum, cui per ordinem exposuit quidquid a

[1] *supra lin.* id est... clocca. — [2] *supra lin.* id est vitam æternam. — [3] *supra lin.* id est corpore. — [4] *supra lin.* visibus. — [5] ferream *repetitur.* — [6] *supra lin.* anulum ferri. — [7] *cod.* propriæ. — [8] peragraret ? — [9] *littera* Q *majuscula erasa.* — [10] *cod.* erum. — [11] *cod.* in memor.

fabro audivit. Qui ea tempestate non solum antistitem Wintoniensis basilicæ, verum etiam cunctos fratres inibi commorantes pertæsos habens propter expulsionem canonicorum, nefandis moribus ac spurcissimis utentium, pro quibus venerabilis præsul Athelwoldus (1) non sine Dei nutu, glorioso rege Eadgaro (2) favente, eos a prædicto expulerat cœnobio locoque eorum sacros constituerat cœnobitas, potius quam sancti jussa patris implere studeret, audire renuit [1].

9. Postea vero, ferme duorum curriculo annorum expleto, largiente superni providentia Conditoris, qui omnibus suam gratis præstat gratiam quos [2] præscit in vineam laboraturos Dominicam, quatinus finita luce repperiat quibus denarium pro munere reddat, idem clericus, qui nuper erat bioticus [3], hujus vitæ relictis vanitatibus, pompis ac vanitatibus [4], factus est cœnobita religiosus multumque Deo dilectus [5]. Quo narrante, ipsoque opifice, didicimus ita gestum esse penitus, quemadmodum præsens demonstrat codicellus (3). Benedictus omnipotens Deus, qui peccatores justificat, qui in sese sperantes salvat, qui superbos humiliat, qui humiles exaltat.

CAPUT II.

De primo miraculo ad tumbam ipsius sancti cœlitus patrato.

10. Denique, ante sacri inventionem [6] corporis [7] beatissimi

[1] *cod.* rennuit. — [2] *cod.* quod. — [3] *supra lin.* id est secularis. — [4] (hujus-vanit.) *supra lin.* — [5] (multumque D. dil.) *supra lin.* — [6] *cod.* inventione. — [7] *cod.* corpoporis.

(1) Athelwoldus, in Wentana civitate natus tempore Eduardi senioris (900-924) et sub Ethelstano (924-940) a beato pontifice Elfego ad sacerdotii gradum evectus, Abbandonensi primum præfectus est cœnobio, et demum Wintoniensi Ecclesiæ anno 963. Obiit apud Beaddington, sexagesimo milliario ab urbe sua episcopali, anno 984, regni moderamina gubernante Ethelredo. Ejus Vitam a Wolstano monacho conscriptam edidit Mabillonius (*Act. SS. O. S. B.*, sec. V, p. 608), et ex eo Bollandiani tom. paulo superius cit. — (2) Edgarus, filius Edmundi, rex fuit ab anno 959 ad 975.— (3) Diceres hic locum fuisse narrandis iis quæ canonicus " factus cœnobita „ egit cum episcopo, licet invitus. Nec concordant preces opificis (supra, num. 7) verbis S. Swithuni, qui non *opificis* sed *canonici* gratia annuli avellendi signum proposuerat. Hic in *Act. SS.* verba quædam per puncta suppleta sunt.

Swithuni antistitis, gibber quidam ab exordio commorabatur in quodam viculo regis, qui ab ipsius *Athelwarabyrig*[1] nuncupatur incolis. Is, dum propter ingentem gibbum caput gestaret demersum ferme usque ad genuculum[2], Wintoniam ut adiret audivit per somnium : ad quam dum veniret, medicum reperiret peritissimum, per cujus valeret medicamentum recipere sanitatis beneficium. Qui mane consurgens protinus ac valedicens fratribus, apud quos commoratus fuerat et altus ab infantiæ temporibus, a quibus etiam gradum acceperat clericatus, inter illos quatinus degeret decentius, ægritudinem duobus sustentans fustibus, in quantum quivit ocius Wintoniam venit pedibus. Quam mox ut fuerat ingressus, benignissime est susceptus a quodam trapezita[3] humanitus, apud quem mansit ter binis mensibus. Qui adeo præfatum dilexit ægrum, pro dilectione conditoris rerum, ut, si quando iret ad convivium, fecisset eum deferri secum : si prope, suorum manibus servulorum, sin autem longe, suavium amminiculis equorum; non posse asserens semet percipere cibum absque languido jocundum. Tandem, transacto anni curriculo medii, cunctitonans Salvator mundi, miserens suæ creationi respiciensque nummularii labores fidelissimi, necne gemitus prænotati ac preces gibberosi, medelam præbuit languenti juxta mausoleum recubanti pontificis gloriosi, quemadmodum textus subsequentis ilico demonstrabit lectionis.

11. Igitur, ante sancti translationem corpusculi biennio (1), videlicet tempore prænotato quo idem alebatur in hujus trapezitæ domo, contemplatus est geminos adolescentes[4] per somnium ad se venientes, miro candore fulgentes dulcibusque ejus aures affaminibus complentes, ac tali sermone

[1] *a glossatore inter lineas idem hoc nomen repetitur, sed desinit in* t. — [2] *hic desinit fol. 38. In capite folii sequentis supra verbum* Wintoniam *posterior manus inscripsit hæc verba :* Anna Achilles, *quod nomen est, ut videtur, alicujus scribæ.* — [3] *cod.* trapeteta, *cum signo correctionis in litteris* t *media et* e *secunda. Intellige* trapezita, *i. e. monetarius seu nummularius,* τραπεζίτης. *Cfr. Du Cange.* — [4] *cod.* adulescentes.

(1) Anno igitur 969, quandoquidem translatio ipsa quam hæ revelationes seu apparitiones privatæ præparabant, facta est anno 971.

ægrum alloquentes : *Dormis an vigilas?* Respondit gibberosus : *Dormivi hactenus; verum postquam hujus introisti penetral domus, ab oculis procul recessit somnus.* Hinc languidum juvenes interrogant fulgentes: *Quomodo te habes?* Qui respondens ait : *Multis crucior malis.* Sancti ad invalidum adolescentes inquiunt : *Visne sanus fieri, qui non meruisti nasci?* Strumosus suspiciens infit : *Volo, si mihi Deus sospitatem annuit.* Vatis almi dixerunt languenti : *Surge de lectulo in quo nunc jaces diluculo ac perge ad monasterium quod dicitur Vetustissimum, et unius antistitis tumulum diligenter require sanctissimum, supra quod repperies tugurium* (1) *ad quantitatem sarcofagi compositum. Inter quod et lapideam staurum, quæ ibi est posita ob sanctitatis indicium* (2), *mox quiesce paululum : et sic utriusque sanitatis tripudium percipies sempiternum, si incessanter postmodum die noctuque laudaveris cuncticreantem Deum.* Qui postquam incurvum taliter affati sunt clericum, cum præfulgida luce unde divinitus advenerunt ad cœlestis gaudii amœnitatem regressi sunt. Æger vero ille evigilans a soporis gravedine, lætabundus ex tali visione, nimium desiderans admittere corporis medicamentum et animæ, festinanter proprium deserens fulcrum, perrexit ad opificem prætitulatum, cui narravit per omnia quidquid in somnis viderat. Qui admirans ultra modum cur ea tempestate excitaret illum; sed ut rei cognovit eventum, toto mentis conamine glorificavit Dominum qui salvificat sperantes in seipsum.

12. Nec fore æstimo prætereundum silentio, quod paulo ante monetarius idem perdiderat cultellum ingentem, sive potius mucronem, a pungendo quem possumus dicere pugionem, cujus vagina aureo erat metallo prædita, moleque sculpta argenti nimia. Quem dum cum magna requirens diligentia non inveniret, cœpit mente præmeditari studiosa [1] quid inde factum haberet. Qui sæpe præscriptum disponens

[1] *cod* studioso.

(1) Cfr. num. 21 " sepulcri tugurium. " — (2) Nimirum quia ibi erat cœmeterium, quamquam non præcipuum. Cfr. num. 16 medio.

interrogare ægrum, si in aliquo pugionem locello conspiceret illum, obliviscebatur illius, quotiescumque ante præsentiam gibber adventaret consuetus. Cujus, ut reor, haud absque instinctu superni judicis, eadem hora recordatus fuit, quo [1] languidus intimabat illi legationem angelorum Domini. A quo dum stipularetur si ejus machæram vidisset uspiam, vir idem : *Nequaquam*, inquiens, deinde subjungens : *Dic mihi, pater, utrumne tuam amisisti pretiosam cum pugione vaginam?* Qui respondit : *Amisi quidem.* Clericus inquit : *Quando? Aut quo in loco?* At ille subdens ait : *Fere per intervallum quindecim dierum non habui pugionem meum. Denique in ista super scamnum domicula reliqui illum; quem credo a me subtractum fore per latrocinium. Sed te quid verbis detineo plurimis? Perge ad tuum citius lectum, quatinus ante lucem pauseris aliquantulum; qua surgente, ad sacrum te perducam cimiterium quod jussus es adire per somnium.*

13. Qui dum libenter ejus obtemperaret edictis, rursus apparuerunt illi in quiete soporis juvenes quos ante viderat, decori, rutilantes fulgore inexhausti luminis. Qui eum ad nummularii scrinium ducentes hospitis : quo reserato clavicula, ostenderunt ei pecuniam, quam vir ille perdiderat, illæsam. Qui deinde arcam munientes serula, nec non sub pulvinar ponentes prælibatam trapezitæ dormientis claviculam, atque imperantes ægro ut resignaret domino quod ejus vagina non esset furto penitus subtracta, sed cœlitus inter gazas heri deportata, ideo quatinus intelligat se mercedem proprii recepturum laboris a conditore Deo, qui remunerat omnibus propter nomen suum bona facientibus.

14. Æger ille excitatus iterum, jam aurora reducente phosphorum, sermone veridico dixit argentario : *Noli, mi pater, esse sollicitus de illo, quem nuper perdidisti, suspadio; quoniam eum in isto repperies scrinio optime custoditum, annuente Domino.* Qui subridens ait : *Clavim illius per bis trium non vidi spatium ferme hebdomadarum; et tu dicis meum ibi fore suspadium. Non est ita.* Ad hæc gibberosus respondit

[1] *sic, pro* qua ? *Cfr. supra, num. 6,* civitatulam quo.

clericus : *Credere mihi potes indubitanter, sodes; quia ibi compereris quod perdidisse credis.* At ille : *Unde hoc nosti? Aut quis tibi talia persuasit dicere figmenta? Credere omnino quod dicis nequeo.* Rursum ait languidus : *Non debes esse incredulus. Sancti juvenes qui, in prima noctis apparentes vigilia, mihi sanitatem hodie venturam fore prædixerunt, idem ad me in isto venientes gallicinio*[1], *hac cista nec minus reserata, ornamentum quod quæris ostenderunt; quam denique munientes obice, clavim sub pulvillo posuerunt tuo, quam dicis te perdidisse dudum. Ergo festinanter surge, atque si verum est contemplare quod mihi demonstratum credo fuisse in nocturna visione.* Vir autem ille, hæc audiens multumque de talibus relatis stupens, haud cum exigua stupidi[2] admiratione animi, ilico ad privum accessit torum clavimque remoto nactus est pulvillo, necne reserata citius arca, contemplans suam cœlitus gazam fore servatam penitus illæsam, omnipotentem rerum auctorem glorificavit ac benedixit, qui pius semper custodit omnes in se sperantes. Deinde ægro dixit clerico : *Visne ut binos convocem gerulos, qui te ad sanctam bajulent tumbam, quatinus tibi illic quiescenti adsit promissa sanitasque vera?* Qui respondit : *Præcede me tantum ad quem dicis locum; ego te cum binis subsequar cambuttis. Nempe portitore indigeo nemine, quia jam, Deo favente, curatus sum ex parte.*

15. Moxque unum pariter arripientes iter, incurvus sanum geminis præcedebat cum baculis, qui absque alterius amminiculo nuper vix quibat surgere de fulcro. Qui dum ad sancti tumulum accessisset cum præduce, supplici Deum exoravit prece, quatinus illius mederetur languoris, sicut acceperat a piis cœlestibus in nocturnis visionibus. Qui postquam surrexit ab oratione, tanti pressus est soporis gravedine quo[3] vix ad cernendam lucem oculos valuisset aperire. Is tandem, sicuti potuit, nummulario ductori dixit : *Perge interim quocumque desideras : quoniam hic aliquantulum quiescam, quia sopor nimius me adgravat.* Quo recedente, obdormivit paululum, ac mox percepit corporis remedium per sancti

[1] *ita corr., prius* gallocinio. — [2] *cod.* stupidine. — [3] *sic.*

confessoris Swithuni interventum. Qui, confestim ut surrexit a dormitione quietis, ita curatus est divinitus, ut nusquam compareret gibbi locus. Erectoque vultu, cœlum cœpit contemplari fulgidum, qui paulo ante pronus terras, ceu brutum animal, tantum quibat prospicere stolidas. Hospes vero, peragratis reliquiis sanctorum (1), revertens ad languidum eumque reperiens sanum, lætus benedixit Dominum. Quem ducens infra basilicam, narravit omnibus qualiter clericus ille fuerat curatus. Actum est autem hoc miraculum IIII nonas Julii primum, ad sancti viri mausoleum.

16. Verum, quoniam eodem die celebrabatur a monachis ejusdem loci ordinatio sancti Martini (2) et translatio ejusdem sacratissimi corporis, cœperunt fratres inibi commorantes hæsitare per cujus meritum ægrotus ille curationem meruisset recipere. Complures etenim erant qui eum fore sanatum asserebant per gloriosa sanctorum merita quorum corpora quorumque reliquiæ venerantur intra mœnia illius illustris basilicæ. Æger vero qui curatus fuerat, ipse cum paucis constanter affirmabat quod per merita sancti præsulis curatus esset, sicut in somnis audierat. Nonnulli denique dicebant per beati intercessionem Martini, cujus solemnis dies agebatur, languidum desideratam percepisse medelam : maxime hoc conjicientes quoniam quædam turris erat ante prædicti januam cœnobii (3) dicata Deo in honore ejusdem venerabilis

(1) Ad orientalem partem Veteris monasterii Wintoniensis notat Godescard (loco supra citato), ex Clarendon et Gale, multa sepulta fuisse corpora Sanctorum ac regum Westsaxoniæ, quorum imaginibus olim totus tegebatur ecclesiæ murus pone altare majus. — (2) Celebratissima erat hoc die memoria S. Martini. In perpulchro codice anglosaxonico (nunc Rotomagensi, olim Gemeticensi) Wintoniæ, ut videtur, depicto et cui nomen improprie impositum „ Missale S. Guthlaci „ (cfr. opusculum nostrum in præfat. cit.), rubris et aureis litteris annuntiatur hoc festum IV Nonas Julii. — (3) De hac turri Wolstanus in libro metrico de translatione et miraculis sancti pontificis Swithuni (apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. IV, part. II, p. 70; *Act. SS.*, tom. I Julii, p. 321) :

Turris erat rostrata tholis quia maxima quædam
Illius ante sacri pulcherrima limina templi
. . . .
Inter quam templique sacram pernobilis aulam
Corpore vir Domini sanctus quievit humatus.

viri, inter quam et templi regiam sanctus Dei famulus corpore humatus fuerat. Nimirum vir Domini beatissimus, ut perhibent, tantæ fuit humilitatis, ut etiam illius sacratissimum corpus post obitum nulla ratione sineret humari in basilica, sed neque in cimiterio fratrum pretioso, quod erat optimum necne sanctissimum, in orientali parte atque australi climate præpollentis ecclesiæ(1); verum in viliore rusticorum se præcepit ponere, quod est situm ante fores herilis aulæ sufficienter commemoratæ, lacrimando contestans dema suum haud fore dignum sepeliri infra basilicam neque inter præclaras patrum sepulturas priscorum. Verum etenim Dei justissima actum est providentia, quo [1] præsul idem sanctissimus, qui, humilitatis virtute tactus, extra templum est sepultus, quasi vilis et contemptus prævaricator atque indignus, virtutibus ac signis declaratus plurimis, ad eamdem reduceretur sublimis, venerandus ac præcluis. In quo sermonem Dominicum indubitanter cernimus esse completum, qui dicit ad populum christiana religione catholicum : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.*

[1] *ita cod. pro* ut ? *Cfr. supra, num. 15.*

(1) Idem, ibidem :

Mente humili tantum præsul fuit inclitus idem,
Ut perhibent omnes hunc qui novere fideles,
Ut se post obitum sineret nullatenus intra
Ecclesiæ Christi penetralia corpore poni,
Sed nec in electis loca per diversa sepulcris
In quibus antiqui Patres jacuere sepulti,
Aurea sol oriens orbi qua spicula mittit
Qua mediumque diem fervente calore perurit ;
Sed magis occiduo mandat se climate poni
Illius illustris, quam sæpe notavimus, aulæ.

Unde etiam patet quantum, vel in minimis, inhæserit Wolstanus Lantfredi nostri vestigiis.

CAPUT III.

Qualiter urbanus quidam pene mortuo similis effectus sit et ad hujus sancti tumulum sanitati restitutus.

17. Appropinquante vero sacratissimæ solemnitatis die, quo venerabilis Dei animula antistitis Swithuni sanctissima, corporeæ molis nexibus resoluta, deserens terrenam habitationem, ad cœlestem commigravit felicitatem, in qua æternaliter, Christo regnante, perfruitur jugis gaudii luce, eodem scilicet anno vel mense (1) quo postea sanctum soma sublatum est de sepulcri munimine, vir quidam, civis Wintoniensis nativitate, cupiens proprios revisere mannos solito more, qui degebant in pascuis juxta alveum fluminis quod alluit muros præscriptæ civitatis, tum medium sole diem volvente in australi climate. Quo cum pervenisset homo ille, fatigatus ex itinere necne gravatus sopore, cœpit paululum dormire in solis cecaumine[1]. Qui dum evigilaretur a somni gravedine, prospectis burdonibus, desiderans domum redire, nil mali sperans posse ei contingere in tam vicino itinere, is, dum propter amnem præfatum caperet itineris incessum, haud procul prospiciens, geminas ante se conspexit mulierculas, haud ullo cultu præditas nullisque vestibus septas, verum teterrimo corpore nudas, ac furvis crinibus horrendas, tisiphoneisque vultibus infectas, atque infernali nequitia ac veneno armatas, super ripam fluvii considentes, quasi binæ ex tribus furiarum sorores. Quæ ilico ut virum coram sese venientem conspexerunt, surgentes contra eum pariter concordi voce dixerunt : *Frater, huc veni : quoniam indubitanter volumus tibi perpauca colloqui.* Qui

[1] *per hanc barbaram vocem* cecaumen *intellige* ardorem, *ex græco* καίω, κέκαυμαι.

(1) Incipiente igitur mense Julio anni 971.

perterritus ac nimium stupefactus, contemplans æthiopissas fuligineis coloribus inopertas, nudis corporibus, nullum eis verbum penitus quivit respondere : sed primum ab ipsis pedetentim cœpit secedere et post modicum præpete cursu fugere. Quem illæ contemplantes fugientem et earum jussionibus obtemperare nolentem, veloci eum gradu insequentes, dicebant ad hominem ; *Cur, insane, fugis? Quo, moriture, abis? Non, ut æstimas, nos effugies indemnis; nostris confabulationibus spretis, nequaquam evades periculum nostræ feritatis. Licet nostra flocci pendas imperia, non te liberabit pernix fuga. Haud hinc abibis ulla ratione incolumis* [1], *neglectis astute sententiis nostræ sermocinationis.* Vir autem ille, hæc audiens, magno terrore concussus, inquiens : *Miserere mei, Domine Deus omnipotens.* Qui interim, in quantum quibat fugiens, vicinam properabat ad urbem.

18. Verum cum a corvinis, quas humana cohibebat statura, mulierculis vir ille non posset comprehendi nec aliqua offensione retardari, accessit tertia miræ proceritatis, quæ instar turris eminebat ceteris, candido tamen prioribus colore dissimilis, ac decenter niveis ornata induviis. Hæc etenim, fraudem [2] nacta, retro collem latitabat, juxta viam per quam homo transire disponebat, quatinus eum comprehenderet, si a furiis intactus existeret. Quæ consurgens de latibulo, ad se furias convocavit ilico; quibus dixit sermone infesto : *Huc ad meum commigrate ocius contubernium, et ulterius desinite persequi homuncionem istum. Non hic a meis periculum effugiet manibus, quod evasisse æstimavit funditus, vobis more anserum perstrepentibus.* Quæ protinus ad viatorem conversa fugacem, haud illum concito prosequitur vestigio ut furiæ, verum, fixa in prædicti perseverans collis cacumine, ingentem manicam ter plicavit in rugam : quam cum ingenti collisione sursum elevans eumque toto virtutis conamine desiderans percutere, Deo largiente, quem invocabat mente, quamvis non posset ore, non prævaluit ipsum contingere. Sed ventus ex stridore ipsius manicæ procreatus super eum

[1] *cod.* incolomis. — [2] *cod.* fraude.

venit. Quem paulisper dextro in latere tetigit; et mox, cum nigro comitatu ab eodem discedens, in amnis gurgite saltu eximio se dedit præcipitem.

19. Vir autem ille, percussus diræ vestis spiramine, confestim pronus corruit in faciem, ceu cadaver exanime, immobilis jacens pene per intervallum unius horæ, sinistro latere permanens illæsus, dextroque tam gravi peste cæsus, ut neque pedem posset ad ambulandum extendere, neque manum ad crucis signum fronti ejus infigendum erigere. Qui, ut quivit, post surrexit. Læva manu gerens hastam, claudicando vix pervenit usque civitatis portam. Ad quam cum accessisset, rursus in terram cecidit et acri dolore cruciari cœpit, nec se de loco penitus removere potuit. Tum quidam viatores, eo supervenientes, ut viderunt eum tali cruciatu torqueri, intrantes mœnia præscriptæ urbis, nuntiaverunt hoc parentibus ægri. Tunc amici et affines circa eum venientes, dolentes et gementes necne vehementer admirantes, unde tam repentinus necis interitus agnato eorum potuisset accidere quæsierunt flebili percunctatione. Et quoniam nec equis[1] eum ferre nec manibus quibant ducere, præ nimio dolore, imponentes baccaulo ægrum, quem bajulantes deduxerunt ad propriam domum. In qua eum ter ternis custodientes solibus, non invenerunt quempiam medicum qui posset ullum conferre remedium, amici doloribus quotidie crescentibus. Quid plura? Illius cognati et amicabiles viri, nimium mœsti, vigilanti pertractantes studio quod solatium possent præbere miserabili amico, accedentes ad ægrum dixerunt : *Visne, frater amande, quo*[2] *te ad monasterium deportemus Sanctæ Trinitatis, quod nuncupatur Novum, in quo requiescit corpus sancti venerandum Judoci* (1), *confessoris et eximii sacerdotis, per cujus merita, sicut quondam innumerabiles, Deo favente, pristinam sanitatem recipere valeas?* Qui respon-

[1] *cod.* æquis. — [2] *sic.*

(1) Allatum Pontivo, ubi solitarius vixerat seculo vergente VII, ut fertur etiam in *Libro de Hyda* ad annum 902. Frater fuit Judicaelis, Armoricæ Britanniæ regis et S. Audoeni Rotomagensis amici (Fredegar. *Chronic.*, ad annum 635).

dit : *Libenter hoc volo, sed hac nocte nequeo. In subsequenti vero nocte me illo deducite, quatinus ibi possim vigilare atque salutis optatæ medelam percipere. Quapropter nunc, ad vestras domos commigrantes, capite dulcissimam soporis quietem: postera die ad vesperum reversuri mecumque estis ad sanctum vigilaturi.* Quibus mox deserentibus ægrum, nox astrigerum contexit polum, labore fessis acceptabilem præstans corporibus requiem, verum languentibus intolerabilem deferens doloris anxietatem. Qua mediante, præpotens auctor rerum ostendit infirmo cœlestem medicum, per quem post suscepit salubre medicamentum, sicut ilicet sequentia demonstrabunt.

20. Nimirum, invalido non valente soporem percipere præ ægritudinis nimietate, vir quidam valde splendidus, pontificalibus ornamentis decenter præditus, nivea canitie venerandus, sandaliisque aureis calciatus necne præfulgido diademate coronatus, domicilium est ingressus in quo æger quiescebat miserandus : quod tam immenso fulgore complevit, quasi totum foret plenum radiis rutilantibus solis. Qui, ad fulcrum accedens languidi aureæque incumbens rudi, ac trina repetitione dixit illi, sermone blando multumque delectabili : *Dormisne, fili, an vigilas?* Languidus, hoc audiens, contremuit; et vice prima sancto patri respondere timuit. Cui sacerdos summus inquit rursus : *Vigilasne an dormis? Numquid mihi non vis loqui?* Ille, secundo vocatus, siluit, nec quidquam sacro antistiti respondit. Qui denique tertio ait ægroto : *Dormisne an vigilas? Quid times? Si corporis desideras percipere curationem, audi nostram intentis auribus sermocinationem.* Tum languidus, hoc audiens, de sospitate gaudens, quam se recepturum [1] credens, audaciam sumens, primum sancto respondit, inquiens : *Domine mi pater, vigilo; verum tibi fari metuo, quia me indignum judico et peccatorem cognosco. Coram te totus contremesco, nec oculis te contemplari audeo : mei tamen miserere, te flagito.* Ait almus ad illum præsul : *Si percipere desideras velocissimum tuæ ægritudinis suffragium, non debes ad Novum bajulari [2] cœnobium, sed potius ad lapideam staurum*

[1] *cod.* recepturam. — [2] *cod.* baiolari.

quæ est ante Vetustissimum, post unius pontificis mausoleum; ibique pernoctans, cum insomnis nocturnas duxeris excubias, Christo auctore sanitatem quam nuper amisisti percipies, et magnalia cuncticreantis Dei agnosces, puroque intuitu mentis perspicies qui verus est medicus sempiternus, fons vivus, absque siti potus, sine fame cibus, via absque errore, lux sine caligine, indeficiens vita, pax sempiterna, gaudium inenarrabile, munus cœlestis patriæ, qui trinus et unus vivit et regnat Deus.

21. Hæc et his similia sancto narrante, reliquit tugurium, et cum vibranti lumine penetravit cœlum. Posteram vero lucem Titane ad plagam rotante occiduam, amici et parentes, ad ægrum venientes eumque ad Sanctæ Trinitatis ædem ferre gestientes, quemadmodum in transacto promiserant vespero, eodem suadente multumque eos exorante, crepusculo imminente, delatus est ad tumbam in qua sanctus Dei famulus quiescebat somate [1]. Qui dum illic pernoctaret triduo, permanens in oratione et jejunio, nocte tertia transcurrente media, recedente vigilum custodia ob soporis gravitatem nimiam, antistes summus, clemens ac piissimus, eodem vultu quo etiam superius, eisdem necne decoratus splendide ornatibus, languentis rursus comparens obtutibus. Cui præcepit sacris affaminibus, ut mulierculam cæcutientem visibus, quæ dormiebat propter ejus tumulum, sperans optatum percipere usum per sancti meritum, compulisset abire [2] domum. Qui vicinum quempiam juxta sese dormientem convocans, huncque jussit ut hanc extra claustrum duceret eamque domum commigrare sineret; ac postea, si vellet, paululum quiesceret. Hic, citissime amici obtemperans jussionibus, confestim surrexit, citius mulierculam expulit; et ad ægrum non rediit, verum ante templi januam obdormivit. Qui, a nocturnis desertus excubiis, mox divinis adjutus est suffragiis. Namque, versus contra turrim occidentalis climatis, conspexit virum miræ celsitudinis, quasi jubar fulgentem solis, in cacumine stantem præscriptæ pyramidis, in manibus

[1] (quiescebat somate) *cod.* somate quiescebat, *sed inversionem exigere videtur allitteratio.* — [2] *cod.* adire.

funem aureum tenentem [1], per quem pedetentim præfulgidam minutatimque complicatam deorsum misit tunicam : quæ, mox ut terram attigit, tamdiu ambulavit donec ad sancti tugurium pervenit. Quo dum pervenisset, sarcofagum sancti intravit, et postea non comparuit : verum staurus saxea tota contremuit, et, quasi in terram prona cadere vellet, se deorsum inclinavit. Supra quam rutilans columna comparuit, quæ ignea cœlum usque conscendit. Æger vero ille, stupefactus nimium, obdormivit paululum. Qui dum quievisset paululum [2], contremuit totum sepulcri tugurium in quo præsulis sanctissimum quiescebat corpusculum, totusque locus, in tantum ut putaret fieri terræ motum. Tum quoque infirmo visum est ut quidam ad eum accederet et crusculum ejus extendendo traheret, ipsius lateris videlicet quo torquebatur graviter : statimque, qui paralyticus ad sanctum venerat, vir ille sanus effectus est ; ac subtalaris, mirum ! pedis ipsius cœlitus est abstractus, et postea, a multis quæsitus, nusquam est repertus.

22. Quod idcirco actum fore credimus, quatinus sciret universus indubitanter populus, quod per meritum sancti pontificis Swithuni languidus ab omnipotente Domino fuisset curatus. Infirmus vero ipse ideo meruit sanitatem recipere, quia non dubitavit in fide, sed permansit in prece. Qui si prima nocte transacta recederet a gloriosi antistitis tumba, et non vigilaret in secunda necne in tertia, non potiretur sanitate desiderata; sed quoniam perseveravit in spe sincera, quod desideravit mente tota impetravit fide pura, ac percepit [3] caritate larga. In quo dinoscimus parabolam evangelicæ lectionis impletam, quæ dicit ad plebem sanctam : *Qui autem usque in finem perseveraverit, incunctanter hic salvus erit.* Tria namque miracula in hoc ægro cernimus esse peracta : Mulierum visionem, ac sancti patris piam commonitionem, necne languoris medicationem. Percutitur dolore corporis, ut suscipiat vigorem mentis, quia « Deus castigat

[1] *cod.* tenens. — [2] *post* paululum *rursus in cod.* stupefactus nimium. — [3] *cod.* percœpit.

ac corrigit [1] omnem filium quem diligit (1). „ Commonetur ut medicinam requirat, quatinus se infirmum prius peccatis confiteatur et intelligat, et sic demum sanitatem animæ percipiat, quoniam omnipotens angelorum creator et hominum non desiderat mortem delinquentium, sed expectat nefandarum in melius conversionem mentium, ne cogatur districtum exercere judicium, quod impiis supplicium confert sempiternum. Qui si ita studuerit animam a vitiis purgare, quemadmodum ipse curatus est somate absque dubio merebitur hereditare felicitatem cœlestis patriæ.

23. Vir autem ille, mox ut sensit se curatum, ad sese convocans amicum recumbentem ante templi ostium, dixit ad eum : *Recedamus domum : quoniam per sanctum Dei famulum, antistitem videlicet Swithunum, Deo juvante, curatus sum; et amplius hic manere non audeo, perculsus stupore nimio, quia hunc locum vere sacrum ac Deo dignum esse cognosco.* Qui ait : *Estne ita ut refers ?* Tunc idem fronti ejus crucem Christi imponens, amico respondit, dicens : *Videsne quoniam modo me possum signare, qui paulo ante manum ad os non quibam convertere?* Qui rursus infit amicus : *Quod facis, diligenter cerno; verum si supra pedes stare potes, titubo ac penitus ignoro.* Qui respondit : *Non solum stare, sed etiam firmiter ambulare, si haberem meum subtalarem.* Qui consurgens sospes abiit domum, glorificans omnipotentem Deum. Mane vero, largiturus symposium pauperibus, ad locum ipsum veniens, indicavit fratribus qualiter curatus est divinitus.

24. Post istius autem ægri curationem, antequam Dei famulus de sepulcro levaretur, admodum VIII debiles vel aliqui plures, in revolutione quindecim dierum [2], ad sancti viri tumulum, ni fallor, curati sunt. Quibus transactis, Idus Julii sanctæ ac venerabiles antistitis reliquiæ sublatæ sunt de

[1] *cod.* corigit. — [2] *in marg. voces* primum, secundum, tertium, *totidem lineis, usque ad* sextum decimum, *quarum vocum singulas crux præcedit, undecimque cruces tot numeris inscribendis præparatæ sequuntur.*

(1) Hebr. XII, 6.

monumento, imperante glorioso rege Eadgaro atque beatissimo, a domno præsule Athelwoldo venerabili, atque abbatibus Ælfstano (1) necnon Æthelgaro (2) præcluibus, et a fratribus olympicam in utroque cœnobio ducentibus vitam; et decentissime in basilica sunt reconditæ superius commemorata. Ex quo die usque ad præsens tempus, non cessavit Dominus beneficia præstare languentibus per præsulis almi meritum, jam sole decimum replicante annum (3). Qui [1], confestim ut apertum est sepulcrum, illum nacti sunt thesaurum quem sanctus antistes reperturum fore fabro dixerat per somnium, ceu pandit hujus libelli exordium (4), tam inæstimabile, tamque pretiosum, ut in ejus comparatione obrizum vilescat omne aurum et quidquid extrahitur gazarum de cavernosis foraminibus terrarum, videlicet sancti Swithuni corpusculum, per cujus interventum Christus, salvator hominum, dignatus est mederi corporibus ægrorum, transmittens genti Anglorum Raphaelem archangelum. Benedictus omnipotens Deus qui nostra tempestate dignatus est sanctum suum mirificare. Cui est honor et gloria in sempiterna secula.

[1] *quæ supersunt, alia manu vel eadem sed festinantius sunt scripta.*

(1) Ælfstanus, Floriacensis primum in Gallia monachus, tum Abbendonensis, et postmodum abbas Glastoniensis et episcopus Wiltonensis (*Wilton*), quæ sedes postea translata est Saresburim. Cfr. Elfricus in Vita S. Athelwoldi (*Chronicon monasterii de Abingdon*, t. II, p. 259, London 1858); Florentius Wigorniensis, inter *Monum. hist. Britannica*, t. I, p. 577. — (2) Æthelgarus, primus abbas Hidensis, id est Novi Monasterii translati Wintoniensis, ubi scholam constituit scribarum celeberrimam, de qua cfr. Joann. Gage, *The Benedictional of S. Æthelwood* (London 1832, in-4°: excerpt. ex *Archæologia*, t. XXXIV); factus episcopus Selseyæ, quæ sedes postea Cicestriam (*Chichester*) translata est, demum ad Cantuariensem archiepiscopatum promotus est, proxime post B. Dunstanum. — (3) Scripta ergo fuit hæc pars narrationis anno 981; cui tempori insuper optime consentit codicis nostri scriptura, ita ut ipsius auctoris tempore confectus haberi posse videatur. — (4) Cfr. supra, num. 5 extr.

[LIBER II LANTFREDI DE S. SWITHUNO SEU MIRACULA POST TRANSLATIONEM.]

Ut monuimus in præfatione, majorem partem hujus libri II habes in *Act. SS.*, loco cit. (tom. I Julii, p. 331-337), scilicet numeros fere 46 ex 54, descriptos ex codice Reginæ Sueciæ 769. Restat igitur ut inde a numero 46 suppleamus hic ex codice Gemeticensi partem quam Bollandiani non repererunt in suo. — At prius exhibemus variantes lectiones textus qui *Actis SS.* et codici Gemeticensi communis est. Omnes adscripsimus, licet non sint omnes ejusdem momenti.

Titulos capitulorum codicis etiam exscripsimus.

IV. Quod ad ejus tumulum multi ac pene innumerabiles sanati sint languidi.

1. Postquam ... ecclesiam, ut prædictum est, est repositum, quattuor ... languidi, quando plures ... quando vero ... diebus ægrotos per ...

2. ... præscriptum plateas monasterium ... gloriosa hujus sancti viri miracula ... Increduli quique etiam ... quia Dominus noster Christus ... beneficium ægrorum corporibus ...

V. De tribus cæcis mulieribus et de juvene muto.

3. ... mulieres in Wentan cæcæ degebant insulam ... lucem corporeis numquam ... cæcos illuminare et ... infirmos quosque curare, rogaverunt ... quatinus extra prædictam eas ducerent insulam ... et fluitarent absque ... eis quemdam virum ductorem mutum ...

4. ... verissime quia modo ... cæcas et Deo juvante ...

VI. De ancillula compedita.

5. ... diei aurora quo ... audisset, nimia permotus ... et compeditam abire ...

VII. De paralytico in itinere curato.

6. ... eorum lingua Hamne dicitur ... Dominus Wintoniam faciebat ... pervigil noctem duceret. Qui ... vicinos, quibus præcepit ... ipso iterabant complures ... ad venerandas almi ... remanentibus, cantarinis licet amminiculis ...

VIII. De cæca muliere ad sancti altarium illuminata.

7. ... nuncupatur Bedefordscire. Hæ ... promisit se daturam ...

IX. De ægra muliere bis sanitati restituta.

8. ... itaque vicini, affines ... Swithuno quo si aliquod per ...
9. ... conjuge præmeditaretur ad ... suppliciter exorans ut ... omnipotenti Domino gratias ...

X. Quomodo vir sanctus cuidam matronæ per visum in somnis apparuit.

10. ... prætermissum ferme per ... pulchre margaretis comptam nec non sandalibus pulcherrimis calciatus ... coram oculis eorum, et ...
11. ... hoc deluerit pœnitudine ... præbet mirabilia ut ... qui silendo ejus ... etiam ad hæc ... cessabunt Dei summi virtutes. Si ...
13. ... geminam potenter naturam ... illa gloriosæ præcepta ... Quæ tamen ocius ...
14. ... aquam atque panem ...

XI. De quodam Lundoniense ægroto.

15. ... vir Lundoniensis, ita ... membris quo prorsus ...

XII. De sedecim Lundoniensibus cæcis.

16. ... quindecim in prima ... videntes Lundoniam, qui ...

XIII. De alio Lundoniensi claudo.

16. ... per cujus intercessionem ... magnificans Deum sermonibus.

XIV. De xxv *infirmis qui in una die sunt curati.*
XV. De puero quinque annos cæcato.

17. ... expleto lumen amisit ...

XVI. De nobili viro qui cæcatus Romam perrexit.

18. ... ortus prosapie, habundans opibus perplurimis ... annorum Romæ in ... dum ibidem degeret ... quam partem regni ...

XVII. De Hrofensis civitatis urbano.

19. ... diebus homo quidam ... quæ Hrofeceaster nuncupatur ... noctibus perseverans in ...

XVIII. De cæco quem ductor iratus longe ab hospitio reliquit.

20. ... etiam quidam degebat ... vocatur Hunum, cæcus ... nihil tuam potest latere ... Domine, secundum tuam voluntatem, et ... sancti meritum Swithuni ... tuis sacratissimis precibus ... posce divini luminis ...

XIX. De IIII^or^ *hominibus utriusque sexus.*

21. ... per multarum revolutiones ... quæ eis erant ...

XX. De muliere quæ ad sancti viri tumulum allata est.

23. ... sine illius heri licentia ...
25. ... Mirum etenim et ... cernebat popellus. Domina ...
26. ... quiescebat præclue corpusculum ... opposita clausi serula ... ad istum deportavit ...
27. ... dulcissimo necne est consolatus ...
28. ... glorificaverunt Christum omnipotentem Dominum, regem ...

XXI. De duabus mulieribus, quarum una cæca, altera fuit muta.

29. ... una lumen propriis non quibat ... pariter devenissent ad locum in quo ...

XXII. De XXXVI *ægris qui in tribus diebus sanati sunt.*

30. ... et laudantes Deum.

XXIII. De centum XXIIII^or^ *ægris qui in spatio* XIIII *dierum curati sunt.*

31. ... revolutione epdomadarum et ... ægroti convenerunt.

XXIV. De homine qui parricidium commisit.

32. ... commisit inlicito, illigatus ... quem cruciabatur inmense ... doloris tormentum continui ab ...

XXV. De homine qui ignitum portavit calibem.

33. ... servili præscripti conditione ...
34. ... de servo perituro nimium condolens ...
35. ... volam turgore adustam ... insequenti die ... Qui nimio commotus ...
36. ... Quid, multa? Dominus ipse cum ... languores diras ægrotantium ...
37. ... Sanam etenim videbant ... penitus forvum non ... exaudibiles. Vir ...

XXVI. De Abbandonensis monasterii præposito.

38. Præpositus etiam Abundonensis ...

XXVII. De cæco in itinere illuminato.

39 ... patior famim et ...
40 ... Ductor inquit improbus. *(Suspicanda hic lacuna textus.)*

28. De debili et claudo.

42 ... Deo grates non ... circumstantium quæ tum ibi ...

29. De puero qui casu de equo cecidit.

43 ... est Anglosaxonum, properanter ...
44. ... prece quo præstat ... et sanitatem isto. Qui si concesserit petitionem, omnibus ... fideliorem. Quin etiam ...
45. ... Quod dum consul ...

Servamus notationem numerorum prout invenitur in *Act. SS.*, tom. I Julii, p. 337, eo loco ubi deficit textus, quem jam supplemus:

46 (1). **De ultramarino latrone.** Nec solum in finibus Anglorum, sed etiam in provincia Francorum miracula sunt patrata per hujus sancti merita. In eadem, ut perhibent qui hoc viderunt, regione cleptes quidam immanissimo depre-

(1) In codice capitulum 30.

hensus in scelere, tenebroso [1] custodiebatur in carcere, nefandis vinctus catenis et dira compede, donec in equuleo postridie tali suspenderetur pro crimine. Is audierat a negotiatoribus, oceanum causa commercii transmeantibus, esse sanctum noviter inventum in transmarinis partibus, per cujus interventum ægri sanarentur a multimodis languoribus. Hujus in obscuræ noctis reminiscens tenebris, Dei incomprehensibile exoravit numen omnipotentis, quatinus (1) ei subvenirent [2] magni [3] preces pontificis, effundens vocem lacrimis mixtam et suspiriis :

Auctor o rerum præpotens,
Alme Deus atque clemens,
Qui cœlum, terram ac mare
Sancto gubernas Flamine,
Per ejus sancti meritum,
Per quem turmas languentium
Sanas, rex pie, cœlitus,
In Anglorum limitibus:
Morte de dira libera
Quem redemisti propria,
Ne sævus hostis baratri
Me mergat antro [4] lividi.
Sancte, nomen cujus ego
Diu obtestor nescio,
Posce Christum, quo misero
Mihi succurrat ilico.
Latro cum ille talibus
Deum rogaret precibus,
Solutus est divinitus
Catenis et compedibus;
Carcerisque mox januam
Comperiens patefactam,

[1] *cod.* tenebrosa. — [2] *cod.* subverent. — [3] *vox supra lineam scripta.* — [4] *cod.* antrum.

(1) Hucusque *Acta SS.*

Quam custos nocte clauserat
Repagulis ac serula,
Gavisus est eximium
Se evasisse periculum
Atque mortis introitum
Utriusque perpetuum [1]
Per sancti Patris meritum,
Juvamen ac suffragium,
Glorificans cœli Deum
Ac benedicens Dominum.

47 (1). **De matrona in Gallia sanata.** Nec judico dignum esse silentio præterire quod quædam matrona nobilis, in prædictis Gallorum terminis, ita erat eodem tempore gravi constricta dolore, ut, per bis denos dies, nec loqui posset nec cibum sumere; sed quasi corpus absque spiramine, ita jacebat exanime. Accidit autem ut quidam sacerdos de Anglorum finibus, dum pergeret ad Galliam, in illis temporibus hospitaretur in eadem civitatula in qua intolerabili dolore ægrotabat mulier prætaxata. Et quoniam ejus conjux [2] præscripto notus fuerat sacerdoti, continuo ut ejus adventum sensit, legatos suos ad eum misit, deprecans ut, si quod remedium potuisset impendere quod profuisset conjugi miserandæ, non denegasset illi pro Christi ac fraterna caritate. At ille per prædictos ei mandavit nuntios: *Artem medicinam, ut bene nosti, a juventute non didici; consilium tamen tibi dabo optimum; cui si consenseris, sentiet Dei beneficium si ullo modo potest evadere mortis periculum. Jube novam componere candelam eamdemque ventura nocte in tali fac ardere basilica, in honore præsulis almi per quem Deus multa apud Anglos facit mirabilia, exorans omnipotentem Deum pro infirma conjuge puris precibus ac credula fide: sic recipiet priscam sanitatem, spero, per ejus sancti intercessionem.* Vir autem ille, hæc

[1] *ita supra lin., voce* continuum *quæ prius scripta fuerat, linea deleta.* — [2] *cod.* conjunx *et postea iterum.*

(1) In codice capitulum 31.

audiens, sine mora jussit perficere cereum et cum festinatione deferri ad sacerdotem ipsum. Ille autem cereum accipiens, has in eo litteras sculpsit, dicens :

Sancte Swithune pater, per quem medicamina confert
Ægris corporibus cuncticreans Dominus,
Te precor, huic priscam mulieri posce medelam,
Clara sit ut populis alma fides Domini.

Quid plura? Subsequenti die mulier recepit sanitatem, collaudans Deum omnipotentem quod eam pristinæ restituit sospitati per suum sanctum præsulem.

48 (1). **De muliere in Gallia a dæmonio obsessa.** In eadem denique Francorum regione, quædam muliercula, dum quadam oscitaret nocte nec sanctam mundi crucem Salvatoris in ejus figeret stomate, in tantum percussa est ab impurissimo dæmone ut inferius labium, dissoluta penitus mandibula, a labro disjungeretur superiore. Hæc, dum nullatenus cibum posset capere solidum nec intelligibile ullum exprimere verbum, quoniam utrobique dispactum habebat vocis artificium, plus mortua quam vivens, delata est ad cœnobium in quo sanctus Christi præsul quiescebat in provincia Anglorum, transnavigatis oceani fluctibus qui separat Britanniam [1] a Gallorum gentibus, bis quaternis mensibus expletis ab exordiis cruciatus intolerabilis. Quæ dum ibi per aliquot maneret dies, in vigiliis et orationibus perseverans, per gloriosi meritum pontificis ita facta est incolumis ut prorsus nulla ægritudinis vestigia nec in voce remanerent pristina, neque in fracta mulieris mandibula. Quæ, postquam divinitus est curata per hujus almam antistitis intercessionem, ad patriam remeavit, glorificans Deum omnipotentem.

49 (2). **De visione cujusdam nobilis in Vecta insula.** Vir quidam, canitie honorabilis præfulgida, in Vecta [2] æger degebat

[1] *prius* Brittanniam; *sed secundum* t *punctis deletum.* — [2] *cod.* in Vectam ... insulam. *Præterea supra lin. additur* v *initio vocis et* t *supra litteram* c, *quasi legendum sit* Wettam. *Cfr. num. 3 supra :* mulieres in Wentan cæcæ degebant insulam.

(1) In codice capitulum 32. — (2) In codice capitulum 33.

insula (1). Qui permanens ter ternos paralyticus per annos, haud languida quibat levare membra de lectulo absque alicujus famuli præsidio. Hunc bini adolescentes miro fulgore coruscantes angelicamque faciem retinentes, vestibus induti candidissimis, taliter sunt allocuti in sopore noctis : *Jam tempus adest, frater, te de fulcro surgere in quo jaces. Quapropter indue tuis temet exuviis et properanter veni extra cardinem liminis, nostrasque sermocinationes libenter audi.* Tum vir ille, ut potuit, continuo surrexit, sicut in dormitione somni visum fuit illi, et, propriis amictus induviis, extra domum ad prædictos juvenes venit. Qui dixerunt ei : *Curre nobiscum.* Æger respondit : *Quomodo nunc currere possum, qui non surrexi de toro per intervallum novem annorum sine sustentamine bacilli et famulorum?* Qui juvenes dixerunt languido iterum : *Noli timere, sed nobiscum perge ; nos te ducemus ad locum in quo recipies ægritudinis medicamentum.* Paralyticus autem, desiderans percipere corporis valitudinem, libenter sermonibus juvenum allubescens, cum illis, quoquomodo quivit, currere inchoavit. Qui dum juvenes pernici gressu fugientes sequi pedibus non valeret, sursum in aera elevatus, super eos volavit divinitus. Præduces autem juvenes duxerunt languidum in delectabilem campum, amœnitate conspicuum, rosetis consitum et olivetis virentem, omnique pulchritudine delectabilem, niveis atque floribus lilii vestitum, necne omnimodis aromatum odoramentis refertum, in quo nactus est basilicam gemmis et auro constructam. Quam cum intraret, conspexit sacrum antistitem sacerdotalibus ornatum decoraminibus, quasi ad missam celebrandum ante sanctum altare stantem. Qui dixit ad ægrum : *Accede huc, homuncio, propius, et loquere nobiscum de tuis utilitatibus.* Languidus vero, dum ad sacrum appropiaret hierarchum, inquit ad eum : *Quid vis, domine mi?* Præsul ait : *Vide, frater, nemini malum deinceps facias, nulli maledicas, proximo* [1] *non detrahas ;*

[1] *cod.* proximum.

(1) *Vecta* insula, quæ *Vectis* a Plinio et a Suetonio, a Ptolemæo Οὐῆκτις et a Diodoro Siculo Ἴκτις nuncupatur, hodie *Wight,* ad meridianam Britanniæ oram maritimam. Cfr. Cellarium, op. cit.

prædonibus, homicidis, furibus et sacrilegis haud consentias; verum omnibus succurras indigentibus, in quantum vales, opibus; et sic per Dei virtutem priscam recipies sanitatem. Æger autem ille cœpit præmeditari mente quod neminem uspiam læderet nisi illum a quo prius læsus foret, et sibi bona facientibus, quamdiu [1] viveret, justæ recompensationis emolumentum retribueret. Venerabilis enim antistes polose intelligens illius cogitationem, quoniam bonum pro bono reddere et malum pro malo disponebat corde, inquit ad languidum: *Noli, mi frater, hoc agere quod modo disponis sagaci cogitatione: lædentem te ne festines lædere, sed potius Dominum imitare Christum, conditorem rerum, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, verum pro lædentibus exorabat Patrem ut salvarentur, inquiens: " Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. „ Idem Dominus suis Christus præcepit sequacibus: " Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. „ Et apostolus: " Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. „* Audiens autem ægrotus quod tam sacris eum hortaretur antistes [2] sequi vestigia Christi, dixit ei: *Dic mihi, domine, quis es, qui etiam arcana cordis hominum dinoscis?* Sanctus respondit: *Ego sum qui nuper veni;* quasi planius aliis indicaret verbis: " Ego sum idem sanctus per quem Olympi Dominus anno præsenti ægrorum cœpit mederi doloribus. „ Languidus ait: *Quo nomine nuncuparis?* Mirificus vates respondit: *Wintoniam cum veneris, reperies nomen quod quæris;* quasi diceret: " Ego sum ipse præsul qui dicor Swithunus, cujus corpus dudum Wintoniæ fuit repertum. „ Post sancti vatis admonitionem, paralyticus ille reductus est ad mansionem. Qui, cum evigilaretur a soporis quiete, per omnia indicavit conjugi suæ qualiter a duobus per somnium juvenibus in floriferum perductus est pratum, in quo accepit salutiferum pontificis imperium. Conjux autem viro dixit suo: *Vis, dilecte mi, ut evocem agnatos, clientes et vicinos, quatenus te deferant ad basilicam quæ est infra istam Deo dicata insulam? Nonne*

[1] *cod.* quadiu. — [2] *supple verbum ad mentem auctoris, v. gr.* affaminibus.

illo delatus poteris rogare Deum quo tibi concedat medicinam tuæ ægritudinis per gloriosi Swithuni meritum? Vere præsul ipse fuit qui temet evangelicis sermonibus instituit quique tibi manifestatus est per visionem noctis. Placuit autem languido optimum uxoris consilium. Cumque autem ad prædictam deductus foret ecclesiam et rogaret ibi cunctipotentem cœli ac telluris regem quatinus succurreret illi per intercessionem pontificis almi, protinus cœlestem a Domino promeruit curationem. Is autem, mox ut effectus est sanus, domum rediit pedibus, qui ad templum fuerat baccaulo deportatus, cum omni comitatu referens laudes Deo conditori, qui est auctor mirabilis et gloriosus in sanctis suis. Non post multos etenim dies postquam salutis medelam percepit, extra præfatam navigavit insulam, et, Wintoniam veniens, episcopo præclui fratribusque ibidem residentibus narravit qualiter per Dei famulum sanitatem recepit. Venerabilis enim antistes ita hoc miraculum indicavit scriptori, sicut scriptum est in superficie hujus codicelli.

50 (1). **De muliere manicis illigata**. Nec oblivioni tradendum est quod quædam muliercula, in civitate Wintoniæ, abluebat exuvias domini sui. Quæ subito, dum portarentur ad fluvium, a furibus arreptæ sunt. Senior autem illius, ultra modum iratus eo quod suas tam negligenter [1] custodiret induvias, eam compluribus cecidit vibicibus, manusque ejus ferreis vinxit ligaminibus, adeo strictis ut graviter lacerarent brachiorum carnes. Hæc dum acrius crucianda custodiretur usque in diem posterum, accidit ut illius senior pergeret ad quoddam negotium. Quæ, mox ut conspexit domum vacuam a custodibus, fugam excogitavit protinus, et ad templum in quo sancti præsulis quiescebat corpus properavit ocius. Quo cum pervenisset et ante ejus reliquias cum gemitu Deum oraret, quatinus per sancti meritum a diris eam vinculis liberaret, ilico manicæ pessulo obseratæ in terram de ejus ceciderunt manibus. Cumque hoc furibundo nuntiatum foret

[1] *cod.* neglegenter.

(1) In codice capitulum 34.

domino, cœpit dicere quod nimium fuissent amplæ et ideo de manibus ejus cecidissent catenulæ. Nonnulli autem ad hoc comprobandum [1] accesserunt, manicas acceperunt [2], et coram illo in eas manus ancillæ ipsius mittere voluerunt : exceptis tribus digitis nequiverunt concludere illis. Eædem denique infra eamdem basilicam catenulæ adhuc sunt suspensæ, ut omnes qui eas viderint laudent nomen omnipotentis Dei, qui compeditos solvit et elisos erigit.

51 (1). **De servo compedibus vincto.** In præfata etenim urbe homo quidam servum quempiam habebat compedibus vinctum, pro quolibet servitio negligenter prætermisso. Idem autem famulus, dum per aliquot dies gravibus catenis nexus permaneret nec permitteretur a domino solvi omnino, quadam die opportunum tempus reperit : ad sancti reliquias quacumque quivit ratione accessit. Qui dum, flexis genibus, ante sacri pontificis tumulum, exposceret cuncticreantis Dei omnipotentiam, confestim de compedibus prosilivit pessulum, et sic compedes ipsæ divinitus sunt reseratæ, quasi aliquis eas resolveret clave. Mirum namque hoc est valde, quod sanctus Dei famulus, venerabilis ac gloriosus, non solum meritis et orationibus medetur languentum doloribus, verum etiam compeditos solvit multos a validis ligaminibus, a columbare et compedibus, a carcere tenebroso et a gravi tormento. Quapropter, dilectissimi fratres, glorificemus Christum, salvatorem inclitum ac redemptorem nostrum, qui nostris temporibus tanta hominibus beneficia languentibus dignatus est largire per salutiferum Swithuni interventum. Cui est honor et imperium sine fine cum Patre et sancto Pneumate, qui nos purget ab omni crimine et perducat ad cœlica tempe [3].

52 (2). **De juvene cæco.** Eodem tempore etiam juvenis degebat quidam in quodam vico, qui vocatur Colungaburna (3), qui,

[1] *hic in cod. repetitur* ad hoc. — [2] *duæ hæ voces alia manu sunt adjectæ.* — [3] *hic claudebatur, ut putamus, primus contextus hujus libri ; cfr. Præfationem nostram.*

(1) In codice capitulum 35. — (2) Capitulum 36. — (3) *Collingbourn* in *Wiltshire.*

in ipsa Paschatis solemnitatis die, effectus est cæcus casu accidente, adeo ut præter tenebrarum caliginem non posset aspicere quidquam, neque solis perspicuam claritatem. Postquam autem multum perpessus foret in præfata cæcitate, spopondit se vigilaturum nocte in cœnobio quod nuncupatur Sceptesbyrg (1), quo requiescit corpus sanctissimæ ac venerabilis Ælfgivæ [1] (2), matris gloriosissimi ac piissimi Anglorum regis Eadgari, ad cujus tumulum multa infirmorum corpora per Dei omnipotentiam recipiunt medicinam, partim pro suis, partim pro filii meritis, quo regnante omnia pene monasteria, olim sub antecessoribus desolata regibus, per ejus clementiam feliciter sunt reparata. Qui dum ad prænotatum pergeret locum, a propria conjuge, nimirum [2] cæco ipsi, est persuasum quo Wintoniam ad sanctum gressus dirigeret Swithunum. Qui ejus flocci pendens suggestionibus [3], ocius ad prædestinatum properavit templum. Cumque illuc perveniens promissam excubiis duceret noctem, malo additum est malum. Ingens gibbus crevit super ejus oculum, qui ita virum cruciabat illum, quatinus jam nullum requireret luminis medicamentum; Deum solummodo rogans ut oculi strumam, quæ in modum famfalucæ [4] turgebat [5], sanaret pestiferam. Qui allubescens rursus uxoris persuasionibus, tollens secum præducem puerum, citato gressu Wintoniensem protinus festinabat ad urbem, exorans omnimodis Deum cuncticreantem, ut ei per sacri vatis intercessionem conferret oculorum medicamen et strumæ intolerabilem medicaret ægritudinem. Qui dum extra præfatam processissent villulam, cæcus ductorem alloquitur collegam: *Modo corpus meum adeo est refocillatum, quod paulo ante ita erat gravatum nimio dolore, ut sperarem me penitus vitam finire nec ullo modo ad locum posse quo pergimus venire. Gratias refero omnipotenti*

[1] *cod. prius* Ælgivæ. — [2] *ita videtur legendum ; cod.* nimium. — [3] *sic.* — [4] *i. e.* inflatura, bulla, *a voce græca* πομφόλυξ, *unde gallice* fanfreluche ? — [5] (strumam-turgebat) *supra lin. in qua duæ voces ferro omnino abrasæ.*

(1) *Shaftesbury* seu Sceptonia. — (2) De sancta Ælfgyfa sive Elgiva tractatum est in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. IV, pp. 186, 187.

Deo ; nunc quo desidero pergere valeo. Juvenis ductor infit ægroto : *Supplici prece et humili mente puroque corde Jesum Christum posce, et ocius optatam recipies medelam.* Quid multa? Antequam pervenirent ad civitatem, cæcus ille oculorum et gibbi recepit curationem per venerandi antistitis interventionem. Accessit autem ad sancti viri tumulum, atque ibi Deo grates ac sancto Swithuno reddens, ad suum lætus reversus est domicilium.

53 (1). **De adolescente incurvo.** Adolescens denique quidam habitabat in vico quodam qui nuncupatur Sumerseten (2), qui præ nimia ægritudine ita erat incurvatus somate, ut declivi capite cœlum vix posset cernere. Is dum a propria [1] nativitate detentus esset corporis curvamine ac diu misere tali cruciaretur peste, Wintoniam accessit [2] quadam die, ut eleemosinam acciperet pro Christi nomine, semet sustentans gemino fuste. Qui cum subiret portam civitatis, obviavit illi quidam juvenis proficiscens causa legationis a cœnobio quo venerabilis quiescebant membra pontificis. Qui mox ut vidit ægrum binis incumbentem cambuttis, interrogavit eum, unde veniret vel quorsum gressus dirigeret. Qui postquam ejus cognovit arbitrium, persuasit languido quo pergeret ad sanctum, quatinus perciperet cœleste medicamentum. At ille dixit ei sermone lamentabili : *Te quæso, miserere mei : deduc me ad tumbam præsulis almi. Perplures transacti sunt dies ex quo illo volebam ire, sed non quivi absque ductore, quoniam ignotæ sunt mihi hujus civitatis viæ.* Misertus autem illius juvenis ille, perduxit eum ad basilicam quo sancti viri quiescebant reliquiæ; in qua dum vigilaret nocte, per ejus meritum sanitatem meruit recipere. Ad quem custos ecclesiæ accedens matutino tempore, interrogavit si melius haberet ex parte. Qui respondens dixit ei : *Ex quo natus fui hanc infirmitatem habui, et tormenta numquam tanta sustinui quanta postquam*

[1] propria *supra lin.* — [2] *supra lin.; prius* pergens, *et linea subducta.*

(1) In codice capitulum 37. — (2) Caput olim regionis sive comitatus hodie dicti *Somerset.*

huc adveni. Cui custos ait : *Cum omni mentis intentione diligenter Deum posce, quoniam cito liberaberis ab hac invalitudine.* Qui dum ab illo recessisset paululum, æger, sanus surgens, stetit ante sanctum et recto vultu suspexit cœlum, laudans et glorificans regem cœlorum.

54 (1). **De homine cæcato.** Prænotato denique tempore, Eadgaro rege præcipiente, ad deterrendos quosque malos horribili pœna, talis lex est constituta in Anglorum provincia, ut, si quispiam cleptes vel prædo in tota inveniretur patria, cæcatis luminibus, truncatis manibus, avulsis auribus, incisis naribus et subtractis pedibus, excruciaretur diutius; et sic, demum decoriata pelle capitis cum crinibus, per omnia pene membra mortuus relinqueretur in agris, devorandus a feris et avibus atque nocturnis[1] canibus. Accidit autem ut cuidam viro inculpabili objiceretur crimen latrocinii. Qui mox comprehensus a nefandis criminatoribus et condemnatus a legislatoribus, cæsus per supradicta penitus membra, relicti sunt insonti pedes cum vita, et cutis illi capitis miseranda minime est subtracta. Ad quem amici et parentes, nimium mœsti, accedentes, ad propriam domum tristes deduxerunt hominem cæsum. Unus autem oculus omnino erat obrutus, verum alter pendebat super ejus faciem; quem accipiens quædam muliercula reduxit in orbem. Et sic permansit a Theophania Domini usque ad Litaniam Majorem. Qui annuens plurimis amicorum suasionibus, deductus est ad sancti reliquias in illis diebus, quatinus valeret recipere auditum per beati pontificis meritum : nullo modo æstimans se posse cæcatorum recipere lumen oculorum. Aures nimirum ejus, statim ut fuerunt cæsæ, ita repleverunt fenestras audituum sanguine, ut officium audiendi excluderetur ab homine. Quo dum pervenisset, ad Deum omnicreantem tales puro corde effudit preces:

[1] *cod.* nocturni.

(1) In codice capitulum 38.

Alme Deus munificens,
Cosmi sator omnipotens,
Insontem cæsum, miserum
Me respice, Rex optime.
Necne vitam post obitum
Cœlestem, mihi, deprecor [1].

Quid plura ? Ilico vir ille meruit lumen oculorum recipere, quod non sperabat, et auditionem aurium, quam desiderabat. Hoc namque miraculum in hoc est valde mirandum, quoniam non legimus quempiam cæcatum recepisse lumen oculorum præter hominem istum [2].

[1] *suspensus videtur sensus, licet nulla in codice appareat lacuna.* — [2] *sequuntur majusculæ litteræ A B C D E F in medio folio 80 verso.*

Hymni de S. Swithuno, quibus locus dari non potuit ad calcem hujus tomi, edentur initio tomi sequentis.

INDEX CODICUM

QUI IN HOC TOMO

ADHIBITI SUNT AUT CITATI.

INDEX SANCTORUM

de quibus

DOCUMENTA IN HOC TOMO EDITA SUNT.

N. B. — Sancti quorum nomine inscribuntur documenta in corpore hujus voluminis, indicantur litteris capitalibus minoribus, v. g. ARNOLDUS.

Sancti quorum nomine inscribuntur documenta in Appendice Catalogi nostri Gandavensis hic edita, designantur charactere italico, v. g. *Amandus.*

(Numeri paginas indicant.)

INDEX SANCTORUM

QUORUM ACTA RECENSITA SUNT

ET ETIAM ALIQUA SUBINDE EX IIS EDITA

IN PARTE CATALOGI HAGIOGRAPHICI

BIBLIOTHECÆ REGIÆ BRUXELLENSIS

HUIC TOMO ANNEXA.

N. B. — Sancti circa quos aliquid hic editum est, designantur charactere italico, v. g. *Adeltrudis*.

Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo.

INDEX GENERALIS

HUJUS TOMI.

Bruxellis. — Typis Polleunis, Ceuterick & Lefébure.



